DE
MATRIMONIIS MIXTIS
INTER
CATHOLICOS
ET
PROTESTANTES.

Scripsit

AUGUSTINUS
DE
ROSKOVÁNY,
CANONICUS AGRIENSIS.

Tomus II.

Monumenta ad historiam matrimoniorum mixtorum spectantia complectens.

QUINQUE-ECCLESIIS,
Typis Lycei Episcopalis, 1842.

CONSPECTUS

Tomi Secundi.

Monumenta ad historiam matrimoniorum mixtorum in Hungaria, Transilvania, et Austria.

I. Monumenta Hungarica.

Monumenta ad Epocham I. a Reformatione usque Pacem Westphalicam an. 1648.

1.

Decretum Synodi Ebroicensis de an. 1576.

De officio Curatorum et Vicariorum §. 10. Praeterea declarent, ipso facto excommunicatos a Conciliis et Apostolicae Sedis Romanae Pontificibus, qui haereticorum conciones audierint, conventiculis interfuerint, libros legerint et apud se retinuerint, vel fraternitatis et amicitiae causa et non necessitatis cum eisdem fuerint conversati, ita, ut non liceat cum iisdem matrimonia iungere, mercimonia exercere, eorum artificio vel arte uti, cum eisdem colloqui vel habitare, nisi quantum humana necessitas cogit, vel certa spes ostenditur eos lucrandi Christo, vel ex officio incumbit.

2.

Decretum Synodi Lexoviensis, de an. 1580.

Tit. XVII. Curati et Vicarii habeant potestatem dandi testimonium super matrimoniis, baptismis, testamentis, et solennitatibus promulgationum (bannorum), tum de scholaribus (ad SS. Ordines adspirantibus), et de illis, qui matrimonium contrahunt in Ecclesia Rom. Catholica: prohibetur autem aliquem recipere de ecclesia praetensa (reformata) ad dictum Sacramentum, si professionem praevie non eliciat, quod in futurum more catholici vivere velit. —

3.

Statutum Syn. Burdigalensis an. 1583.

Tit. XV. Moneantur quam saepissime fideles Christiani a suis Parochis, ne haereticis et hominibus a fide et religione Catholica alienis filios et filias suas in matrimonium collocent; talibus enim coniugiis (quod dolentes referimus) permulti *naufragium fidei* fecerunt.

4.

Decretum Syn. Turonensis de an. 1583.

Tit. 9. de Matrimonio. Monente Apostolo, cum non sit ducendum iugum cum infidelibus, nullaque debeat esse pars fidelis cum infideli, sitque matrimonium *non tam corporum quam animarum coniunctio*, et divini humanique iuris societas, eaque de causa cavere debeant maxime, qui matrimonium contrahere desiderant, ne inter coniuges perpetuae rixae vel etiam divortii relinquatur occasio; ideoque Catholici cum haereticis (quorum vix aut numquam possunt esse *pares animi*) matrimonio iungi non debeant, Ecclesiarum parochialium rectores hortamur, iisque iniungimus, suos parochianos catholicos a matrimoniis cum haereticis ineundis quanta poterunt diligentia avocare, Catholicis permittentes, ut a Sponsalibus impune resilire possint, quae per verba de futuro cum haereticis ignoranter contraxerint.

5.

Statuta Conc. Bituricensis an. 1584.

Tit. V. de haereticis vitandis. Qui tetigit picem, inquinabitur ab ea (Eccl. 13.) Et, ut ait Psalmographus (Ps. 17.) cum electo electus eris, et cum perverso perverteris. Et, ut monent Apostoli, haeretici post secundam aut trinam monitionem vitandi sunt (Tit. 3.), nec eis dicendum est: Ave (II. Joan. 1.), nec in domum recipiendi sunt, ne eorum operibus malignis communicetur. Recte ergo divus Cyprianus (lib. I. epist. 3. ad plebem) ait: vitate lupos, qui oves a pastore secernunt, vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax est et mendax; mentitur, ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit ut malum tribuat, vitam spondet ut pe-

rimat, Ecclesiam pollicetur cum id agat, ut qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat. Itaque sub poena vindictae divinae haereticorum consortia vitentur.

Can. I. Hortatur haec Synodus omnes fideles in Christo, praesertim ecclesiasticos, ut consortia haereticorum devitent, connubia quoque, commercia et convivia aversentur et fugiant.

6.

Decretum Syn. Cameracensis de an. 1586.

Tit. XI. cap. 7. Propter *pericula salutis animarum* innovandam duxit haec Synodus prohibitionem antiquorum Canonum, ne fideles cum haereticis nuptias contrahant. Quare Pastores non minorem rationem habeant huius inquisitionis in faciendis proclamationibus, quam reliquorum impedimentorum, et si alterum coniungendorum haeresi infectum aut non temere suspectum inveniant: *eos non coniungant, nisi parati sint haeresim abiurare, et fidei professionem facere.*

7.

Decretum C. Tolosani an. 1590.

P. II. c. 8. de Matrimonio §. 5. Catholicis ac haereticis invicem matrimonium contrahere non licet.

8.

Resolutio Congregationis Concilii de 7. Feb. 1590.

Cum in partibus Russiae et Pomeraniae fere omnes sint haeretici (schismatici): non licet Presbyteris virum Catholicum cum haeretica muliere, et e converso, matrimonio coniungere.

9.

Resolutio Congregationis Concilii de 31. Mart. 1597.

In matrimonio contracto inter haereticum et catholicam, et e converso, qui essent aliquo gradu cognationis vel affinitatis coniuncti, quamvis pro istorum parte supplicaretur — quia tamen etiam legitimo impedimento cessante catholicus cum haeretico contrahere non potest, licet contractum valeat

juxta glossam communiter receptam in *Cap. cum oportet 29. q. 1.* — nullo modo videtur dispensandum, ne huiusmodi exitialibus matrimoniis Sedes Apostolica authoretur; quin potius partes Ordinarii sunt, talia matrimonia irrita et nulla declarare, et Catholicis matrimonia contrahendi legitimam cum Catholicis licentiam et favorem impetrare, invocato auxilio brachii secularis.

10.

Edicti Nannetensis articuli matrimonia Reformatae Confessioni addictorum respicientes, de an. 1598.

Art. 18. Prohibemus etiam cunctis nostris subditis, cuiuscunque qualitatis et conditionis, auferre proles Religioni praetensive Reformatae addictorum per vim aut inductionem contra voluntatem Parentum scopo eo: ut baptisentur aut confirmentur in Ecclesia Romano-Catholica Apostolica.

Art. 23. Religioni praetensive Reformatae addicti obligabuntur observare leges Ecclesiae Romano Catholicae Apostolicae in hoc nostro Regno receptas quoad actum contractorum et contrahendorum matrimoniorum, et gradus consangvinitatis et affinitatis.

11.

Decretum Synodi Varmiensis de an. 1575.

§. VIII. Matrimonia cum haereticis contrahenda ex ambone ne denuncient; neque copulent eos, qui S. Eucharistiam ritu Catholico in sua Parochia confessi prius non susceperint.

12.

Decretum Synodi Antwerpiensis de an. 1576.

Tit. VI. cap. 2. Propter temporum difficultates et pericula Concilio Mechliniensi et Tridentino adiiciendum duximus Canonem 16. Concilii Eliberitani, qui prohibet, ne fideles cum haereticis nuptias contrahant: qua de re Pastores non minorem inquisitionem habere volumus in faciendis proclamationibus, quam de impedimentis reliquis. Et si alterum coniungendorum haeresi infectum, aut non temere suspectum in-

veniant, id in literis proclamationum sacerdoti, qui matrimonium solemnisaturus est, indicari volumus.

13.

Statutum quatuor Decanatuum Ducatus Juliae in antiqua Dioec. Coloniensi de an. 1602. contra matrimonia mixta.

Pastores diligenter moneant suos, ne contrahant cum haereticis, ne coniungant aut copulent catholicas personas cum haereticis, nisi sit aliqua spes conversionis.

14.

Decretum Syn. Narbonensis an. 1609.

Cap. 22. Non contrahent Catholici cum haereticis, nec enim fas est ad *Sacramentum* Matrimonii, quod gratiam confert, excommunicatum talis gratiae incapacem recipere.

15.

Statutum C. Constantiensis an. 1609.

Tit. XVI. §. 17. Catholicos nostros dioecesanos vehementer obtestamur, ne commodum temporale animarum saluti praeferentes, cum haereticis matrimonia ineant, neve parentes filios aut filiàs suas ad loca haeretica in matrimonium collocent. Qua de re catholicum Magistratum officio suo minime defuturum speramus.

16.

Statutum Conc. Varmiensis de an. 1610.

Tit. de Matrimonio. Praeterea magno nostro cum moerore atque animi perturbatione non modica ingemiscentes intelleximus, subditorum nostrorum filias in Catholica Religione natas et educatas haereticis passim nuptui tradi, et in matrimonium collocari, filiosque bonorum temporalium cupiditate excoecatos domicilium nubendo extra dioecesim nostram ad loca haeretica frequenter transferre. *(Quod absque dispendio et iactura animarum curae nostrae commissarum, magnaque Catholicae Religionis iniuria fieri non posse videmus.)* Parochis nostris ea, qua par est, severitate praecipimus, ut

nullum finem ab hoc proposito amovendi populum pro concionibus faciant, ostendantque quam *graviter peccent*, quamve *crudeliter parentes cum filiis et filiabus suis agant*, dum, quos ex propriis visceribus genuerunt, post tot annorum susceptos pro ipsis in educando labores tandem in *aeternae damnationis* barathrum miserandum in modum praecipitent, non attendentes nihil prodesse homini, si totum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Cavebunt sub poena suspensionis et interdicti, ne sponsalia aut matrimonia cum haereticis contrahenda ex ambone, ut *Cromeriana* constitutione optime cautum est *), denuncient, multò vero minus eos copulent, qui sacram Eucharistiam ritu Catholico confessi prius non susceperint. Cum vero de matrimonio cum haereticis contrahendo aliquid certi mandaverint, et prout superius a Nobis mandatum est, eos, ne id faciant, serio admonuerint, nec tamen proficere quicquam potuerint. Nobis quamprimum significent, ut rationem et modum inire possimus, quo illos a proposito suo dimovere, et ad saniorem mentem, quantum in Domino possumus, revocare, paternis nostris admonitionibus et persuasionibus valeamus.

17.

Decretum Syn. Augustanae an. 1610.

P. I. c. 5. Tutores, parentes, moecenates, magistratus tam ecclesiasticos, quam seculares obsecramus in Domino, ut, suae obligationis memores, filios, pupillos, clientes, subditos in vera religione et pietate conservare, tueri et fovere cumprimis studeant, ideoque nec literarum aut linguae nec mercaturae aut cuiuscunque artis addiscendae vel exercendae causa vel alio quovis nomine ad haereticos ablegent, nec sponte abeuntes apud eos morari sinant, nisi et religionis catholicae profitendae et iuxta illius leges vivendi facultas illis libera sit, et periculum perversionis in fide depravationisque in moribus procul absit, de quo nostrum et Vicarii nostri generalis erit cognoscere et iudicare. — Quia nullum ma-

---

*) Provocat Synodus ad decretum Synodi an. 1575. sub Episcopo *Cromero* celebratae.

gis *propinquum perversionis periculum est*, quam cum haereticis christi fideles connubio iunguntur: ideo parentes omnes obtestamur, et quantum possumus obligamus; ne perverso iudicio affectuque sinistro acti, nimium in temporalem liberorum commoditatem intenti, eos opum, lautae amplaeque dotis aut cuiuscunque terreni lucri respectusque causa, haereticis matrimonio iungant copulentve. Hortamur quoque Principes, ac Magistratus tam ecclesiasticos, quam seculares, et per viscera misericordiae Christi Domini obtestamur, ut coeleste lucrum terrenis commodis praeferentes, omnem suis subditis perniciosam cum haereticis consuetudinem, ac praesertim connubia sua quoque auctoritate interdicant, ac prohibeant.

18.

Decretum Syn. Buscoducensis an. 1612.

Tit. X. de Matr. cap. 24. Propter *evidens salutis animarum periculum* Pastores saepius in concionibus significent, praeter legem naturalem et divinam esse etiam *Ecclesiae prohibitionem*, ne fideles cum haereticis matrimonia ineant, eiusque impedimenti rationem habeant singularem. Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepat fides? cum verum sit illud Hieronymi: „Nusquam fidus affectus, ubi diversa fides"; pro hac materia legant Parochi insignem D. Ambrosii Epist. ad Virgilium Episcopum Tridentinum.

19.

Decretum Syn. Leodiensis an. 1618.

Tit. IX. de Matr. cap. 4. Si Parochi alterum contrahentium haeresi infectum, aut non temere suspectum inveniant, eos non coniungant, nisi haeresi in manibus Vicarii nostri prius abjurata.

20.

Statutum C. Burdigalensis II. de an. 1624.

Cum Sacramenti Matrimonii canonice contrahendi ratio a Sacris Canonibus et Patrum decretis tradita plene et sancita reperiatur, neque tamen ea ubique locorum provinciae nostrae magna cum animarum strage omnino observetur, turbantibus

filiis Belial, spiritu carnis suae inflatis: — — placuit nobis eadem, quae a SS. Canonibus et SS. Conciliorum decretis hac de re sunt constituta, innovare, ac insuper ea decernere, quae ad eorum exactam observantiam plurimum roboris habere dignoscuntur. — Periclitatur admodum fides contrahentium, si unus coniugum haeresi infectus et pertinaciter in ea perseverans, alter non sine peccato et irreverentia sanctae Matris Ecclesiae cogatur iugum trahere aerumnosum. Nam quod ait Apostolus: quae societas luci ad tenebras? cumque eo modo longe lateque serpat et propagetur haereticae pravitatis soboles, fidelesque a religiosa liberorum educatione avertantur, totiesque reclamet scriptura sacra, ne cum alienigenis iugum ducant, et experientia sit compertum, ut olim Israelitae a veri Dei cultu, sic etiam ex Catholicis non paucos talibus matrimoniis a fide orthodoxa defecisse: Nos attenta mente perpendentes verba in C. Agathensi quondam prolata: non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia, et vel filios vel filias eis dare, sed potius accipere si tamen se profitentur christianos esse futuros et catholicos; taliaque matrimonia Patres ultimi concilii Provincialis Burdigalensis abhorruisse, et parentes saluti filiorum minus consulentes, ne eosdem ad haec inducerent contrahenda, monuisse: ea pro temporum ratione decernenda suscepimus, quae tanto malo utcunque succurrere queunt. Prohibemus igitur quibuscunque sacerdotibus, sive sint ordinis secularis, sive regularis, ne quoscunque quomodolibet ad Sacramentum Matrimonii admittant, quorum alter haeresim profiteri comprobatur, sed ambos S. Romanae Ecclesiae fidem profitentes volumus esse et eiusdem assertores, quique Deo adhaerentes ad prolem in timore Domini educandam magni Sacramenti beneficio idonei effici possunt. Alioqui praefatos omnes Sacerdotes seculares vel regulares beneficia obtinentes suspensos esse ipso facto tam a suis ordinibus quam beneficiis declaramus, non beneficiatos autem seculares vel regulares non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium allatis, ipso facto ab ordinum suorum functionibus tamdiu suspensos esse, quoad Ordinariis ipsis salubriter in Domino videbitur expedire.

21.

Statuta C. Antwerpiensis an. 1643.

Tit. X. de Matrim. §. 16. Haereticorum matrimonio non assistant Parochi, etiamsi alter solum haereticus fuerit: et cum constet haereticos, ut ad contrahendum admittantur, subinde subornare alias personas, quae ementito nomine a Confessariis testimonium factae confessionis obtineant; advigilent ne desponsi non satis noti alteri confiteantur, quam proprio Pastori, vel alicui ab eodem designando, qui eosdem noverit.

§. 17. In Districtibus tamen sub provinciis unitis proclamari poterunt a Pastore, qui desponsi fuerint coram Sacerdote, etiamsi alter eorum fuerit haereticus; antequam autem tales admittat ad matrimonium, conabitur haereticum inducere ad conversionem.

22.[a]

Resolutio Congregationis de propaganda fide an. 1638.

In terris haereticorum, ubi haereses impune grassantur maxime, si ibi Catholicae fidei cultus non permittatur, matrimonia cum haereticis per exhortationes potius, quam per censuras prohibenda.

22.[b]

Resolutio eiusdem Congregationis dd. 18. Nov. 1638.

Quaestio: an quando mulier catholica cum haeretico, vel e contra, matrimonium praesente ministro haeretico contrahat in loco, in quo dubitatur, an S. Conc. Tridentinum fuerit publicatum, debeat coram Parocho Catholico iterum contrahere? *Resolutio:* Si non constet depublicatione S. Concilii Tridentini in Parochia contrahentium, non esse invalida matrimonia coram ministro haeretico contracta; si vero constet de publicatione Sacri Concilii in Parochia, saltem ex illius observantia per aliquod tempus tamquam decreti S. Concilii, ad validitatem matrimonii requiri, ut coram parocho catholico iterum contrahant.

23.

Conventio matrimonialis inter Carolum Coronae Britannicae Principem, et Henricam Mariam Regii Gallici sangvinis Principissam, dd. 10. Novemb. 1624.

Art. VII. Liberum exercitium Religionis Catholicae annuetur Principissae, sicut etiam omnibus prolibus de fato matrimonio nascituris. *VIII.* Hunc in finem Principissa habebit unam Capellam in omnibus domibus regiis, et in quocunque loco, ubi ipsa residentiam nanciscetur. *IX.* Dicta Capella ornabitur, ut decet. Praedicatio verbi Dei, et administratio Sacramentorum ibi libera erunt, et divina officia solemniter celebrabuntur. Omnia Jubilea et Indulgentiae poterunt ibi lucrifieri. Concedetur etiam coemeterium in Urbe Londinensi, quo inhumabuntur ii de comitatu Ppissae, quos mori contigerit. *X.* Ppissa habebit Episcopum pro suo M. Eleemosynario, qui omnem auctoritatem et iurisdictionem necessariam exercebit in causis Religionis. Et in casum, quo Curia Secularis manum iniiceret in aliquem Ecclesiasticorum propter quodpiam status crimen, eadem illum remittet ad Episcopum, et postquam hic eum degradaverit, restituet illum manibus Curiae secularis. In aliis delictis Episcopus iudicabit. *XI.* Ppissa habebit in sua Domo 28. Presbyteros pro servitiis Capellae suae, et si Regulares fuerint, poterunt deferre habitum sui Ordinis. *XII.* Rex et Princeps iuramento se obligabunt, nulla tentamina se facturos, quo Ppissa ad renunciandum Religioni Catholicae incitetur, aut ad aliquid illi contrarium alliciatur. *XIV.* Omnes servitores erunt Catholici et Galli delecti per Regem Christianissimum. *XIX.* Proles, quae nascentur ex hoc matrimonio, educabuntur per Principissam matrem usque annum aetatis decimumtertium.

Art. Secr. 1. Catholici tam Ecclesiastici quam Seculares, qui in Anglia a tempore ultimi Edicti Regii detenti sunt, libertati restituentur. *2.* Catholici in Regno Angliae propter Religionem amplius in quaestionem haud vocabuntur, et bona ab ipsis occupata, iisdem reddentur.

24.

Dispensatio Romana in matrimonio mixto Volfgangi Guilielmi Neoburgi Ducis, et Catharinae Charlottae Bipontini Principis filiae ex an. 1633.

Feria tertia die 8. Martii 1633. in Congregatione habita in Conventu B. Mariae super Minervam Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinales Bentivolus, Gypsius, Barberinus, et Ginettus primum; et feria quinta die 10. eiusdem in Pallatio Apostolico coram SSmo D. nostro, D. Urbano Papa VIII. rursus iidem et insuper Borgia, et S. Sixti contra haereticam pravitatem Generales inquisitores, quibus Sanctitas Sua incessantibus *Volfgangi Guilielmi Neoburgi ducis ac Comitis Palatini* precibus, et quamplurimum Principum, et potissimum Serenissimi Hispaniae regis, et Serenissimae Isabellae Belgii infantis, nec non electorum Sacri Romani Imperii rogatibus permotus commisit: ut noviter deducta iura in causa efflagitatae dispensationis ab ipso Volfgango Neoburgi duce catholico cum *Catharina Charlotta Principis Bipontini filia* imbuta haeresi matrimonio coniunctis praevia (subreptitia tamen) dispensatione per Archiepiscopum Philippensem Vicarium Apostolicum Hollandiae impertita, discuterentur: perpensis matura deliberatione rationum utrinque ponderibus: et primum ejus, quae proponitur eductae rationis ab unanimi principum et praelatorum, quibus earum regionum explorati mores esse debent, asseveratione: *nullum ex hoc matrimonio rite permisso fidei Catholicae in iis locis fieri praeiudicium, nullum in ipso Volfgango eiusque liberis ac subditis subversionis periculum subesse, quin potius magnam effulgere spem conversionis ipsius Catharinae ad avitam Romanam fidem*, ex consuetudine potissimum tanti viri tamque eximii zeli, et ut virorum fidedignorum testimonio acceptum est, in rebus fidei controversis etiam scientiae, qui cum magnam partem provinciarum sibi subiectarum ad gremium sanctae matris Ecclesiae perduxerit, felicius carissimam sibi conjugem tenerae aetatis et optima indole praeditam orthodoxam fidem edocturus creditur. Rursus aliud perpensae rationis a propositis ingentibus scandalis eis in lo-

cis, nisi dispensaretur, pertimescendis, nec non multorum lapsibus, aliorum dissidiis, bellorum periculis ab ipsius Catharinae consangvineis pariter haereticis, sed potentiae formidandae in haereditarias Volfgangi possessiones imminentibus, si forte Catharina post tanti temporis cohabitationem iam tandem repudiaretur. Demum illius potentissimae rationis, quod cum nonnisi unicum filium eumque vix puberem et imbecillis valetudinis Volfgangus modo habeat, ducatus sui haeredem, post quem ad ipsius Volfgangi fratres haereticos iure successionis devolveretur status, plurimum suadet incumbendum, ut ea in ditione ac novello grege Catholica ipsius Volfgangi propago in unius filii incerta vita ac salute iam nutans protendatur, stabiliatur, consultoque huiusmodi rationes adversis plurimum praepollere, quippe publicam causam praeseferentes: in eam unanimi voto sententiam devenerunt: *remittendum hac vice aliquid de rigore canonicae disciplinae*, dispensationemque tanto iam tempore ac tanta cum humilitate imploratam, ad evitanda potissimum maiora mala, praelibato Volfgango Neoburgi duci, aliorum potissimum suasionibus prolapso ex paterna SSmi Nostri benignitate concedendam fore: verum sub infrascriptis conditionibus, priusquam dispensatio sortiatur effectum, purificandis:

Primo, ut Catharinae matrimonii hactenus contracti nullitas indicetur, dux Volfgangus ratum habens, quod suo nomine petitum est a R. P. D. Henrico Mottmanno S. Rotae Auditore, et a Fratre Cosma Morellis Coloniae inquisitore, de indulta sibi erroris venia suis literis Apostolicae Sedi ac Summo Pontifici humillime gratias agat.

Secundo, princeps Volfgangus sub verbo principis spondeat, se omnem operam adhibiturum, ut principissa Catharina ad Catholicam veritatem traducatur. Ipsa vero Catharina suis literis, vel syngrapha aut coram testibus catholicis probitate et auctoritate praestantibus ad hunc effectum adhibitis et rogatis, qui de his fidem legitimam perhibeant, promittat, se passuram instrui in fide Catholica, seque ducis viri sui nisibus ad id, minusque spiritui sancto fore, ut obsistat, quominus Catholica dogmata doceatur.

Tertio, idem Volfgangus sub eodem verbo promittat, prolem masculinam et foemineam ex hoc matrimonio edendam statim ac nata erit, piis et exploratae probitatis ac Catholicae religionis zelo praestantibus viris tradere, qui eam a Catholicis nutricibus ali et in dies Catholicae educari et in eadem fide Catholica instrui omni studio curent, et haec omnia seorsum etiam a principe matre et haereticorum semper omni conversatione semota: nec non idem Dux sub eodem verbo promittat, nedum prolem, ut supra, alendam educandam et instruendam, sed etiam dominia sua in casum mortis ipsius alicui magno Catholico principi nominatim uti tutori vel curatori tuenda custodiendaque ab haereticorum incursibus, invasionibus, ac subdolis machinationibus, ne proles et subditi subvertantur, sed in Catholica fide conserventur, aliqua irrevocabili dispensatione committere et commendare, quatenus is princeps volet et poterit hoc subire munus; si vero magnus is princeps respueret, aut id muneris subire non valeret, idem dux Volfgangus promittat, ut supra, se in eadem irrevocabili dispositione rogatam habiturum Caesaream Maiestatem, ut proli et dominiis ipsius ducis Volfgangi ad praedicta omnia et singula, ut supra, praesentanda ipsa Maiestas Caesarea alium magnum Catholicum Principem substituat, nisi ipsamet Caesarea Maiestas sub suam protectionem et prolem et dominia recipere, et praedicta omnia praestare dignetur; et interim ne praedicta casu unquam aliquo sua careant executione, idem Volfgangus dux simili modo promittat, se in instrumento, ut infra, conficiendo et ad sedem Apostolicam transmittendo dispositurum, quod in eventum, in quem ipse nedum facta supradicta dispositione decederet, (Deus autem rogatur, ne id ullatenus permittat), rogatam ex nunc pro tunc efficaciter esse vult et expresse intendit eandem Caesaream Maiestatem, ut aliquem magnum Catholicum principem ad praedicta omnia et singula deputare, vel ipsa Caesarea Maiestas id totum in se assumere et praestare benigne velit: et nihilominus idem dux profiteatur, se ad praemissarum omnium et singularum observationem teneri, nullatenus ab eis liberatum ob id, quod in praenunciato instrumento is ordinaverit ac disposuerit, ut su-

pra; et iunctim pro executione omnium praemissorum idem dux eiusdem Caesareae Maiestatis et sacri romani imperii electorum catholicorum auctoritatem, brachium et vires etiam nunc pro tunc efficaciter imploret.

Quarto, promittat etiam dux Volfgangus pariter sub verbo principis, quamprimum poterit, e latere coniugis ministros ac sectatores haereticae pravitatis amovere, et famulos et officiales catholicos pietate insignes circa ipsam constituere, ut Deo adiuvante, abdicata haeresum impietate, eandem ut thori sic et fidei sociam habeat.

Quinto, inter ipsos principes Volfgangum et Catharinam novus iterum per verba de praesenti publice, vel secreto intercedat consensus coram parocho et testibus.

Sexto, de his omnibus praemissis obligationibus dux Volfgangus publicum instrumentum confici, et confectum ad Sedem Apostolicam transmitti cum effectu se curaturum sub eodem verbo promittat.

Nec non sub his aliis postmodum adimplendis conditionibus executionem tamen gratiae non retardaturis, ut 1. Dux Volfgangus principem coniugem cavere moneat, ne ipsorum cohabitatio in contumeliam Creatoris redundet, nullaque ratione permittat quicquam publice aut privatim apud principem conjugem agi proferrive, quod redolere possit novatorum errores. 2. Coniugem suam commoneat, quatenus si non resipiscat in Domino, sed in errore persistat, ipsam graviter peccaturam, si ad hoc unum ex Ecclesiae Sacramentis accedat, antequam Romanam Ecclesiam communem fidelium matrem agnoscat. 3. Enixe operam det, ut Caesar, Rex Hispaniarum, Isabella Belgii Infans, Electores, Principes ac Praesules, qui pro impetranda dispensatione intercesserunt, pro viribus curent, ut principissa Catharina ipsius Ducis exemplum imitetur. 4. Quam citius dilecto filio suo Catholico ex praemortua coniuge suscepto Catholicam coniugem deligere satagat, ne is forte patris exemplum imitetur, hocque malum veluti haereditarium ad posteros transmittatur; verum hac via omnibus ipsius Volfgangi ducis filiis aditus ad id attentandum intercludatur, ut omnes plane intelligant, Apostolicam Sedem huiusmodi connubia vehementissime aversa-

ri. 5. Permittat, imo curet, Principem Catharinam coniugem suam in Catholica Fide a piis et orthodoxae religionis viris instrui, quo ipsa pluribus sibi praedicantibus verbum Dei ac uni tantum viro suo non tam facile resistat.

25.[a]

Sententia Consistorii Protestantici Dresdensis super matrimonio mixto, parte una Catholica de 5. Mai 1620.

Uns ist euer Schreiben, betreffend die vorhabende Verehelichung eurer Tochter mit C. T. so der päbstlichen Religion zugethan, recht eingehändigt worden, und haben wir euer Begehren nach Nothdurft daraus verstanden. Hierauf wir auch zur Antwort euch nicht bergen wollen: wann ihr sambt euer Schwieger und Tochter Beliebung traget, gedachten C. T. zum Eydam und Mann auf- und anzunehmen, dessen hiernebens vergewissert seyd, dass eure Tochter in unserer wahren und seligmachenden Religion dermassen fundiret und gegründet, dass nicht zu befahren sie etwa von dem Manne inskünftig verführet und zu dem Pabstthumb verleitet, vielehe aber er durch sie zu unserer göttlichen Lehre wiederumb gebracht werden möchte: so ist euch ungewähret, und stehet in eurem und der eurigen Gefallen, ob ihr den bittlichen Suchen und Werben C. T. stattgeben wollet; und auf diesen Fall könntet ihr eure Tochter, dass sie in ihrer Religion imperturbiret bleibe, die Kinder auch, so der Allmächtige ihr während dem Ehestande bescheren thäte, in unserer evangelischen lutherischen Lehre entweder selbst, oder nach ihrem Tode durch andere zu erziehen Macht haben solle, genugsame Versicherung aufrichten lassen. Da aber entweder ihr oder eure Tochter euch eines anderen besorgen thätet (wie denn freylich nicht allzeit dergleichen Ehe zwischen zweien wiederwärtigen Religions-Personen ohne Gefahr und Beschwer ist), so werdet ihr euch selbsten auf allen Theilen der Gebühr nach zu bezeugen und zu verhalten wissen. Ob aber jemand de facto euch oder den eurigen diessfalls etwas aufrücken oder hieran weil in diesen Landen es gar ungewöhnlich ist, dass ungleicher Religion zugethane Personen einander ehelichen, sich ärgern

möchten, können wir unsers Theils nicht wissen, welches wir euch zur Antwort ertheilen wollen, und seyn euch freundlichen Willen zu erzeugen geneigt.

25.b.

Sententia Facultatis theologicae Jenensis.

Es ist dieses unsere richtige Meinung, dass zwar christliebende Aeltern und Kinder sollten vor allen Dingen darauf bedacht seyn, nach dem Exempel der Heiligen sich weder mit den Hethitern noch Canaanitern zu befreunden; sondern mit denen sie wollen ein Fleisch werden, zuvor auch und hernach eines Geistes und Glaubens wären, sintemal die communio bonorum spiritualium viel würdiger und höher, denn corporalium, und es ist am Tage, was für Unheil und Ungemach zwischen Eheleuten erfolge, und wie die Kinder gerathen, wenn das rechte Band ehelicher Liebe, so da ist unitas et paritas fidei, getrennet. Dahero auch sowohl die Aeltern als die Kinder von solcherlei connubiis in Zeiten durch emsiges Warnen und thunliche Mittel abzuhalten und zu verhindern; sollten aber hierin beständige und verbindliche Ehegelöbnisse mit und durch vollständigen und wohlbedachten Consens der Aeltern getroffen und geschlossen sein, so wollen dieselbigen sich nicht wiederum kassieren und rescindiren lassen; denn wie aus dem 7. Cap. I. Cor. und aus der praxi ecclesiae zu befinden, discrepantia fidei non solvit vinculum matrimonii. Doch werden lutherische Prediger der Kopulation halber billig Bedenken haben, solche denen wiederfahren zu lassen, die ihres Glaubens niemals gewesen noch werden wollen.

Monumenta ad Epocham II. a Pace Westphalica usque celebres Constitutiones Benedicti XIV. pro Hollandia et Belgio de an. 1741.

26.

Pacis Westphalicae die 24. Octobr. 1648. conclusae Articulus V. de gravaminibus ecclesiasticis.

I. *1. Transactio Passaviensis, et Pax Religiosa custodiantur. Aequalitas sit Catholicos inter et Protestantes. Transactio* anno 1552. *Passavii* inita, *) et hanc a. 1555. secuta Pax Re-

*) Articuli Transactionis Passaviensis et Pacis Religiosea huc spectantes ita sonant: *§. 15. A. C. Verwandte nicht zu beschädigen, und wie die Religion zu vergleichen.* Und damit solcher Fried auch der spaltigen Religion halben, wie aus hiervor gemeldten und angezogenen Ursachen die hohe Nothdurfft des heil. Reichs Teutscher Nation erfordert, desto beständiger zwischen der Röm. Kais. Maiestät, Uns, auch Churfürsten, Fürsten, und Ständen des h. Reichs Teutscher Nation angestellt, aufgericht und erhalten werden möchte; so sollen die Kais. Maiestät, Wir, auch Churfürsten etc. keinen Stand des Reichs von wegen der Augspurgischen Confession und derselbigen Lehr, Religion und Glaubens halb, mit der That gewaltiger Weiss überziehen, beschädigen, vergewaltigen oder in andere Wege wider sein Conscienz, Wissen und

ligionis — in omnibus suis capitulis, unanimi Imperatoris, Electorum, Principum, et Statuum utriusque Religionis consensu initis ac conclusis, rata habeatur, sancteque et inviolabiliter servetur. Quae vero de nonnullis in ea Articulis controversis hac Transactione communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictae Pacis declaratione tam in iudiciis, quam alibi observanda habebuntur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa convenerit; non attenta cuiusvis seu Ecclesiastici seu Politici intra vel extra Imperium quocunque tempore interposita contradictione vel protestatione, quae omnes inanes et nihili vigore horum declarantur. In reliquis omnibus autem inter utriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes et singulos sit aequalitas exacta, mutuaque, quatenus formae Reipublicae, constitutionibus Imperii et praesenti Conventioni conformis est, ita, ut quod uni parti iustum est, alteri quoque sit iustum, violentia

---

Willen, von dieser Augspurgischen Confessions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht, oder nochmals aufrichten möchten in ihren Fürstenthumen, Landen und Herrschaften, tringen, oder durch Mandat, oder in einer anderen Gestalt beschweren oder verachten, sondern bei solcher Religion, Glauben etc. ruhiglich und friedlich bleiben lassen, und soll die streitige Religion nicht anders, dann durch christliche, freundliche, friedliche Mittel und Wege zu einhelligem christlichen Verstand und Vergleichung gebracht werden. — *§. 20. Geistliche Jurisdiction suspendirt.* Damit auch obberührte beederseits Religions-Verwandte, soviel mehr in beständigem Frieden und guter Sicherheit gegen und beieinander sitzen und bleiben mögen, so soll die geistliche Jurisdiction wider der Augspurgischen Confessions-Verwandten — bis zu endlicher Vergleichung der Religion nicht exercirt, gebraucht oder geübt werden, sondern derselbigen Religion — ihren Gang lassen, und kein Hinderniss oder Eintrag dadurch beschehen, und also hierauf — die geistliche Jurisdiction ruhen, eingestellt und suspendirt seyn und bleiben etc.

omni et via facti, ut alias, ita et hic inter utramque partem perpetuo prohibita.

§. 8. Neutra pars alteram deprimat. Neutra vero pars suae Religioni adhaerentium potentia ad deprimendam alteram abutatur, aut maiorem numerum directe vel indirecte ad dignitates Praesidum etc. aggregare praesumat.

XVII. §. 50. Utriusque Religionis Magistratus severe et rigorose prohibeat ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam, vel hanc inprimis sive declarationem sive transactionem uspiam, impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur. Quicquid etiam contrarii hactenus vel editum, vel promulgatum, publicatumve fuerit, irritum esto: sed si dubii quid hinc aliunde incidat, aut ex causis Pacem Religiosam aut hanc Transactionem tangentibus resultet, de eo in Comitiis vel aliis Imperii Conventibus inter utriusque Religionis Proceres nonnisi amicabili ratione transigatur.

27.

Protestatio Sedis Apostolicae contra Pacem Westphalicam de 20. Novemb. 1648.

Innocentius PP. X. Ad perpetuam rei memoriam. Zelo domus Dei animum nostrum assidue commovente, in eam praecipue curam sedule incumbimus, ut orthodoxae Fidei integritas, ac Ecclesiae Catholicae dignitas et autoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quaerunt sua potius, quam quae Dei sunt, facto iura Ecclesiastica, quorum assertores a Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, Nosque supremo Judici rationem villicationis nostrae reddituri negligentiae in credita Nobis administratione arguamur. Sane cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures (Pacis Westphalicae) articulos gravissime Religioni Catholicae, divino cultui, Sedi Apostolicae et Romanae, ac inferioribus Ecclesiis, Ordinique Ecclesiastico, ac iurisdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemtionibus, privilegiis, rebus, bonis ac

iuribus illorum illata fuerunt praeiudicia. — — Pro commissi Nobis ex alto Pastoralis officii debito providere volentes, — motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictos Articulos, ceteraque in dictis Instrumentis contenta, quae Catholicae Religioni — quomodolibet officium seu praeiudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, et alias nocere, seu nocuisse, quoquomodo dici, intelligi, praetendi, vel censeri possent, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu vacua omnino fuisse, esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum — observantiam teneri — tenore praesentium decernimus et declaramus.

28.

Transactio inter Electorem Brandeburgicum, et Comitem Palatinum Neoburgi de 26. April. 1672.

Art. IX. §. 4. In denen Fällen aber, wenn zwischen römisch-katholischen und evangelischen Unterthanen Ehestreit vorfällt, folget der Actor das forum rei, und wird der Evangelische nach dem von den Evangelischen angenommenen, der Römisch-Katholische aber nach dem römisch-katholischen geistlichen Rechte insonderheit in puncto divortii et repudii gerichtet.

Art. X. §. 5. Wenn von unterschiedlichen Religionsgenossen Heyrathen geschehen, sollen die proclamationes in eines jeden seiner Religion Kirchen ordentlich verrichtet, dimissoriales hinc inde vor die gewöhnliche Gebühr gefordert, jedoch unbedinglich und unweigerlich gegeben werden; die neuen Eheleute aber sich bei ihrer Religion Predigern unbehinderlich copuliren lassen, dieser Gestalt jedoch, dass wenn sie differenter Religion seynd, die Braut dem Bräutigam in puncto der Copulation folgen solle.

29.

Decretum C. Coloniensis de an. 1651.

Decret. Synod. Par. IV. de Sacr. Matrim. §. 25. Propter evidens salutis animarum periculum Pastores, Vice-Pastores,

et Verbi Dei praecones saepius in concionibus significent, praeter legem naturalem et divinam esse etiam Ecclesiae Catholicae prohibitionem: ne fideles cum haereticis matrimonia ineant, eiusque impedimenti rationem habeant singularem. Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepet fides? cum verum sit illud *S. Hieronymi:* „Nusquam fidei affectus, ubi diversa fides"; pro hac igitur materia legant Parochi, atque Vice-Parochi insignem Divi Ambrosii Epistolam ad Virgilium Episcopum Tridentinum inter opera S. Ambrosii. Itaque non minorem rationem habeant huius inquisitionis in faciendis proclamationibus, quam reliquorum impedimentorum. Et si utrumque vel alterum coniungendorum haeresi infectum, aut non temere suspectum inveniant, eos non coniungant, nisi prius haeresi eiurata orthodoxae fidei professionem emiserint.

30.

Decretum Joannis Wilhelmi Electoris Palatini de educatione prolium e matr. mixtis, dd. 29. April. 1701.

Um sämmtlichen Unterthanen die ganze Gewissensfreiheit ohne einigen Zwang angedeihen zu lassen, soll jenen protestirenden Unterthanen, welche während der fransösischen Occupation die Katholische Religion angenommen, nach erfolgtem Frieden aber wieder verlassen, und zur reformirten umgetreten, keine fernere Zumuthung hierüber geschehen, sondern einem Jeden frei stehen, zu was für einer Religion aus den dreien im Reiche tolerirten er nach Belieben sich bequemen wolle. — — Belangend die Erziehung der in gemischten Ehen erzielten Kinder soll die Verordnung vom 28. Juni 1694. nach welcher alle actus parochiales von jenem Pfarrer vorzunehmen sind, von dessen Religion das Caput Familiae, der Mann im Hause ist, festiglich gehalten werden.

31.

Decretum Electoris Palatini de matrimoniis mixtis dd. 21. Novemb. 1705.

Von Gottes Gnaden Wir Johann Wilhelm, Pfalzgraf bei Rhein etc. Nachdem Wir von Anfang Unserer in Unseren

Churpfälzischen Landen angetrettenen schweren Regierung Uns vornehmlich unter andern beflissen, denen zwischen Unsern Unterthanen vor und nach ihrer differenten Religion und deren Exercitien halber angewachsenen Irrungen vorzukommen, und solchen nach Möglichkeit abzuhelffen: so haben Wir auch zu diesem Ende von Zeit zu Zeit wohlmeinende Verordnungen ertheilet, und nichts unterlassen, was Wir zu Erhaltung obigen Zwecks zulänglich zu seyn erachtet. Nachdem Wir aber gegen alles Verhoffen dennoch vernehmen müssen, dass auch dadurch Unsere heilsame Intention nicht allerdings assequiret worden, weilen Unsere der Reformirten Religion beygethane Unterthanen durch verschiedene eingeschlichene Missbräuche und Excesse einigermassen beschweret zu seyn vermeinen wollen; also haben wir absonderlich auf verschiedene Unserer Aliirten und auswärtigen Potentien bei Uns eingewandten ansehnlichen Recommandationes zu Beybehaltung der Unseren Unterthanen so nöthiger Einigkeit, diese hernachfolgende unveränderliche Verordnung in Unserm Churfürstenthum der Pfalz und zugehörigen Landen kraft dieses gnädigst publicirt, befehlen auch und verordnen solchem nach gnädigst und ernstlich:

§. 1. Von nun an soll *allen* den drei im römischen Reiche recipirten *Religionen* zugethanen *Unterthanen* durchgehends in obgedachten sämtlichen Churpfälzischen Landen, in specie in dem Oberamt Germersheim, die *vollkommene Gewissensfreyheit* — ungehindert gelassen, und dieselbe keineswegs weder beeinträchtiget noch turbiret — werden.

§. 2. Diesemnach kann ein Jeder eine der dreien im Römischen Reich erlaubten Religionen öffentlich bekennen, und ohne Hinderung, Alt und Jung, wann diese annos discretionis, die völlige Gewissensfreyheit gänzlich geniessen, auch nach Belieben von einer Religion nach der andern sich begeben, zu welchem Ende alle dissfalls der obgedachten Gewissensfreyheit entgegenlauffende, in der Untern-Pfalz und Oberamt Germersheim etwa ergangene Mandata hiemit aufgehoben seyn sollen.

§. 3. In *matrimoniis mixtis stehet denen Eltern frey*, ihre Kinder in der Religion tauffen zu lassen und zu erziehen

wie es die Ehe-Gerichts-Ordnungsmässige Ehepacta, oder ihre stante matrimonio beschehene authentische Abrede mit sich bringet; wo aber weder Ehepacta noch dergleichen Abrede, soviel diesen Punct angehet, befindlich, da folgen die Kinder dem *Capiti familiae*, jedoch bleibt denen Kindern, wie obgedacht, die vollkommene Gewissensfreyheit, wann sie ad annos discretionis kommen, auch dem *letztlebenden Vater oder Mutter* bevor, die Kinder *nach Belieben in ihrer Religion zu erziehen.* Wann von unterschiedlichen Religions-Genossen Heyrathen geschehen, sollen die Proclamationes in eines jeden seiner Religion Kirchen, ob sie gleich in einer Stadt oder Kirchspiel wohnhaft, ordentlich verrichtet, Dimissoriales gefordert, jedoch unbedinglich und unweigerlich, auch unendgeldlich gegeben werden, und soll in Puncto der Copulation die Braut dem Bräutigam folgen, sonsten aber die katholische Geistlichkeit und Pastores keine evangelische Religions-Verwandte, und vice versa die evangelische Prediger keine römisch-katholische ohne Dimissorialibus ihrer Priester, Pastoren oder Predigern zusammengeben.

§. 4. Denen Pupillen werden Vormündere von der Religion verordnet, in welcher sie nach denen Ehepacten, oder his deficientibus nach der hievor gesetzten Regul, erzogen werden müssen.

§. 7. Die Evangelischen sollen nicht gehalten seyn, die geschlossenen Zeiten nach katholischen Kirchengebrauche bei Heyrathen zu beobachten.

§. 14. In denen Fällen, wann zwischen katholischen und evangelischen Unterthanen Ehestreit vorfällt, folget der Actor das forum rei, und wird der Evangelische nach denen von Evangelischen angenommenen, der Katholische nach den katholischen geistlichen Rechten insonderheit in puncto divortii et repudii gerichtet; ratione dispensationis in matrimonialibus quoad gradus prohibitos wollen Wir es nach der Churpfälzischen Ehegerichtsordnung halten, und also denen Evangelischen das Recht nach ihrer Religion gedeihen lassen.

32.

Resolutio Ducis Bipontini de 10. Junii 1720.

— — Sonderlich aber sollen alle wegen Erziehung der Kinder von differenter Religion Eltern gemachte Reglements hiermit aufgehoben seyn, und den Reichsconstitutionen gemäss eine durchgehende Gewissensfreiheit verstattet, mithin einem Jeden eine von den im römischen Reiche recipirten christlichen Religionen anzunehmen, und denen *Eltern vor oder während der Ehe sich dessfalls mit einander zu vergleichen frei stehen;* wo aber die Eltern sich nicht mit einander vergleichen können oder wollen, oder die Kinder noch nicht annos discretionis erreicht, soll es in so weit zwar, dass die Söhne dem Vater, die Töchter aber der Mutter zu folgen bei den frühern Reglements verbleiben, dabei aber aller Zwang gänzlich unterlassen, und den Kindern wenn sie zumalen die annos discretiones erreichet, ihr freier Wille gelassen, und da wider Verhoffen einige Differenzien dessfalls entstehen sollten, solche bei dem Oberconsistorium coniunctim untersucht und ausgemacht werden.

33.[a]

Constitutio Würtembergica circa mixta matr. ex an. 1687.

Wenn sich Jemand in diesem Herzogthum und Landen gegen einer Person widriger, der wahren alleinseligmachenden evangelischen Religion nicht zugethanen Person von den Unterthanen dieses Herzogthums ehelich begehrte einzulassen und solches an das Ehegericht berichtet würde, so sollen dergleichen Personen fleissig davon abgemahnt, denselben die grosse Seelengefahr beweglich vorgestellt, auch die Aeltern erinnert werden, ihren Willen nicht darein zu geben; sollte aber solches Alles nichts verhelfen, so sollte ihnen gleichwohl die Ehe nicht gesperrt, sie jedoch in diesem Herzogthume ohne besondern gnädigsten Befehl nicht kopulirt, anbei aber dem evangelischen Theile eingerathen werden, an einem evangelischen Orte ausser Landes sich kopuliren zu lassen und die Predigten und Sacramente in Orten unserer Religion zu besuchen, auch ihre Kinder künftig in derselben zu erziehen.

33.b.

Rescriptum Generale dd. 24. Nov. 1713.

Fremde Religionsgenossen, die durch Dispensation Erlaubniss erhalten haben, eine der evangelischen Religion zugethane Person zu heurathen, sollen auch zur Vermeidung von allerhand Inconvenienzen nicht mehr ausser Lands, sondern im Lande, und zwar in demjenigen Ort, wo der evangelische Theil wohnhaft und verbürgert ist, in der evangelischen Kirche durch den Pfarrer des Orts getraut werden.

34.

Resolutio Marchionis Brandenburgici de 4. Maii 1711.

Wir und unsere Nachkommen wollen die der evangelisch-lutherischen Religion, die wir selbst bekennen, zugethanen Einwohner in unsrer besondern Protektion erhalten. — Damit auch rücksichtlich der kirchlichen Rechte und Handlungen unter den unserm Glaubensbekenntniss zugethanenen Evangelisch-Lutherischen und den Reformirten künftig alle Differenzen verhütet bleiben mögen, so wollen Wir und unsere fürstliche Regimentsnachfahrer es bei unserm vor wenig Jahren gnädigst ertheilten Decisio fernerweit beständig bewenden lassen, dass nämlich, wenn unter den Eheleuten keine Verträge diessfalls vorhanden, welchen sonst nachzukommen wäre, das Haupt der Familie dergestalt angesehen werden soll, dass, wenn der Mann französisch-reformirt, er auch bei solcher Kirche das Kirchenrecht suchen, die Teutsch-Reformirten aber bei der teutsch-reformirten Gemeine das ihrige nehmen, und da das Haupt der Familie lutherischer Religion, auch bei der lutherischen Kirche die Kirchlichen Akte gesucht und begangen werden sollen. Was aber die der päpstlichen Religion zugethanenen betrifft, welche entweder dermalen schon in Christian-Erlangen wohnen, oder künftig an eine der evangelisch-lutherischen oder reformirten Religion anhängige Manns- oder Weibsperson sich dahin verheirathen, und sofort sich allda festsetzen werden, die sollen zwar für sich bei ihrer Religion und Gewissensfreyheit verbleiben, und ihren Gottesdienst auserhalb der Stadt in katholischen Kirchen ungehindert be-

suchen, dabei aber schuldig und gehalten sein, nicht allein alle Actus, als Taufen, Kopuliren, und Begräbnisse bei der evangelisch-lutherischen Kirche und Gemeine in Christian-Erlang verrichten, sondern auch ihre Kinder beiderlei Geschlechts allstets bei der evangelischen Religion allda erziehen und unterrichten zu lassen, sie zur Kirche und Schule fleissig zu halten, und daran im Geringsten nicht zu hindern, oder auf ein oder ander Weise noch Wege abzuhalten oder zu stören, sie die Eltern auch für sich selbst und deren Gesinde gegen die beiden evangelischen Religionen, wie sich's gebührt, sich sittsam und bescheiden aufzuführen und zu bezeigen.

35. 36.

Resolutiones Electoris Brunsvico-Lüneburgici circa mixta matrimonia dd. 19. Febr. et 4. Mart. 1710.

Res. de 19. Febr. Wenn des zu taufenden Kindes Vater katholischer Religion und in der Eltern Heiraths-Kontrakt nicht bedungen ist, dass die Kinder aus selbiger Ehe in der evangelischen Religion erzogen werden, so wird verstattet, dass die katholischen weltlichen Priester die Taufe der Kinder verrichten mögen.

Res. de 4. Mart. Wenn der Vater oder die Mutter des zu taufenden Kindes evangelischer Religion sind, und in ihrem Heiraths-Kontrakt ausgemacht ist, in welcher Religion ihre Kinder erzogen werden sollen, so taufen die katholischen weltlichen Priester diejenigen von solchen Kindern, welche vermöge gedachten Heiraths-Kontrakts in der katholischen, und die evangelischen Pfarrer diejenigen Kinder, welche vermöge des Heiraths-Kontrakts in der evangelischen Religion erzogen werden sollen. Wenn aber mittelst der Eltern-Heiraths-Kontrakt nicht abgeredet ist, in welcher Religion die Kinder selbiger erzogen werden sollen, und der Vater katholisch, die Mutter aber evangelisch ist, so lassen Ihro Churf. Durchlaucht aus besonderen Gnaden geschehen, dass gedachte katholische Priester indistincte alle Kinder beiderlei Geschlechts taufen mögen, ohne darauf zu reflektiren, ob die Kinder in der katholischen oder evangelischen Religion zu erziehen.

37.

Resolutio eiusdem Electoris de 25. April. 1712.

Was die Religion, in welcher die aus einer Ehe mixtae religionis erzeugten Kinder zu erziehen, anlanget, so soll in dem Fall, wenn in den Ehepacten deshalben nichts praecise verordnet ist, es so gehalten werden, dass wenn der Vater evangelisch und die Mutter römisch-katholisch ist, alle Kinder aus selbiger Ehe utriusque sexus in der evangelischen Religion zu erziehen; wenn aber der Vater römisch-katholisch und die Mutter evangelisch ist, die Söhne regulariter in des Vaters und die Töchter in der Mutter Religion zu erziehen. Wenn jedoch ein Kind, welches nach den obgesachten principiis in der römisch-katholischen Religion zu erziehen wäre, nachdem es ad annos discretionis gekommen, von denen Gründen der evangelischen Religion informirt worden, und folgends sich zu der evangelischen Religion zu bekennen freiwillig Neigung und Belieben trägt: so steht ihm solches frei, und es ist davon auf keine Weise abzuhalten. Ausser der Ehe erzeugte Kinder sollen von den evangelischen Pfarrern getauft werden, obgleich die Mutter katholisch ist, inmassen über solche Kinder kein respectus väterlicher Gewalt statt hat, der Vater auch gemeiniglich unbekannt und ungewiss ist.

38.

Decretum Caroli VI. Imperatoris circa educationem religiosam prolium e mixtis matrimoniis pro Silesia, dd. 27. Jul. 1716.

Demnach Wir Uns wegen Erziehung derer von zweierlei unterschiedenen Religionen erzeugten Kinder aus sonderbaren erheblichen Ursachen dahin allergnädigst resolviret, dass *ad exemplum der im heiligen Römischen Reich introducirten und beobachteten Observanz in eum casum, wenn keine schriftliche Ehepakten ratione educationis prolium in hac vel illa religione vorhanden, die Söhne nach des Vaters, die Töchter aber nach der Mutter Religion erzogen werden sollen.*

39.

Resolutio Gubernii Vratislaviensis dd. 2. Januar. 1720.

Es hat das hiesige bischöfliche General-Vikariat mehrmalen von zweierlei Religions-Eltern erzeugten Kinder den entweder secundum sexum partis catholicae oder zufolge bestehender Stipulation in dem alleinseligmachenden Glauben nicht erzogen werden, nahmhaft gemaht, welchen wir dem Herrn zu dem Ende kommuniciren, auf das die schleunige und nachdrucksame Remedirung dem petito ermeldter Geistlicher Instanz sowohl, als unseren ehemals schon in Sachen erlassenen Verordnungen gemäss cum effectu ein Genüge geleistet werden möge. Übrigens und weilen wahrgenommen gewesen, dass die Verführung der quaestionirten Kinder zu dem Lutherischen meistentheils unter lutherischen Herrschaften und insonderheit, wenn der katholische vor dem lutherischen Theile mit Tode abgeht, sich zu ereignen pflegt, so will der Herr sicht nicht entgegen sein lassen, es mit erforderlichem Nachdrucke dahin anzulegen, dass die untergebenen Landsassen in dergleichen Vorfallenheiten, wenn nemblich ein katholischer Vater nebst einem lutherischen Weibe einen oder mehr Söhne, ingleichen eine katholische Mutter nebst einem lutherischen Ehemann einige Töchter hinterliesse, solche nachgelassene resp. Söhne oder Töchter mit katholischen Tutoribus, oder wo die lutherischen Vater beym Leben bleiben, mit Inspectoribus, welche ihre Edukation in fide salvifica zu besorgen hätten, bevormunden oder versehen, wo aber keine katholischen dazu taugliche Subiecta anzutreffen, de casu in casum dem fürstlichen Amte schleunige Nachricht davon ertheilen, gestalten nach Beschaffenheit der Umstände — entweder mit denen ordentlichen katholischen Pfarrern umb andere Expedientia zu verkehren, allermassen auch mit der bischöflichen Administration deswegen das behörige verabredet werden, deswegen zu konferiren.

40.

Eiusdem Gubernii dd. 15. Januar. 1720.

Die Ausschlüsse ergeben, was Gestalt verschiedene von zweierlei Religions-Eltern erzeugte Kinder, sogar dem Ge-

schlecht nach von der Religion des katholischen Theils wider so ernstgemessen kaiserliche allergnädigste Ansmessungen und Generalia abgewendet werden wollen. Wann dann derlei Untermessungen mehr strafbar als zulässig, und solche dahero auf alle Weise zu unterbrechen seynd; so ergeht hiermit die ernstgemessene Verfügung, die nöthige weitere Fürkehrung mit solchem ausgiebigem Nachdruck zu thun, womit dem dissfälligen kaiserlichen allergnädigsten Befehl das pflichtmässige Genüge geleistet werden möge, und da der Herr über alles Vermuthen einige Nachsicht vorblicken lassen sollte, man auf andre Vorkehrung zu gedenken gemüssigt seyn würde.

41.

Eiusdem Gubernii dd. 12. Junii 1720.

Es sei bekannt geworden, dass verschiedene von zweierlei Religions-Eltern erzeugte Kinder von der Religion des katholischen Theils sogar dem Geschlechte nach abgewendet, und absque discrimine sexus in dem Lutherthumb erzogen werden wollen. Wie nun aber dagegen unverborgen ist, dass vermöge der im Lande publicirten so gemessenen kaiserlichen Generalien die Söhne nach der Religion des katholischen Vaters, ingleichen die Töchter nach dem Glauben der katholischen Mutter, wie es ohnediess die natürliche Billigkeit von selben erheischt, unweigerlich educiret werden sollen, und man keineswegs nachgeben kann, dass derley ernstgemessene kaiserliche Befehle zum grössten Abbruche des alleinseeligmachenden katholischen Glaubens wilkürlich übertreten werden sollen; also ergeht die oberambtliche Verfügung, gleich bei Empfang dieses die weitere nachdenksame und ernstliche Veranstaltung dahin zu thun, auf dass die benannten eilf Kinder an ihre ordentliche katholische Pfarrer zur Instruktion in principiis fidei salvificae ohne alle Widerrede gewiesen, und sofort zur Religion des katholischen Theils obverstandenermaassen gehalten, die Renitenten aber zur wohlverdienten Strafe gezogen werden mögen.

42.

Instructio Vicariatus Vratislaviensis ad Parochos dd. 14. Nov. 1724.

Omnes, et singulos curam animarum exercentes in re, quam quidem aliunde ignorare non censentur, harum vigore ex superabundanti admonemus, ut, priusquam personas diversae religionis invicem matrimonio iungant, quovis modo opportuno partem heterodoxam ad fidem catholicam convertere studeant, denegando etiam, si ita expedire visum fuerit, eisdem aliquamdiu copulationem, vel pro ea exoranda partem renitentem ad Nos remittant. Si vero tentatis mediis omnibus intentus effectus non sequatur, ad copulationem non aliter procedant, nisi dicta pars heterodoxa scripto, vel si scribere fortassis nesciat, saltem oretenus coram testibus in vim iuramenti pridie stipuletur se absque ulla contradictione admissuram, ut omnes ex tali matrimonio procreandae proles sine discrimine sexus, mortuo etiam coniuge et respective parente catholico, in fide Romano-Catholica educentur; quam deinde stipulationem in libro copulatorum fideliter adnotent et per ipsam partem stipulantem aut eius nomine per alium ad hoc specialiter rogatum in futuram rei memoriam subscribere faciant.

43.

Decretum Caroli VI. Imp. de educatione religiosa prolium ex matr. mixtis, dd. 22. Nov. 1737.

Kinder aus gemischten Ehen sollen, wenn nicht pacta antenuptialia vorhanden sind, nach dem Unterschiede des Geschlechtes, wenn aber deren da sind, diese beobachtet werden. Gegen diejenigen, welche dergleichen Kinder vertuschen, soll zwar Schärfe, aber doch mit Behutsamkeit und Discretion gebraucht werden. Die schon bis zum zwanzigsten Jahre in dem lutherischen Glauben erzogen worden (und welche nach dem Gesetze dem katholischen Glauben angehört hätten) und durch den Unterricht nicht resipisciren wollen, mit denen soll man connivendo verfahren, und (jedoch mit guter Art und Bescheidenheit) bei ihrer Verheirathung dahin sehen, dass wenigstens ihre Kinder (für die katholische

Kirche) gewonnen werden. Wenn dergleichen Stipulationen geschehen, in die Kirchenmatrikel eingetragen sind und keine Gegenbeweise stattfinden, so mögen diese zwar quoad praeteritum gelten, quoad futurum aber soll man weitere Resolution gewärtigen. Es sollen die Geistlichen Verzeichnisse von den Kindern halten, die entweder per stipulationem oder per pacta in der katholischen Religion erzogen werden sollen.

44.

Constitutio Syn. Varmiensis de an. 1726.

*Cap. XVII. de conservanda puritate **Religionis Catholicae.***

Sapientiae aeternae parabola monemur, quantum somnolentia et ignavia hominum agro Dominico nociva et perniciosa fuerit: cum dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania. Vigiles igitur Christus habere vult operarios, qui Verbi Divini semen in cordibus spargant audientium, ut germinis inepti evulsione bonique praeparatione et cultura multiplicem laborum suorum afferant fructum. Reassumimus itaque pragmaticas Provinciae seu Dioecesis huius Varmiensis Constitutiones, signanter Illustrissimi *Mauritii* de an. 1526. die 22. Sept. cum Venerabili Capitulo Varmiensi conditam, qua vetitum est illos, qui antiquissimam in his oris plantatam Fidem Catholicam non profitentur, in hac Dioecesi tolerare. Quare commorantes in hac dioecesi haeretici, quomodolibet possessionati, elapso anno abscedant et exesse cogantur adhibito quovis brachio seculari tam officialium nostrorum castrensium, quam etiam magistratuum in oppidis. Nec licitum ipsis sit bona immobilia emere, aut arendae vel quocunque titulo tenere, etiam ad brevissimum tempus, sub nullitate contractus. Denique licet ex coniugatis unus sit Catholicus, et alter intra annum non convertatur, abire compellatur, minus vero licet illis pacisci de prole suscipienda, ut secundum sexum Catholicam fidem vel haereticam sectam sequatur, sub poenis arbitrio nostro dictandis rigorosissimis.

45.

Constitutio Ritualis D. Hildesheimensis antiqui.

Quoad coniugium Catholicae cum haeretico aut vice versa noverit Parochus, illud graviter illicitum esse Jure Eccle-

siastico, et etiam si adsit periculum perversionis contrahentis vel malae educationis prolium, repudii, vel alterius scandali, Jure Naturali. Unde sequitur Sponsalia pariter de tali matrimonio non obligare, cum sint promissio de re turpi et illicita. Nec licitum facit tale matrimonium si conveniatur ut una pars prolium sequatur fidem patris acatholici aut vice versa: tale enim pactum est illicitum et irritum, cum sit contra obligationem parentum, qui tenentur omnes proles educare in vera fide.

46.

Breve Innocentii XI. ad Maximilianum Bavariae Electorem, quo hunc ad ponendum de ineundo mixto connubio consilium hortatur, dd. 16. Aug. 1681.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc. Bavaricam domum tuam, tot tantisque in Catholicam Religionem et in hanc Sanctam sedem meritis praeditam et illustrem, Romani Pontifices praedecessores Nostri praecipuo quodam paterni amoris sensu complexi semper fuerunt, ac tamquam firmissimum orthodoxae fidei in Germania propugnaculum omnibus, quae a Pontificia liberalitate proficisci potuere, potentiae praesidiis et dignitatis ornamentis augere studuerunt. Nos quidem statim ac ad Catholicae Ecclesiae gubernacula, Deo ita iubente, evecti sumus, nihil atiquius habuimus, quam ut Ferdinandum patrem tuum, insignis pietatis ac prudentiae, et plane filialis in sedem Apostolicam observantiae principem, una cnm reliqua domo sua, quibuscunque possemus paternae caritatis officiis prosequeremur. Quibus ille egregia grati religiosique animi alacritate magno cum Nostro in tam gravibus curis solatio, nec minore cum sua laude comulate respondit. Sed peccata nostra passa non sunt, illud nobis gaudium esse diuturnum, erepto impraevisa vi morbi in ipso aetatis flore et alienissimo Christianae reipublicae tempore eodem patre tuo. Quo sane vulnere incredibiliter perculsus animus noster nullum praestantuis allevamentum invenit tuae exspectatione virtutis, qui editis statim pluribus verae pietatis et, semilis prudentiae documentis uberes in tam viridi aetate

educationis paternae fructus spopondisti; neque nos occasioni defuimus, aut defuturi unquam sumus, tam praeclaram inditam tibi divinitus indolem excitandi paternae nostrae benevolentiae documentis; sed interim dissimulare non possumus, sine manifesta pastoralis officii nostri, et incredibilis, qua te, dilecte fili, in visceribus Christi gerimus, caritatis iniuria, sollicitudinem sane assiduam ac molestam, quae animum Nostrum de tua existimatione atque aeterna salute, deque consecuturis ex tuo ipsius periculo in Germaniam universam et religionem catholicam malis anxium habet, postquam accepimus, te, dum plures tibi ad matrimonium suppetunt principes virgines ex clarissimis primariisque Europae familiis genere, opibus, forma, et quod caput est, animi religione ac virtute praestantes, animum adiecisse uni ex Lutherana secta principi, non alia maioris momenti dote illectum, quam oris vultusque specie ac dignitate, quae res in privatorum nuptiis alicuius fortasse pretii, in Principum thalamis, quos causae publicae amor inflammare unice debet, nullius haberi solent. Non quod vereamur, ne haereticam ducas, id enim nemo, qui norit, quam sit hoc christianae disciplinae moribus absonum, et quam tu in ea colenda observandaque religiosus, adduci posset ut crederet; neque si te in eam cogitationem infida consilia impulissent, nos super tali matrimonio dispensaremus: sed quia cum puellae parentes conceptam a te spem suae ante nuptias conversionis iam pridem eludant, adhuc tamen exardescere te non videmus iusta et magnanima indignatione, quam illata honori tuo iniuria reposcit, dum illi tam humiliter sentire de te audent, ut sibi persuadeant, cadusi corporis formam, quae quasi flos egreditur et conteritur, potiorem sanctioremque apud nobilitatem tuam fore, zelo divinae gratiae et studio tuendae domesticae laudis, quam tibi maiores tui amplissimam reli- querunt religionis catholicae ubique defensae propagatae- que, in dititione vero Bavarica ab omni haereticae contagio- nis periculo strenue servatae.

Quae cum ita sint, Nos non tam propter corrupti seculi mores miramur, quam ob imminentium malorum sequelas dolemus, non deese, qui, ut cupiditatibus suis inserviant,

tuae bladiantur, suadentes: ut id matrimonium omnino contrahas, si conversio praecedat. Cui enim, postquam tam aversus a fide Romana puellae animus apparuit (neque enim aliam mentem, quam quae inest suis genitoribus et magistris, inesse credendum est), dubium esse potest, conversionem eiusmodi non verae pietatis studio, sed tam praeclari coniugii cupiditati tribuendam? et quamvis eae sint divitiae divinae bonitatis, ut non raro e malis bona oriri, et errores ipsos errantium saluti servire faciat, adeoque fieri potest, ut puella tua consuetudine et pietate inprimis excitata duritiem cordis exueret, et converteretur ad Dominum in spiritu et veritate; sapientis tamen et catholicae fidei patrocinium gerentis non est, huic se periculo exponere, unde illibatus ad hanc diem in ditionibus tuis fidei candor paulatim degenerare atque inficì posset. De te quidem dubitare nefas est, quamvis celebre Salamonis exemplum sapientissimum quemque terrere merito deberet. Sed horret animus cogitare de filiis, quos ab ea susciperes, nemo enim impedire matrem posset simulate conversam, quominus eos in sinu aleret, ac teneris ipsorum animis cum lacte materno occultum haeresis virus infunderet. Israelitas certe admonuit olim Deus, ne connubia iungerent ex mulieribus infidelibus, quod seducturae essent filios eorum, ut servirent diis alienis.

Quae omnia si serio tecum ipse, pro tua singulari prudentia, reputaveris, minime dubitamus, quin et fatearis, Nos pastorali nostro officio defuturos, si in tanti momenti re tacuissemus, postquam praesertim in parentis tui locum peculiari quodam amoris erga te nostri iure successimus; et damnatis eorum consiliis, qui te in tam periculosa et parum animi tui magnitudini et pietati consona tractatione adhuc detinent, cogitationem tuam ad alia, loco et amplitudine tua digniora ac nobis et Catholicae religioni laetiora connubia convertas; et quidem hac nobilitatem tuam cura liberari quamprimum cupimus, ut ingruenti ab immani christiani nominis hoste Germaniae periculo pro veteri Bavariae domus instituto validas vires opesque tuas opponere fortiter possis, et praeclare de religione ac de publica causa merendo avitae gloriae decora cumulare. Id nos, qui in tanta rei soillicitudine

dies noctesque ingemiscentes incumbimus, a Patre misericordiarum enixis precibus flagitare non desinemus, dum nobilitati tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 16. Aug. 1681.

47.

Decisio Rotae Romanae in merito matrimonii mixti inter B. Wernerum Lambertum de Merode, et Joannam Petronellam de Droste, dd. 5. Decemb. 1696.

Nec ex eo, quod Lambertus haeresim profiteatur, liberatur a coactione ad matrimonium cum catholica, quam sub hac spe defloravit; quia quicquid sit in genere, et in abstracto, hodie agitur de matrimonio in regionibus, in quibus catholici permistim cum haereticis vivunt, sibique invicem non infestantur, sed familiariter agunt, et pacifice, coniugaliterque cohabitare consueuerunt, ideo haec matrimonia adinstar aliorum contractuum civilium ob amicitiae leges, et communem pacem, et tranquillitatem conservandam tolerantur ab Ecclesia iure consuetudinario, quod moribus utentium communiter receptum, habet vim legis, et canonum rigorem temperat; quia ad contrahendum matrimonium uti elevatum in Sacramentum requiritur solum paritas baptismi, non fidei; quod, ut diximus, agnovit Episcopus Monasteriensis, qui condemnavit dominum de Merode ad contrahendum matrimonium de voto Universitatis Hoxfordiensis, quae praesidet acatholicorum negotiis.

48.

Literae Clementis XI. ad Episc. Herbipolensem super denegata in impedimento disparis religionis dispensatione dd. 25. Junii 1706.

Venerabili Fratri Joanni Philippo Episcopo Herbipolensi Clemens PP. XI. Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. In literis Fraternitatis Tuae die nona Decembris anni proxime elapsi ad Nos datis diu graviterque expendimus causas, atque rationes multo quidem zelo a Te allatas, ob quas mature deliberandum, ac iudicio nostro statuendum esse intelligis, utrum expediat, quod assertum matrimonium a Dilecto Filio Philippo Ernesto Comite de Hohenlohe post

dispensationem super impedimento Ordinis Subdiaconatus, ad effectum nubendi cum catholica foemina per ipsum obtentam, cum Acatholica contractum Apostolica Nostra Auctoritate convalidetur, vel potius in statu nullitatis permaneat, cum tamen gravia, si irritum sit, utrique familiae incommoda, et maximum dedecus, proli vero inde susceptae perpetua nota, multarum demum animarum saluti certa quodammodo pernicies imminere videatur. Nos itaque, etsi pro magnitudine spiritualis huiusmodi periculi, quod tamen, propitio Deo, averti posse confidimus, intime commoveamur; maioris tamen momenti esse existimamus Ecclesiae Dei, Apostolicae Sedis, Praedecessorum Nostrorum, ac Sacrorum Canonum *a Catholicorum cum Haereticis coniugio abhorrentium* regulas, nisi id totius christianae Reipublicae bonum exposcat, non transgredi, ac propterea petitioni huiusmodi per ipsos contrahentes Nobis humiliter oblatae, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus in Fidei causis supremi Inquisitoris munus est demandatum, consilio neqnaquam assentiendum esse duximus; et nihilominus de pietate ac zelo, deque eximia virtute Fraternitatis Tuae recte sentientes, ac probe omnino sperantes, fieri posse confidimus ope illius, qui facit ex tentatione proventum, ut lucrum ex ipsa difficultate captetur. Credimus enim, Te omni studio daturum esse operam, ut ipsa acatholica mulier, quae animum non prorsus aversum a Catholica Religione se gerere profitetur, hortatu demum tuo ad Sanctae Matris Ecclesiae gremium perducta, Apostolica se dignam benignitate praebeat. Aggredere itaque plenum meriti opus, dum Nos Deum precabimur, ut illud Tibi det perficere, in cuius etiam boni auspicium Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur. Datum Romae die 25. Junii 1706.

49.

Breve Clementis XI. ad Principem Bipontinum super negata dispensatione in impedimento cultus disparis dd. 23. Julii 1707.

Dilecto Filio Nobili Viro Gustavo Leopoldo Principi Bipontino Clemens PP. XI. Multis iam pridem argumentis innotuisse credimus Nobilitati Tuae, singularem esse Nostrae in

Te voluntatis propensionem, ex qua merito sperare potes, Te a Nobis ea omnia esse facile consecuturum, quae ab authoritate Nostra congrue proficisci possunt. Verum cum dispensatio, quam a Nobis expetis, ad effectum contrahendi matrimonium cum Principissa haereticorum sectae addicta, Teque tertio consangvinitatis gradu attingente, difficultates in se maximas et ineluctabiles quoad eam partem, quae Religionem respicit, manifeste contineat (*Ecclesia siquidem ab huiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praeseferunt, abhorret*), credimus Te, quo studio es in Catholicam Fidem, probe intellecturum, Nos paterne Tecum agere, qui praefatam dispensationem nequaquam concedendam esse statuimus, nisi eadem Principissa, haeresi prius rite eiurata, orthodoxam veritatem ex animo complectatur. Quodsi spem esse dicebas, quod ipsa, post initum matrimonium, tam salutare consilium susceptura esset, praestat, ut eadem bonum opus acceleret, nec patiatur se diutius iactari contrariae doctrinae vento, sed ut imo alacriter obsequatur leni ac suavi aurae coelestis spiritus, qui calamum quassatum non conteret. Id ut eveniat, pro nostra charitate ac sollicitudine magnopere cupimus, ut inde grata Nobis suppetat occasio annuendi votis Nobilitatis Tuae, cui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 23. Julii 1707.

50.

Alterum Breve Clementis XI. eodem in merito.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Bipontino Clemens PP. XI. Cum perspectum esse possit Nobilitati Tuae, esse Nos ultro propensos ad ea praestanda, quae grata Tibi esse intelligimus: persuasum Tibi pariter esse debet intima molestia Nos affici ob ineluctabiles difficultates, quae, re graviter ac mature expensa, obstare dignoscuntur, quominus precibus Tuis annuere, Tecumque dispensare valeamus super impedimento consangvinitatis ad effectum, ut matrimonium cum Principissa disparis a Catholica Religione cultus rite possis constabilire. Destituti hac occasione exsplicandi Tibi magnitudinem paternae nostrae caritatis, hoc saltem Tibi impendemus officii, quod Deum, qui dives est in misericordia, impense

rogabimus, ut velit luminis sui radiis ad cor eiusdem Principissae ita pervadere, ut eam ad agnitionem veritatis deducat, quatenus nos cumulato gaudio gratulari possimus hoc lucrum, quod certe plurimum a Nobis fiet, et subinde solari valeamus vota Nobilitatis Tuae, cui auspicem solidae felicitatis esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam eidem peramanter impertimur. Datum Romae die 22. Septembris 1708.

51.

Statutum Agendae Lutheranae Esseniensis in Circulo Westphalico, adversus matrimonia mixta.

Dieweil auch die Erfahrung bezeugt, dass durch das Heirathen an widerwärtige Religion viel Streit, Zank, gottloses, verrücktes Leben entsteht, auch oftmals Abfall oder Lauigkeit in der Lehre bei sich selbst, oder den Seinigen herkömmt, und das einmüthige Gebet dadurch verhindert wird; als wollen wir, dass die Herren Prediger, so viel an ihnen ist, ihre Zuhörer sowohl in offenen als Privatvisitationen mit Vorhaltung der wichtigsten und begreiflichsten Argumente oftmals nachdrücklich von Verlöbniss und Heirath mit widerwärtiger Religion zugethanenen abmahnen, und sie dabei erinnern, dass sie von ihrer Religion Knechte und Mägde annehmen möchten. Falls die Abmahnung von widerwärtiger Religion Heirathen nicht verfangen wolle, soll ein solcher vor dem Konsistorium citirt und da noch res integra, mit allem Ernst davon abgemahnet, *bestrafet*, und zur Beständigkeit erinnert, demselben auch die verlangende Proklamation bis zu näherer Unterredung mit dem Konsistorium nicht verstattet werden, es wäre denn, dass die Sache vor dem Konsistorium oder Herrn Prediger untersucht, und befundenen Umständen nach nicht völlig geändert werden könnte. Diejenigen aber, so bereits an Widerwärtige geheirathet, sollen sie mit allem Ernst, Fleiss und Sanftmuth ermahnen, beständig bei ihrer Religion zu bleiben, ihre Kinder darinnen in der Zucht und Vermahnung zum Herrn aufzuziehen, und ihnen Anleitung und Mittel nach Inhalt göttlichen Wortes zeigen, wie sie das falschgläubige Theil mit Liebe, Sanftmuth und

Vorhaltung der besten, doch einfältigsten Gründe unsrer wahren evangelischen Lehre gewinnen und belehren mögen.

52.

Edictum Ludovici XIV. Galliarum Regis matrimonia Catholicorum cum Reformatis prohibens et irritans de an. 1680.

Ludovicus Dei gratia Galliae et Navarrae Rex-Cunctis praesentibus et venturis salutem. Postcaquam Canones Conciliorum diversis temporibus in Ecclesia celebratorum matrimonia Catholicorum cum haereticis condemnaverint tamquam scandalum publicum et manifestam profanationem Sacramenti, cui Deus gratias adnexuit, quae non possunt communicari iis, qui actu extra communionem fidelium sunt: Nos eadem in futurum impedire eo magis necessarium aestimavimus, quod cognoverimus per tolerationem huiuscemodi matrimoniorum Catholicos exponi continuae perversionis tentationi, ac per consequens poenis per nostrum Edictum postremo mense Junio emanatum dictatis; *) est namque necessarium his remedium ferre et simul abusum disciplinae Ecclesiae Catholicae tam contrarium impedire. Quibus causis et considerationibus Nos moventibus diximus et declaravimus, dicimus et declaramus per praesentes manu nostra signatas: Volumus et placet Nobis, *ut in futurum nostri subditi Religionis Apostolico-Romano-Catholicae non possint sub qualicunque praetextu contrahere matrimonia cum subditis Religionis praetensive Reformatae; declarando, talia matrimonia pro non valide contractis, et proles ex iis prognatas pro illegitimis et incapacibus succedendi in bonis mobilibus et immobilibus patris et matris.* Imo

*) Edicto hoc contra *deficientes a Religione Catholica*, habetur: „Volumus, et placet Nobis, ne subditi nostri Catholicam Religionem profitentes cuiuscunque qualitatis — possint unquam Religionem suam relinquere et ad praetensive Reformatam a quacunque demum causa — transire. Volumus, ut transgressores huius nostrae voluntatis condemnentur ad subeundam poenitentiam publicam, ac perpetuum e Regno nostro exilium, atque omnia ipsorum bona confiscentur."

damus in mandatis nostris dilectis et fidelibus Consiliariis, hominibus aulam nostram Parlamenti Parisiensis efficientibus: ut praesens Edictum legi, improtocollari, publicari, et executioni dari procurent secundum formam et tenorem eius, nec permittant, ut ei qualicunque demum modo et specie contraeatur. Quoniam hoc est nostrum desiderium. Et ut hoc firmum et stabile sit in omne aevum, praesentes sigillo Nostro munivimus. Datum Versaliis mense Novembri anno salutis 1680. Regiminis nostri 38.

53.

Decretum Syn. Gratianopolitanae an. 1690.

Cognoscendo periculum, quod in matrimoniis cum haereticis contractis adest: prohibemus conformiter sacris Canonibus cunctis personis cuiuscunque conditionis et status sub poena excommunicationis contrahere matrimonia cum haereticis; item patribus et tutoribus sub iisdem poenis tales in matrimonium elocare, et Parochis ipsis benedictionem nuptialem impendere sub poena suspensionis ipso facto, qualiacunque illi faciant promissa de eiurandis suis erroribus, si reipsa bona fide non redierunt in sinum Ecclesiae.

54.

Literae Clementis XI. ad Episcopum Agennensem in Gallia quoad matrimonia mixta dd. 28. Febr. 1706.

Venerabili Fratri Episcopo Agennensi Clemens PP. XI. Ubi multorum testimonio compertum Nobis non esset, singularem esse vigilantiam, quam Fraternitas Tua gregi sibi credito indesinenter impendit, constaret id plane ex accurata, non minus, quam diserta status istius Ecclesiae descriptione, quam ad Nos deferri curasti; praefert enim insigne specimen zeli, quo pro Dei honore, et animarum salute intime flagras, nec parum interim recreat sollicitudinem, quam omnium Ecclesiarum gerere Nos oportet: quo studio atque proposito Te singula Nobis tam enucleate explicanda suscepisse (quae est Tua in Nos atque in hanc Sanctam Sedem observantia) probe intelligimus. Perlectis itaque diligenter

omnibus, Deo gratias egimus, qui spirituali populi istius bono consultum esse voluit, delecto ad eius regimen Pastore, qui assiduitatem in lustrando, sedulitatem praestet in custodiendo grege, qui oves sibi commissas agnoscere, et ab eis agnosci curet, qui vocis officium ab eis desiderari non sinat, qui exemplo suo ita praesit, ut forma gregis ubique fieri satagat; et licet dolendum plane sit superesse adhuc in ista dioecesi ingentem eorum numerum, qui pristinum errorem nondum plene exuerint, ac abiecerint, et haeresi (licet per eos palam eiuratae) in abscondito cordis inhaereant; sperandum tamen est, veritatem, Deo propitiante, de ipsis etiam acturam esse aliquando triumphum, cum praesertim studium ac fervor tuus ad conciliandam eorum voluntatem nunquam sit defuturus. Quoniam vero in regimine huiusmodi recens conversorum subdubitare scribis, quid facto opus sit circa eos, qui matrimonium inter se contrahere peroptant: cum enim, ut innuis, ante voluntatem nubendi saepe vel raro vel nusquam dederint signa fuisse se amplexos Religionem Catholicam, tunc velle se illam profiteri, vel etiam cum iuramento spondere minime dubitant; addisque quod, quamvis eorum nonnulli per annum, alii per maius temporis spatium probentur, saepe saepius accidit, ut suscepto catholicae Sacramento, statim a nuptiis templum Domini fideique exercitia singula pietatis extorres deserant, et ad vomitum suum revertantur; alii nec pauci cum vident probationem suae fidei requiri, sponsalia ineunt, ac deinde quasi nexi coniugio una cohabitant, adeo ut nec erubescant plures e tam foeda coniunctione suscipere liberos, quorum petulantiam et effroenem licentiam vix a pastoribus integerrimis coerceri posse dicis. Hinc dubitari a quibusdam Episcopis significas, utrum huiusmodi neotericos conversos ante susceptionem matrimonii non solum ad peccatorum confessionem, verum quoque ad Sacrosanctam Eucharistiam compellere oporteat, cum quidam etiam doctissimi unam exomologesim requirant, veriti semper saltem aliquam suspicionem ementitae fidei; quidam vero nec minus periti et confiteri, et Sacramento Altaris refici eos oportere, et arbitrantur, et ab iis expostulant. Collaudato itaque plurimum

in Domino zelo, ac prudentia tua, qua caute admodum cum huiusmodi hominibus agendum Tibi esse probe intelligis, *hanc regulam servandam esse dicimus et decernimus: eos, de quorum sincera conversione ad Religionem Catholicam haud leviter Episcopi suspicantur, non esse admittendos ad Sacramentum Matrimonii, ad quod iidem Episcopi pro eorum zelo et prudentia admittere tantum debent illos, qui post ipsorum conversionem seu abiurationem, semper se tamquam Catholicos gesserunt; in aliis vero casibus, in quibus pro eorum diversitate una eademque norma praescribi nequit, iuxta pietatis ac prudentiae dictamen statuendum esse videtur.* — — Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Febr. 1706.

55.

Constitutio Ritualis Parisiensis de matrimonio inter Catholicos et haereticos, ex an. 1709.

Pag. 354. Quamvis haeresis non sit impedimentum dirimens, nunquam tamen potest (Parochus) haereticum vel haereticam matrimonio coniungere sine gravi peccato; qui sciens et volens fecerit, suspensum se ipso facto noverit ab executione suorum ordinum.

56.

Decretum Congregationis S. Officii ad Archiepiscopum Mechliniensem dd. 16. Junii 1710.

Inhibeatur per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiatur pro matrimoniis inter contrahentem Catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi *abiuratio reipsa praecessisset*, theologi autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerint, acriter admonendi sunt.

57.

Extractus ex Confessione Fidei Puritanorum in Anglia, de an. 1648.

Cap. XXIV. De coniugio, et divortio, §. 3. Matrimonio iungi cuivis hominum generi licitum est, qui consensum

suum praebere valent cum indicio; verumtamen solum in Domino connubia inire debent Christiani; proindeque quotquot religionem veram reformatamque profitentur, non debent infidelibus, papistis, aut aliis quibuscunque idololatris connubio sociari; neque sane debent qui pii sunt impari iugo copulari, coniugium cum illis contrahendo, qui aut improbitate vitae sunt notabiles, aut damnabiles tuentur haereses.

Monumenta ad Epocham III. a Constitutionibus Benedicti XIV. usque Foedus Germanicum anno 1806.

1. In Hollandia, Belgio.

58.

Relatio Episcopi Iprensis ad S. Congregationem Concilii circa matrimonia mixta an. 1787.

— — Secundum, quo vexantur Parochi, et Confessarii, et quorum anxietas Nobis ipsis anxietatem parit, concernit *matrimonia in Hollandia contracta coram Ministro et Magistratu Acatholico.* Cum in hac Civitate Iprensi et pluribus adiacentibus sit Praesidium militare Hollandicum, ex istis militibus multi talia matrimonia in Hollandia contraxerunt vel cum Catholica, vel cum Acatholica, sed quae iam in his partibus existens haeresim eiuravit. Pars illa Catholica vel conversa petit, an suo marito adhaerere possit, vel, etsi non petat, Pastor tamen vel Confessarius sciens sic esse iunctam, dubitat: an beneficio absolutionis sit donanda, an ad alia Sacramenta admittenda in periculo mortis, nisi promittat, in casum reconvalescentiae a suo marito recedere: Insuper, si matrimonia illa dicantur invalida, exinde orietur evidens impedimentum conversionis haereticorum, sic enim relinquendus maritus, deserendae proles. Altera difficultas nascitur ex matrimoniis, quae aut haereticus cum catholica, aut duo haeretici, quorum alter subinde Catholicam Religionem amplectitur, in dictarum celebrant praesidio urbium, quarum

in Parochiis constat et publicatum esse, et observari Decretum Concilii.

59.

Relatio, et opinio Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis super eodem merito, dd. 18. Oct. 1737.

— — Ut istius Sacrae Congregationis iussioni satisfaciam, dubia, quae — proposita sunt, in quosdam articulos dividenda duxi, ut mentem meam et votum dilucidius exponam.

I. *Duo Acatholici Hollandi, contracto matrimonio coram Ministro vel Magistratu Acatholicis, convertuntur ambo ad fidem: quaeritur, an matrimonium sit nullum, et ritu Catholico renovandum, servata forma Concilii Tridentini?* Ad hanc quaestionem de iure respondere ad solam spectat S. Sedem Apostolicam. Quare referam de sola praxi observata in Hollandia, et de rationibus, quibus illa innititur. Igitur EE. VV. certiores facio, ab omnibus omnino Missionariis Secularibus, et Regularibus talia matrimonia haberi valida, et nullo prorsus scrupulo illos desuper angi, ac nunquam ipsos adigere Coniuges conversos, ut de novo contrahant. Quinimo matrimonia inter Catholicum, et Acatholicam, ac vice versa eodem modo contracta habentur valida adminus in ratione contractus, nisi pars Acatholica esset Anabaptista, et non baptisata. Haec praxis a tempore Episcopi Castoriensis, id est ab an. 1671. universaliter introducta, et observata fuit, eo quod ille Roma reversus tam verbis quam scriptis declaravit, sibi a S. Officio mandatum fuisse, ut sequeretur, quod saluti animarum maxime crederet opportunum. — Rationes huius praxis receptae allegant duas, unam, ne Religio Catholica illis in partibus, si docerent Acatholicos omnes tali modo coniunctos esse fornicatores, et ex fornicatione natos, maximopere odiosa fieret Acatholicis, et acerbissimam in se persecutionem excitaret. Alteram, ut facilior redderetur conversio Acatholicorum, dum coniuge Acatholico conversionem procrastinante, parti catholicae licitum est in matrimonio ita contracto permanere sine contumelia Creatoris. Ex hac praxi concludunt

Missionarii Hollandi, quod, cum sciente et non prohibente S. Sede, illa iam tanto tempore obtinuerit, Ecclesia derogarit Legi Tridentinae, aut saltem pro Hollandia relaxarit. — —

II. *Casus, quo una pars supradictorum coniugum convertatur ad fidem altera in haeresi permanente, quaeritur: an pars Catholica possit relinqui in illo coniugio, et in bona fide, et admitti possit ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae?* In tota Missione Hollandica obtinet praxis, ut pars conversa in matrimonio relinquatur, et peracta poenitentia ad Sacramenta admittatur. — Nam ut supponitur, matrimonium in ratione saltem contractus est validum. Haec autem sententia vel ideo est amplectenda et oppositae praeponenda, quia conversioni favet, et tranquillitati publicae. Nam si pars conversa separari deberet a parte haeretica, innumerae sequerentur difficultates, maxime ubi proles iam esset nata: ex quibus se extricare nullatenus posset pars conversa, nisi Patriam relinqueret, et sic omnes omnino Missionarii evidenti periculo exilii, aliorumque gravium malorum subiicerentur. Quare videtur quoque Parochus talibus non debere Sacramenta denegare: sed partem vere conversam paterno affectu amplecti, et quamdiu altera pars conversa non fuerit, nihil de matrimonio imprudenter effutire. Sic enim melius consuletur educationi prolis in Fide Catholica, et facilius allicietur ad fidem pars nondum conversa, quae alias forsitan resiliret, dum resciret se usque modo in continua vixisse fornicatione et resiliendo prolem secum adduceret ad templa Acatholicorum, uti experientia docuit.

III. *Quaeritur: an expediat definitive declarare ex auctoritate, Apostolica, matrimonia Hollandorum citra formam a Concilio Tridentino praescriptam contracta nulla esse et invalida?* Episcopus Castoriensis testatus est, quod a. 1671. sibi Roma responsum fuerit a S. Officio: *non convenire, ut quaestio a se proposita a S. Officio definiretur.* Et haec S. Congregatio sub die 23. Aug. 1681. se se abstinens ab explicita declaratione nullitatis dictorum matrimoniorum rescripsit: ad mentem cum Sanctissimo, scilicet si esset re-

spondendum, dubio esset respondendum negative — — Si tempore Castoriensis Episcopi, et decennio post visum fuerat talem decisionem non expedire: patientur EE. VV. ut hodie, iudicem, talem decisionem horrendum in modum obfuturam bono Religionis in Hollandia, cuius rei ratio frustra a me multis verbis allegabitur, dum illa EE. VV. minime lateat. Unum illud exponere liceat: evidentissimum et inevitabile Religioni Catholicae exitium imminere, dum ex tali declaratione Rectores Reipublicae foederati Belgii intelligerent, se post 150. annos demum damnari, tamquam in continua fornicatione viventes — — Quare etiam supposita S. Concilii Trid. promulgatione sufficienti, et per omnes ac singulas Parochiales Ecclesias, censeo non expedire, ut talis definitiva edatur declaratio nullitatis matrimoniorum in Hollandia citra praescriptum Concilii contractorum. Verum est, Acatholicos hanc gratiam non mereri, sed bonum Religionis et Fidei Catholicae conservatio nec non 50 millium Romano-Catholicorum in foederato Belgio degentium commiseratio hanc gratiam videntur mereri in re, quae est solius iuris positivi ecclesiastici.

Omnibus consideratis, sinant EE. VV. ut sententiam meam totaliter et integre aperiam. Non videtur mihi sufficere, ut matrimonia, de quibus quaestio, simpliciter tolerentur, prout hactenus illa tolerata fuere. Nam sic Episcopis, Parochis, et Missionariis supersunt et remanent eaedem perplexitates, anxietates, et dubia, de quibus merito apud hanc S. Congregationem conqueritur Episcopus Iprensis, et quae me etiam subinde vexarunt, et ancipitem reddiderunt; et salvo Sanctitatis Suae supremo oraculo, iudico *expedire in re adeo perplexa, ut pro salute animarum et pro incremento Fidei Catholicae in foederatis Provinciis* (in quibus Concilium Trid. sufficienter fuisse publicatum non constat) *Summus Pontifex legem latam per Concilium Trid. ex suprema auctoritate relaxet, et super dicto impedimento novo cum incolis Provinciarum illarum dispenset.* — Liceat quoque illud adnotare, quod in matrimoniis Hollandicis pro more et secundum leges Regionis celebratis, nimirum praemissis tribus proclamationibus, super quibus numquam di-

spensatur, et adhibitis duobus testibus, qui semper ibidem adhibentur, obtineatur finis a Concilio intentus: qui fuit, ut gravissima peccata, quae ex clandestinis matrimoniis sequebantur, efficaciter impedirentur; praesertim eorum, qui hac occasione in statu damnationis perseverabunt, dum priori coniuge, cnm qna contraxerant, relicta, contrahebant cum alia publice, quia prius matrimonium probari non poterat; et sic cum posteriori coniuge in perpetuo adulterio vivebant; atque hic finis etiam obtinetur per matrimonia coram Magistratu Acatholico in Hollandia contracta. Postremo ad EE. VV. notitiam deducendum existimavi, spem esse non infundatam, ut ipsimet Status Hollandiae modnm ponant frequentibus illis coniugiis inter disparis Religionis homines, unde Ecclesiae Catholicae non modica adveniret utilitas: dum ex illis matrimoniis tam bene nascitur periculum perversionis partis haereticae et proles non periclitabitur de fide; certe anno 1728. proponente Magno Pensionario in Ordinario Statuum Congressu, deliberatum fuit, ut ad impediendas rixas, dissidia, et alia varia incommoda provenientia ex matrimoniis praetensi Reformati cum Catholica non liceret ulli Reformato aut illi, cuius parentes actualiter aut dum viverent religionem reformatam profitebantur, coniugium inire cum Catholica, et quod proles ex similibus prohibitis matrimoniis natae essent illegitimae et legitimari non possent. Porro die 30. Aprilis 1732. constituerunt in alio Ordinario Congressu hanc propositionem executioni mandare, et per Edictum promulgare, quod ultimum tamen usque in hunc diem ad effectum deductum non est, nisi nuper admodum pro solis Officialibus militaribus. Igitur ut votum meum ad praemissa dubia distincte apud EE. VV. proferam, censeo ad primum: *Matrimonia Acatholicorum in Hollandia contracta citra formam a Concilio Tridentino praescriptam rata esse et valida, ac minime renovanda, si nullum obstet canonicum impedimentum.* Censeo ad secundum: *partem conversam posse relinqui in illo coniugio taliter contracto, et in bona sua fide, atque a Parocho posse et debere admitti ad alia Sacramenta servatis servandis.* Censeo ad tertium: *Non expedire solemniter declarare Matrimonia Hol-*

landorum esse nulla et invalida, etiamsi S. Sedi videretur statuendum esse, quod ea nulla et invalida sint: idque ob gravissima et inevitabilia mala Religioni Catholicae ex tali declaratione imminentia. Mechliniae die 18. Octobris 1737. Thomas Cardinalis de Alsatia.

60.

Declaratio Benedicti XIV. cum Instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda, dd. 4. Novemb. 1741.

Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum et Catholicam foeminam ex alia parte, aut vice versa, non servata forma a Sacro Tridentino Concilio praescripta utrum valida habenda sint nec ne? diu multumque disceptatum est animis hominum ac sententiis in diversa distractis: id, quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent statuere, ac declarare; cum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti gravique causa Apostolicae Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id inprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui, et sua erga Beati Petri Cathedram observantia de concreditae sibi Ecclesiae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, aestimaret, sacrae Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem S. Congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus, atque sententiis, quas desuper explo-

rari sategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot huius almae Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione propter viduitatem, quae incidit Romanae Ecclesiae, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus SSmus D. N. Benedictus XIV. inter primas regiminis sui curas, causae huius cognitionem repeti iussit a memorata S. Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Eminentiss. Patrum sententiis ipse demum quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio praefata sub diem 13. Maii currentis anni 1741. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem SSmus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto hanc nuper Declarationem et Instructionem exarari praecepit, qua veluti certa regula ac norma omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii et Vicarii Apostolici deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

Primo scilicet quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis Foederatorum Ordinum dominio subiectis celebrata non servata forma per Tridentinum praescripta: licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit, declarare: negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit, statuitque matrimonia in dictis foederatis Belgii Provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse, adeoque si contingat utrumque coniugem ad Ecclesiae Catho-

licae sinum se recipere, eodem, quo antea coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur, sin autem unus tantum ex coniugibus sive masculus sive foemina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod vero spectat ad ea coniugia, quae pariter in iisdem Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a Catholicis cum haereticis, sive Catholicus vir haereticam foeminam in matrimonium ducat, sive Catholica foemina haeretica viro nubat: dolens inprimis quam maxime Sanctitas Sua eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se haereticis coniungant: Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, et alios quoscunque Dei et Ecclesiae fideles Ministros in iis partibus degentes serio graviterque hortatur, et monet: ut Catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod huius generis matrimonium Tridentini forma non servata ibidem contractum iam sit, aut inposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat: declarat Sanctitas sua, matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum matrimonium inire; id vero debere sibi potissimum in animum inducere coniugem Catholicum sive virum sive foeminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide decrrantem ad gremium Catholicae Ecclesiae petrahere, eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunis-

simum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri. Ad haec declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de matrimoniis sive ab haereticis inter se, sive inter Catholicos et haereticos initis in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem foederatorum ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas di Barriera; ita quidem, ut matrimonia ibi praeter Tridentini formam sive inter haereticos utriusque sive inter Catholicos et haereticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque coniux ad easdem copias, sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Mosae Trajectensis a Republica foederatorum ordinum, quamvis non iure dominii sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa coniugia, quae contrahuntur vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis foederatis domicilium habent, vel in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Principum Catholicorum: nihil Sanctitas Sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, iuxta canonica Juris communis principia probatasque in similibus casibus alias editas a S. Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit statuitque ac ab omnibus in posterum observari praecepit. Die 4. Novembris 1741. A. Card. Gentili S. C. Concilii Praefectus. C. A. Arch. Philipp. Secret.

61.

Breve Benedicti XIV. ad Missionarios in Hollandia de mixtis nuptiis dd. 17. Septemb. 1746.

Benedictus PP. XIV. Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Redditae sunt nobis per dilectum filium, eundemque primarium administrum nostrum, Silvium Cardinalem Valenti, vestrae literae, quibus subortam inter vos in

re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque iudicio nostro subiicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis, eiusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent, et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando, ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum, eamque scindi mentium animorumque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim quasi tessera discipulos suos cognoscendos praedixerit.

Exposuistis itaque nobis, non raro isthic contingere, ut Catholici matrimonium inter se contracturi, civilem adeant Magistratum aut haereticum ministellum, quibus se sistere legibus patriae coguntur, et coram illis mutuum exprimant in coniugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico et duobus testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi conjuges iam forent, non dubitant omnem coniugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit, coram civili Magistratu, aut haeretico ministello praestito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit: si enim res ita se haberet, ut primus existimat, subsequens inter consentientes copula etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum omni flagitio vacaret, et suscepta exinde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

Jam vero ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem iudicio nostro praecidamus: sic habete: ubicunque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum *Cap. 1. Sess. XXIV. de ref. matrim.* ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita

esse coniugia aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices agente, et duobus testibus celebrata. Scimus profecto, esse Theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat. Sed, quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque, ut eius verbis utamur, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos esse decernit.

Quare cum inter Catholicos in istis provinciis degentes, et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini: perspicuum est, matrimonium ab ipsis invicem initum coram civili Magistratu aut acatholico ministello et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus testibus, neque in ratione Sacramenti, neque in ratione contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronunciavimus matrimonia, quae aut ab haereticis inter se, aut a Catholicis cum haereticis in istis Foederatis Provinciis contrahuntur, non servata forma Tridentini, aptari queunt coniugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini decreto se obstrictum agnoscit, eiusque se auctoritatem sequi profitetur.

Sciant itaque Catholici vestrae curae concrediti, cum civili Magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt: ceterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro Catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, numquam se neque coram Deo neque coram Ecclesia veros et legitimos conjuges fore: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam

gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione oriretur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam in oculis Dei fore illegitimam, et nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesiae foro.

Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela singulis explicare prolixius; simulque omnes commonere, ut siquidem regionis consuetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis Christi fidelibus cavendum est. Ad eiusmodi porro evitanda pericula cognoscimus consultius utique fore, ut Catholici nonnisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato ad illam explendam civilem caeremoniam secularem Magistratum seu haereticum ministellum adirent: sed, quoniam ex vestris literis deprehendimus, id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri: id saltem pro viribus satagite, ut, postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et conjugale foedus, iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire, et si quid tum super hac re, tum super aliis, quae istam Missionem respiciunt, nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis. Epistola haec nostra tibi, dilecte fili, Paule Simon a S. Joseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Duck Pastori Leidensi, cuius scriptum super ea,

de qua nunc agitur, controversia a supradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

Postremo vos hortamur maiorem in modum, ut istam Dominici gregis non contemnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis, excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis. Vobisque interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 17. Sept. 1746.

62.

Literae Clementis XIII. ad Archiepiscopum Mechliniensem circa matrimonium mixtum in Hollandia, dd. 15. Maii 1767.

Nos ea — — quae a Te Nobis exposita sunt, in consilium deduximus, matureque re deliberata, ac omnibus rationum momentis rite perpensis, in eam devenimus sententiam, ut matrimonium istud inter nobilem Catholicum (Bruxellensem) et viduam protestantem in Hollandia initum, nisi forte aliquod aliud canonicum intersit impedimentum, *etsi illicitum, validum tamen* esse censeamus: atque hoc quidem iudicium nostrum eo potissimum fundamento innititur, quod Tridentina lege, quae de matrimoniis coram proprio parocho contrahendis sancita est, mulierem in Hollandia natam non teneri certum sit, iuxta declarationem sanctae memoriae Benedicti XIV. anno 1741. editam; quod mulieris privilegium viro etiam cum illa contrahenti communicari debere, etsi natus ipse sit inter Catholicos ibique vitam duxerit, ubi legi locus esset, visum pariter est eidem praedecessori nostro in suo opere *De Synodo dioec. lib. VI. cap. 6. n. 12.*

Nec obstare quidquam potest, quod in postremo paragrapho praefatae declarationis continetur: ibidem enim de iis duntaxat matrjmoniis agitur, quae inter partes duas, utrasque legis Tridentinae vinculo obstrictas contrahuntur, quae partes ut eidem legi fraudem inferant, in Hollandiam nuptias initurae commigrarunt.

Cum itaque nihil iam reliquum difficultatis sit, quoniam matrimonium istud, ut iam affirmavimus, quantumvis illicitum, validum tamen censeri debet, eo se nunc modo

Fraternitas Tua erga Catholicum gerere debet, ut in paragrapho 3. eiusdem declarationis praescribitur; ipsi scilicet salutarem imponendo poenitentiam ad commissum luendum crimen, veniamque a Deo impetrandam; mandandoque, ut, quantum in se erit, uxori suae ad catholicam fidem convertendae det operam, curetque omnino ut suscipiendi a se liberi in catholica religione instituantur ac educentur. Datum Romanae apud S. Mariam M. decimo septimo calendus Junii 1767.

63.

Decretum Caesareum ad Episcopos Belgii circa matrimonia mixta coram Parochis Catholicis ineunda, et per eos promulganda, dd. 21. Maii 1782.

Cum Sua Maiestas decreverit tolerare in hac provincia matrimonia inter Protestantes et Catholicos, et intentio Eius sit, ut, quamdiu Protestantes adprobatos suos ministros non habuerint, haec matrimonia coram Parochis Catholicis contrahantur, qui illa etiam publice denunciare debeant: hinc praesentes literas pro eo vobis mittimus, ut apud Curatos congruos ordines faciatis, quo ii promulgationes instituant, etc.

64.

Responsum Archiepiscopi Mechliniensis ad Gubernatores Belgii in praevio merito, dd. 28. Maii 1782.

Literae officiosae, quas paulo ante percepi de matrimoniis Catholicorum cum Protestantibus, in novas etiamnum anxietates me coniecerunt. Matrimonia enim haec per Ecclesiam semper pro illicitis habita, et in hac Provincia numquam in usu fuerunt; quare ad id pemoveri non possum, ut meo proprio nomine illa introducam, quin Sanctam sedem prius consulam, quod absque mora facturus sum. In reliquo etc.

65.

Memoriale Episcoporum Belgii ad Pium VI. quoad matrimonia mixta dd. 3. Junii 1782.

Beatissime Pater. Serenissimi Principes, Belgii Austriaci Gubernatores, paucis abhinc diebus ad Episcopos Belgii

Austriaci transmiserunt hic junctas encyclicas literas, quibus significatur Caesaream Suam Majestatem *tolerare velle in iisdem Regionibus matrimonia inter Catholicos et Protestantes*, et insuper eam decrevisse, *ut matrimonia eiusmodi* (quamdiu Protestantes non habebunt suae Religionis Ministros publice authorisatos) *coram Parochis Catholicis celebrentur.*

Non opus et Sanctitati Tuae enarrare, quantum animi moerorem Belgicae Austriacae Episcopis procreent huius generis Decreta, quantumque ingemiscant, dum similem tolerantiam in sua patria antehac incognitam, auctoritate Caesarea invehi et protegi conspiciunt. Praeterquam enim quod hasce disparis cultus conjunctiones plerumque infelicissimas efficiant turbae dissidiaque domestica, certum est tam parti catholicae quam nasciturae proli evidens imminere subversionis periculum, innumerosque inveniri Canones, ex quibus pateat, Ecclesiam Dei dispares istas nuptias semper fuisse detestatam; quapropter nonnisi ob gravissimas causas, et quidem rarissime, pro huiusmodi matrimoniis contrahendis ab ipsis Summis Pontificibus dispensatum fuit, et plerumque conditione apposita, utliberi procreandi in Catholica Religione educentur, quae salutaris conditio in ditionibus Caesareis exclusa est per praevia Maiestatis suae circa tolerantiam Decreta, quibus declaravit, filios, qui nascentur ex patre haeretico et matre catholica, patris religionem secuturos. Quin et apud ipsos Acatholicos haee mixta matrimonia plurimum esse invisa probari facile potest ex variis Decretis, quae circa finem Seculi XVI. in Synodis suis nationalibus ediderunt Galliae Regni Calvinistae; sed et novissime, anno scilicet 1750. legem publicam promulgarunt praepotentes foederati Belgii Ordines, qua huiusmodi matrimonia detestantur, multisque difficultatibus ea iubent esse obnoxia, antequam possint ad effectum deduci.

Muneris certo foret, supradictorum Episcoporum haec et alia solidissima argumenta supplici libello ob oculos ponere Caesareae suae Maiestati, antequam ad Sanctissimum Dominum supra hoc negotio recurrant: illudque exequerentur avidissime, nisi persuasum haberent id se sine ullo fructu facturos: unam enim eandemque in servandis Edictis suis pro

omnibus sibi subditis Provinciis rationem teneri vult Caesarea sua Maiestas: unde quia per totam Hungariam et Austriacas ditiones passim celebrantur et communia sunt mixta illa matrimonia, nequaquam patietur Caesar, ut ministerium suum recusent Parochi Belgici, neque volet (quod aliunde aequum est) ut Protestantes illi, quos in suis Provinciis Belgicis tolerari iubet, ibidem in perpetuo vivant concubinatu, nec pro se aut prole sua firmum habeant statum et publica lege sancitum.

Porro indubium est, Tridentinum Concilium in Belgio Austriaco promulgatum esse, nullumque Catholicum ibidem valide matrimonium posse contrahere, nisi servata lege dicti Concilii de assistentia Parochi: quapropter hac deficiente assistentia invalida forent mixta illa matrimonia, et haec si obstinate recusaretur, inde pessimae oriri possent sequelae: posset enim Caesarea sua Maiestas aut Magistratum Civilem eum in finem auctoritare, aut inducere in patriam religionis reformatae ministellos, coram quibus haec matrimonia celebrarentur, sicque proculcaretur Tridentini Concilii sanctio, accrescerent turbationes publicae et conscientiarum anxietates, imo ipsi Religioni et animarum saluti maius afferetur detrimentum; quia dum pars Catholica Parochum suum pro ineundo matrimonio debet accedere, poterit haec adhortationibus sui Pastoris ab illicita hac coniunctione longe facilius averti, quam si nullo ipsius indigeret ministerio.

Si igitur post maturam huius negotii discussionem Belgii Austriaci Episcopis liceat, quid in hac re sentiant, depromere, existimant:

1. Mixtis huiusmodi matrimoniis benedictionem sacerdotalem minime posse impertiri: haec enim in haereticum cadere non potest, neque etiam ullam adferre utilitatem parti Catholicae, quae ordinarie in ipso momento, quo praesens est sacerdoti, ut contractum talem consummet, mortaliter peccat. Praeterquam quod Sacerdos, benedicens eiusmodi matrimonio, videatur saltem quoad externam illius actus speciem, in divinis communicare cum haeretico. Verum quidem est (id quod maxime mirandum) solere per totam Hungariam et Austriacas Regiones, ac in aliis bene multis

Germaniae partibus, in quibus permixtae inveniuntur religiones, Parochos huiusmodi conjunctionibus benedictionem nuptialem impertire; neque tamen praxim illam, quae ibidem in usu est scientibus Episcopis, carpere est animus: forte in regionibus istis, ubi tantus est haereticorum numerus, mixta illa matrimonia suam habent pro Ecclesia utilitatem, maxime si apponatur conditio de educanda prole in Religione Catholica: sed ratio haec in Belgio obtinere nequit, quod Catholicis repletum est, et quidem hactenus vix ullos continet heterodoxos. Confirmantur adhuc magis in hac sua sententia (Episcopi Belgii), quod ista benedictionis denegatio magnam factura sit in animos Catholicorum impressionem, eosque a mixtis istis nuptiis magis aversura sit, quam si more alias solito benedictionem matrimonialem reciperent. Cui addi potest, quod in duabus famosis dispensationibus, quas olim concesserunt Romani Pontifices, unam sorori Henrici IV. Galliarum Regis, ut nubere posset Duci Barrensi, alteram Henricae Gallici sangvinis Principi, ut nuberet Carolo I. Anglorum Regi, narretur praescriptum fuisse, ut matrimonia illa cum assistentia Sacerdotis quidem sed absque nuptiali benedictione perficerentur.

2. In eo quod Parochi facere debeant solitas *proclamationes*, ac deinde celebratum matrimonium Registris inscribere, iuxta eum modum, qui anno 1778. per Edictum Regium fuit constitutus, nullam reperiunt Episcopi Belgii difficultatem: actus enim illi potius civiles sunt, quam sacri, et utrumque praestatur in Belgio foederato per Ministros Calvinistas respectu Catholicorum, qui ibidem nubunt, absque eo, quod unquam vel minimus scrupulus super hac re fuerit motus.

3. Sciunt quidem Belgici Episcopi et suum et Parochorum munus esse, ab huiusmodi mixtis matrimoniis fideles sibi concreditos deterrere, illud conabuntur tam per illos quam per se ipsos perficere: ast ubi non obstantibus paternis monitis ad nuptias transire volent, credunt eas ita celebrandas esse, ut Parochus nupturientes coram se faciat in domo sua vel alio profano loco comparere, qui ibidem sibi mutuo fidem dabunt matrimonialem, absque eo quod

Parochus formam proferat: „ego vos conjungo etc." Et insuper nec superpelliceo nec alia caeremoniali veste Ecclesiasticum ritum praeferente sit indutus: adeo ut omnibus pateat ipsum illi contractui non assistere ut Ministrum sacrum, sed mere tamquam testem civiliter necessarium et auctorisatum ad recipiendum consensum partium, in ordine ut matrimonium sit validum et effectus omnes civiles sortiatur.

Super quibus praemissis punctis Sanctae Sedis iudicium humillime expetunt Episcopi, ut sciant quid agendum sit, et facultates sibi necessarias, si quae sint in hunc finem, sibi concedi postulant.

66.

Rescriptum Pii VI. ad Archiepiscopum Mechliniensem, Episcoposque Belgii circa matrimonia mixta dd. 13. Julii 1782.

Domine Cardinalis noster colendissime. Exequendo nunc id, quod tibi promiseramus per nuperam nostram epistolam, in qua reservavimus nobis sensa nostra depromere tam super tolerantia matrimoniorum mixtorum, quam super Parochorum Belgii Austriaci in eorundem celebratione assistentia praescriptis a supremo dictae regionis Gubernio per mandata encyclica 21. Maii currentis anni signata: ante omnia quidem manifestare Tibi debemus, quantam haec pastoralis tui zeli, uti et Confratrum tuorum Episcoporum nova argumenta, nec non constans eorum in adhaerendo regulis doctrinae Ecclesiae studium nobis afferant aedificationem, et quantum quoque premant animum nostrum iteratae, quibus ipsos cernimus involutos, angustiae. Attamen non ideo recedendum nobis est ab uniformi Praedecessorum nostrorum sententia, et ab Ecclesiastica disciplina, quae non probant matrimonia inter partes utrinque haereticas, vel inter catholicam unam et haereticam alteram, idque multo minus casu quo dispensatione in aliquo gradu opus sit. Materia haec satis est obvia, et praeter praescriptiones quam plurimas, quae habentur, omnino uniformes contra haec sacrilega matrimonia, invenitur specialis prohibitio, facta

anno 1710. per Pontificem Clementem XI. uni ex Praedecessoribus tuis Archiepiscopo Mechliniensi, relata a Benedicto XIV. in epistola sua de 29. Junii 1748. ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Poloniae directa, quae facit Constitutionem 51. tom. II. sui Bullarii editionis Romanae. Dicit ille ibidem de praelaudato Clemente XI. „mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis reipsa praecessisset, theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit."

Ab hoc systemate, quod fundatur in periculo perversionis partis catholicae, specialiter si ipsa mulier sit haeretica, quemadmodum ad exempla e Sacris Libris petita de inobedientia Adami per Evae incitamenta, de idololatria Salomonis per mulierum suarum artificia, de perversitate Achabi ex suasionibus uxoris suae Jezabel, docte animadvertit Cardinalis Bellarminus Epistola inter familiares suas 35. ubi ait: „ea siquidem est natura foeminarum, ut multo facilius sit ut ipsae viros pertrahant ad errorem, quam ut viri eas perducant ad veritatem" — et propterea ab hoc systemate, inquam nescimus nos recedere, quoniam non debemus. Quamvis tamen nequaquam velimus Tibi et Coepiscopis tuis vel in minimo adaugere angustias, neque criticas istas sequelas, quas credunt merito a se timeri, super illos attrahere; et ideo quantum ad id, quod punctum spectat simplicis permissionis seu veniae dandae, dicemus idem, quod in responsoriis suis de 12. Sept. 1750. Episcopo Wratislaviensi dixit praenominatus Benedictus XIV. scilicet: „non posse se positivo actu approbare, ut dispensationes concedantur inter hereticos, vel ipsos inter et catholicos; sed tamen se posse hoc dissimulare; additque, scientia haec nostra et tolerantia sufficere debet ad tuam assecurandam conscientiam, quandoquidem in materia, de qua agitur, non occurat oppositio cum iure divino aut naturali, sed tantummodo cum iure ecclesiastico. Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes Crucifixi, id unice nos facere, ut Sanctae Religioni nostrae maiora damna evitentur; ac denum

concludendo monet, eum teneri omni modo adlaborare, ne malum hoc dilatetur. „Nos autem his omnibus hoc adiungimus, quod et ipsa Congregatio Concilii conformiter ad iudicium praefati Pontificis Benedicti praescripsit in instructione data super matrimoniis mixtis, quae in Hollandia contrahuntur, in qua incitantur et serio monentur Episcopi, Vicarii Apostolici, Parochi, Missionarii, omnesque Ecclesiae ministri, „ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis, in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant" prout legitur in dicta instructione, quae reperitur post constitutionem 33. tomi I. supracitati Bullarii Benedictini: tali porro admonitioni, neque se opponit, neque potuit habuisse in animo se unquam opponere Caesarea Sua Maiestas per ordinationem emanatam; utpote quae in publicis declarationibus expresse asseruit, se desiderare: „manutenere Religionem Catholicam, quae sola est, quae possit hominem beatum efficere, cuiusque augmentum ac propagatio officium sunt, quod prae reliquis magis cordi est Maiestati suae, et cura eius maxime urgens."

Ex verbis Epistolae Benedicti XIV. supracitatis intellexeris certe, sermonem esse de dispensationibus, quae locum habent non minus dum agitur de matrimoniis simplicibus inter partem catholicam et haereticam, quam de gradibus parentelae, in quibus sibi invicem coniuncti forent contrahentes. Et reipsa casus ille, de quo Pontifex anno 1750. interloquebatur cum Episcopo Wratislaviensi, concernebat dispensationes in gradibus, circa quas mentem suam, prout retulimus, exposuit in terminis merae tolerantiae, ex iis quae praevie sibi nota erant, consequentis. Sed hoc ipsum est, quod nos facere non possumus, quoniam in hypothesi tunc existente praxis dispensandi in gradibus pro matrimoniis mixtis *inveterata* erat in isto loco; hic autem agitur de introductione omnino nova, cui se opponit regula, in aliis casibus magis recentibus per Praedecessores nostros et per nos ipsos adoptata; scilicet cum dispensatio gratia sit, reservatur haec fidelibus sub Ecclesiae obedientia viventibus; unde ad haereticos non debet extendi, qui non agnoscendo eiusdem auctoritatem per hoc se reddunt

similis indulgentiae indignos; vel ad summum poterit dispensatio in gradibus ab Episcopis concedi, in aliquo particulari casu, qui non sit strictior illis, qui in formula comprehenduntur, et in quo concurrat causa urgens et publica, non autem privatum aliquod commodum vel effroenis animi contrahentium impetus. Speramus quoque aliunde futurum, ut Episcopi vestrates quantum ad ista impedimenta parentelae tranquilli possint vivere, propter aversionem, quam Caesarea Sua Maiestas a dispensatione in gradibus se habere declaravit.

Transeundo nunc ad aliud punctum de imperata Parochorum assistentia in matrimoniis mixtis; dicimus, quod si praemissa supranominata admonitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, ipsa nihilominus in voluntate illud contrahendi persistat, et matrimonium infallibiliter secuturum praevideatur, poterit tunc parochus catholicus *materialem suam exhibere praesentiam*, sic tamen ut sequentes observare teneatur cautelas.

Primo, ut non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec aliqua veste ritum sacrum praeferente indutus, neque recitabit super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicet.

Secundo, ut exigat et recipiat a contrahente haeretico *declarationem in scriptis*, qua cum *iuramento*, praesentibus duobus testibus, qui debebunt et ipsi subscribere, *obliget se ad permittendum comparti usum liberum Religionis Catholicae, et ad educandum in eadem omnes liberos nascituros sine ulla sexus distinctione*; quemadmodum praescripsit defuncta imperatrix Maria Theresia Art. 4. decreti sui de 20. Febr. 1751. pro matrimoniis, quae in civitate Tergestina inter Graecos dissidentes et unitos forte contingeret contrahi. Unde quum nunc velit Sua Maiestas ut mares omnes in protestantismo educentur, si pater sit haereticus, necesse erit ut super deplorandis talis mandati sequelis urgentissimae fiant supplicationes Caesareae Suae Maiestati, ponendo ipsi ob oculos oppositam suprafatam ordinationem Augustae suae Genitricis.

Tertio, ut et ipse contrahens catholicus declarationem edat a se et duobus testibus subscriptam, in qua cum iura-

mento promittat, non tantum se numquam apostaturum a Religione sua Catholica, sed educaturum in ipsa omnem prolem nascituram, et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici.

Quarto, quod attinet *proclamationes* decreto caesareo imperatas, quas Episcopi apprehendunt actus esse civiles potius quam sacros, respondemus: quum praeordinatae illae sint ad futuram celebrationem matrimonii, et ex consequenti positivam eidem cooperationem contineant, quod utique excedit simplicis tolerantiae limites, *non posse nos ut hae fiant annuere,* et hinc recurrendum iterum erit ad Caesaream Maiestatem, quatenus in ista saltem parte eximere dignetur Parochos a dictis proclamationibus et specialiter in loco sacro faciendis.

Omnes hae regulae, de quibus hactenus scripsimus, desumtae sunt ex instructionibus per Praedecessores nostros in parili casu datis, a quibus eo minus possumus declinare, quod agatur de matrimoniis istis introducendis in regiones, in quibus populus totus catholicus est, aut saltem pars eius longe maxima, idque directe in oppositum detestationis illius universalis, quae existit adversus eius generis nuptias in vicina Hollandiae republica.

Superest nunc de uno adhuc puncto loquendum, super quo licet non simus expresse interrogati, silentio tamen illud praetereundum non credimus, utpote quod in praxi nimis frequenter possit accidere, hoc scilicet: an contrahens catholicus, postea volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti? Ad quod dicimus, dum idem ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae coniunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante Confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem coniugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus nos quominus pars catholica Sacramentornm fiat particeps.

Existimamus nunc abunde nos satisfecisse tuis ac reliquorum Episcoporum convicinorum tuorum aedificanti sollicitudini, quapropter sermonem cotrahendo finem imponimus, sincero Te corde amplectentes, Tibique ac reliquis Praelatis,

nec non gregi curae cuiusque commisso Apostolicam impertientes benedictionem. Datum Romae apud S. Mariam M. die 13. Julii 1782.

67.

Repraesentatio Episcoporum Belgii ad Imperatorem Josephum II. circa matrimonia mixta, dd. 21. Augusti 1782.

Transmissae sunt ad Episcopos Belgii Literae ex parte Suarum Serenitatum Regiarum Gubernatorum Generalium dd. 21. Maii 1782. annunciantes, quod Suae Maiestatis, in cunctis suis Statibus mixta matrimonia toleranda esse decernentis intentio fuerit, ut eousque donec Protestantes Ministros authorisatos habuerint, Parochi Catholici talium matrimoniorum assistant celebrationi, et banna promulgent. Jam penes omne etiam studium Episcoporum intentionibus Maiestatis Vestrae respondendi, impossibile tamen erat illis, hoc in obtutu se conformare: cum huiusmodi matrimonia per Ecclesiam semper tamquam illicita, bono prolium contraria, et cum zelo ac amore unicae verae religionis incompatibilia considerata fuerint. Reipsa haec matrimonia mixta continent in se certum ac inevitabile periculum pro contrahente parte catholica, quod maius adhuc videtur tunc evadere, dum pars haeretica est foemina.

Libri Sancti nobis eatenus evidentes probas suppeditant in tristibus exemplis Salomonis, Achabi, et tot aliorum seductorum ac ab obedientia et cultu veri Dei declinantium per illecebras et artificia foeminarum idololatrarum, et praevaricatricum, quae communiter, sicut Cardinalis Bellarminus ait, tali supra viros suos valent auctoritate, ut communius sit ipsos per illas in errorem induci, quam ut hae per illos ad agnitionem veritatis adducantur. Ipse Deus praedixit hanc seductionem Israëlitis, dum ipsis inhibuit contrahere matrimonia cum infidelibus; *filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis, irasceturque furor Domini contra te.* Deuter. VII. Saepe etiam sensibiliter punitae sunt praevaricationes huiusmodi castigationibus et flagellis, quae

tantum legi huic divinae apud Hebraeos conciliarunt respectum, ut post reditum eorum Babylone una de curis Esdrae fuerit, graviter reprehendere illos, qui cum alienigenis prohibita contraxissent connubia, horumque separationem decernere.

Non minus etiam exponunt haec matrimonia manifestis periculis salutem aeternam prolium in casu, ubi unus vel alter sexus in vim conventionis, ab Ecclesia semper reprobatae, in errore educari deberet, id quod etiam tunc staret, si religio Patris Catholici simile infortunium impediret; nam falsus zelus Matris protestanticae omnis generis adhiberet media, prolibus suis principia sectae suae instillandi; hae vero videndo diversitatem religionis parentum, et nesciendo, quaenam e duabus tenenda sit, certo se exponerent discrimini, ut neutram teneant.

Hae considerationes permovere Protestantes ipsos, ut se constanter opponerent matrimoniis inter sectae suae homines et Catholicos ineundis, prout hoc probant plures Synodi Calvinistarum Galliae, et nominatim XV. Nationalis in Monte Pessulano asservata anno 1598. ubi decisum fuit: matrimonium inter Principissam sororem Henrici IV. Gall. Regis, et Ducem Lotharingiae non esse licitum, nec debere illud celebrari in ecclesiis Reformatorum.

Status Generales Reipublicae Hollandicae pariter publicarunt in hoc merito Edictum a. 1750. in quo detestantur haec matrimonia mixta, multipliciaque ad illa impedienda ponunt obstacula; et asseverare licet, in ista Provincia, una de maxime tolerantibus Europae provinciis, matrimonia huius generis Protestantibus et Catholicis esse aeque odiosa tum ob periculum seductionis, tum ob dissensiones domesticas, et alia infortunia, quae sunt illorum ordinaria consectaria. Parochi Catholici et Missionarii plena illic libertate, et publice praedicant adversus idmodi connubia.

E quibus Majestas Vestra facile iudicabit, qualenam scandalum foret vicinis nostris utriusque religionis, si in parte Catholica Belgii ea connubia sine omni impedimento permitterentur.

Haec matrimonia insuper aperirent ianuam haeresi, et efficaciter conferrent ad inficiendum gregem Jesu Christi per vincula, amicitias et frequentes ac reciprocas unius familiae cum altera coniunctiones.

Indispensabilis proinde muneris est Episcoporum, et omnium zelosorum pastorum, illa impedire studere; sicut Benedictus XIV. id ipsis expresse iniunxit in Tractatu suo de Syn. Dioec. lib. VI. cap. 5. et id eo quidem magis in provincia, qualis nostra est, ubi haeresis inde a ferali revolutionum tempore (quarum illa fons erat) nullum amplius, gratiae Deo, fecit progressum, et ubi per consequens tam magni est momenti, quam facile illam denuo introducere; nec oportet in deplorabilem Germaniae, et tot aliarum Provinciarum statum nos coniicere, ubi illa (haeresis) causavit, et adhuc causat mala, abusus, molestias, quae Ecclesiam eo tandem adegerunt, ut tolerare debuerit gemebunda, quod impedire nequivit.

Demum huiusmodi matrimonia contrahentes, cum uterque in tali statu existant, qui ex toto oppositus est statui Gratiae, ad digne suscipiendum Sacramentum necessario requisito: Ministri Ecclesiae haud possent illis adplicare preces, ceremonias, et benedictionem nuptialem, quin una communicent res sacras parti haereticae, a communione fidelium segregatae, et quin respectu contrahentis catholici cooperentur sacrilegio ac profanationi Sacramenti illicite, et in statu peccati mortalis suscepti.

Non obstantibus cunctis his adeo gravibus et summi ponderis rationum momentis, noluerunt tamen Episcopi proprio duntaxat suo iudicio rem committere, ceteroquin id unice desiderantes, ut medium quoddam inveniant, quo salva sua conscientia ordines Maj. Vestrae possent exequi. Quare expediens fore censuerunt ad Caput Ecclesiae recurrere, et abinde decisionem implorare: quae provincia mihi infrascripto obtigit.

Responsum, quod paulo ante accepi, non poterat non esse conforme principiis, quae difficultatem nostram constituerunt: ast ut nobis quoque possibile fiat quapiam ratione propius ad desideria accedere Majestatis Vestrae, Sanctiss.

Pater haud repugnat, quo Parochi Catholici materialem suam praesentiam in qualitate testis commodent celebrationi contractus mixtorum horum matrimoniorum, sed sub his conditionibus:

Primo, ut non promulgent ipsi banna, praesertim in Ecclesia, quod tantumdem foret, ac directe cooperari vetitis his conjugiis; porro ut illis non assistant in loco sacro, nec sacris vestibus induti, et abstineant a recitando super contrahentibus preces usitatas, atque a danda iis benedictione nuptiali; nimirum matrimonia haec celebrentur eadem prorsus ratione uti illud Henriettae Galliae Principissae, quae post obtentam prius dispensationem Pontificiam, matrimonio iuncta fuit cum Carolo I. Angliae Rege in praesentia Ludovici XIII. et huius Aulae, sine nuptiali benedictione, et ad portam duntaxat Ecclesiae Parisiis. Haec contrahendi forma, penes quam omne id, quod e praescripto C. Tridentini essentialiter requiritur, observabitur, non impediet, quominus matrimonia sic inita valida sint, et proles quoque legitimae; nec privati fundate conqueri poterunt, dum cum Principissa Galliae, et Rege Angliae ad libellam collocabuntur:

Secundo, ut contrahentes se obligent sub iuramento, et ope scripti, quod omnes suas proles utriusque sexus in Religione Romano Catholica sint educaturi, omnibus aliis pactis et conventionibus huic essentiali parentum obligationi, ac secundum plerosque Theologos ipsi adeo Legi Divinae, naturali item et ecclesiasticae contrariis existentibus: ac siquidem huic conditioni non sint conformes Regiae Encyclicae, quas de tolerantia accepimus, Summus Pontifex nos exhortatur, ut desuper Majestati Vestrae efficacem repraesentationem substernamus.

Hoc proinde est principale obiectum praesentium literarum, quas Majestati Vestrae substernere praesuminus, persuasi, quod Eadem confestim perspectura sit summum rei momentum, et quod — intentione Eiusdem haud alia existente, quam mixtorum huiusmodi matrimoniorum validitatem et prolium legitimitatem in Statibus suis assecurandi — Eadem difficultatura non sit, ut nos conditionibus per S. Patrem praescriptis conformemus, quae adeo accomodae sunt ad praepediendos in futurum hac in regione funestos haere-

sis progressus, et simul pro bono prolium adeo essentiales, quarum fortuna et salus aeterna alioquin pendet principaliter a prima illarnm educatione.

Nos itaque nobis blandiri audemus, quod Maj. Vestrae dignabitur pro suo Belgio relaxare id, quod intuitu religionis prolium e mixtis nuptiis praescripsit. Idque hoc magis speramus, quod existant iam dioeceses in meditullio Germaniae, ubi duae illae religiones aequaliter sunt toleratae, et ubi tamen Presbyteri Catholici nequaquam assistunt mixtis matrimoniis, nisi prius adsit contractus inter futuros conjuges de prolium in fide Catholica educatione. Ipsi hi contractus saepe fiunt coram Magistratibus Lutheranis, quin redarguantur.

Quidam etiam asserunt nobis, quod dum defuncta Sua Majestas, Vestra Augusta Mater Graecis non unitis in urbe Tergesti liberum Religionis ipsorum exercitium concessit, haec eadem conditio ipsis praescripta fuerit pro matrimoniis, quae cum Catholicis contraherent.

Demum supplicamus humillime Maiestati Vestrae, velit considerare, quod pars Catholica de sua religione unice vera, item de eo, quod Lex Divina et vox naturae ipsam ad proles in eadem religione vera educandas obligent, convicta, debeat necessario subin, simulac desuper seria mentem eius subierit reflexio, redarguere et detestari ipsum illud matrimonium, quo impeditur satisfacere obligationi suae adeo essentiali, et quo in aeternum perdere potest partem prolium suarum; contrarium vero obtinet respectu partis Protestanticae, quae credendo secundum sua principia, hominem etiam in Ecclesia Rom. Catholica salvari posse, nullam experitur anxietatem propter obligationem educandi proles suas in eadem religione; hocque impedire non potest, quin pars protestantica felix esse queat cum persona catholica secum matrimonio iuncta. Atque adeo conditio, quam S. Pater desiderat, non solum Legi Divinae conformis est, sed eo quoque tendit, ut matrimoniis his satisfactionem procuret et temporalem felicitatem.

Postremo, si infausta adiuncta tolerare coegerunt contrarias consuetudines et exempla in Germania aliisque Provinciis a longo iam tempore haeresi infectis: ex hinc nulla

ratione trahi potest consequantia pro nostris Provinciis, quibus a peste haereseos liberatis, usque praesens fortuna obtigit se ab ea praeservandi, et quarum incolae nihil adeo in votis habent, quam ad posteros suos transmittere depositum verae fidei, a parentibus suis haereditatum, quemadmodum Majestati Vestrae id evidens fit ex innumeris humillimis repraesentationibus in merito Decreti Tolerantialis factis.

Hac firma spe nixi perseveramus Majestatis Vestrae humillimus etc. Cardinalis AEp. Mechliniensis, qua etiam Metropolita, et nomine Episcoporum suae Provinciae. Mechliniae, 31. Aug. 1782.

68.

Responsum Imp. Josephi II. ad Repraesentationem Epp. Belgii quoad matr. mixta, ddo. 30. April. 1783.

Quoad relationem, quae Nobis facta est de Vestra Repraesentatione in merito executionis Nostrarum literarum circularium de 21. Maii 1782. matrimonia inter Catholicos et Protestantes concernentium, Nos per praesentes literas Nostras Vobis declaramus: necessarium non esse, ut Parochi *in Ecclesia* matrimoniis his suam commodent praesentiam, sed sufficere, si haec ipsa matrimonia *in praesentia* Parochorum contrahantur in domibus ipsorum, aut quopiam alio loco, in quo Parochi et partes contrahentes cum testibus convenire poterunt; de cetero permissum esse Parochis promulgationes pro matrimoniis his ante portam, aut in atrio Ecclesiarum suarum facere, si ipsi opportunum non iudicent id in ipsa Ecclesia perficere. Nos vobis declaramus porro, per clausulam literarum circularium de 15. Dec. 1781. quoad casum, dum vir Protestans ducit catholicam, non prohiberi, quominus duae partes contrahentes, post exhortationes, quas Parochi ipsis eatenus facere possunt, convenire valeant de educatione suarum prolium in Religione Catholica; sed expressam voluntatem Nostram esse, in iisdem literis circularibus enunciatam, ne in simili casu contrahentes *cogantur* ad ineundam ipsis ivitis huiusmodi conventionem. Postremo certiores vos reddimus, Nos intentiones Nostras

super hoc merito singulis Episcopis seorsim notitiae dedisse, et nolle Nos, ut in negotiis huius generis aut aliis Episcopi consilia conferre aut sensa sua in communi, aut omnium nomine exprimere possint, quasi unum corpus formarent. In reliquo etc.

69.

Rescriptum Pii VI. ad Archiepiscopum Mechliniensem dd. 31. Maii 1783.

Domine Cardinalis noster colendissime. Promptum responsum damus caris tuis literis de die 9. huiusce mensis, quibus instructos nos reddis de iis, quae subsecuta sunt in sequelam supplicis libelli exhibiti a Te Aulae Bruxellensi tam tuo nomine, quam aliorum Episcoporum istius Provinciae, quoad matrimonia mixta. Literae Regiae ad Te directae 30. praeteriti mensis, augent argumenta amaritudinis nostrae propter illas duas circumstantias, quod videlicet omnino fieri debeat publicatio bannorum, quodque peractis a Parochis debitis exhortationibus; utrum contrahentes diversae religionis velint prolem nascituram educare in Religione Catholica, si dissentire pergant, minime adstringi queant eandem sic educare.

Quoad primum articulum bannorum sive *proclamationum, tolerari poterit*, ut eae fiant non solum *extra ecclesiam,* uti permittitur in praefatis Literis Regiis, sed etiam *omnimode extra locum sacrum.* Idque erit primum publicum signum improbationis horum matrimoniorum; sed ut ipsa improbatio manifestior evadat, indicetque ex parte Parochi suam cooperationem fore concursum pure materialem et coactum, praestat *addere consuetae formulae bannorum aliquam expressionem indicantem huius generis matrimonia esse execranda.*

Quod vero ad secundum articulum *educationis prolis in Religione Catholica,* praefatae Literae Regiae approbant exhortationem, quodque contrahentes eam amplecti possint, ast vetant coactionem. Hinc est, quod, quemadmodum nulla esse potest difficultas *ex parte personae catholicae* ad praestandam obligationem iuratam non dimittendi propriam

religionem, ne videatur esse apostata, sic nec etiam potest recusare se adstringere ad procurandam conversionem partis heterodoxae et educationem prolis in sua Religione Catholica, et hinc persistendum est, ut *exigatur ab eadem propositum iuramentum.*

Quod vero spectat ad *partem haereticam* pervicacem et dissentientem, scis bene nos in nostris literis 13. Julii elapsi anni ea de re penitus Te tranquillum reddidisse, a quibus non est cur hodie recedamus: et ne videamur nos auctores esse maiorum damnorum, quae singulariter nostrae S. Religioni exinde obvenire possent, si bonos *Episcopos* hortaremur ad capiendam aliquam violentam resolutionem, *eorum prudenti iudicio remittimus uti eo zelo, qui magis temperatus ipsis esse videbitur iuxta occurrentium casuum circumstantias, donec cessabit quassatio.*

Ab hoc dolorissimo articulo transeuntes ad postremum dictarum literarum regiarum vere deplorabilium, quo vetantur Episcopi repraesentationes facere communi nomine, quamquam et hac in re regulae canonicae laedantur, non putamus in praesentia eidem obsistere necesse esse; siquidem ut unio Episcoporum conservetur, satis esse videtur, si quilibet suas repraesentationes separatim faciat, comparatis tamen prius inter vos consiliis: exhibitis deinde precibus tempore distincto diversoque stylo confectis, sed uniformibus quoad substantiam ac conclusionem, per hanc agendi rationem obtinebitur finis consuetus, et non erit cur expostulentur inordinatae ordinationes. — —

Minime praetermittimus quotidie Deum exorare, ut effundat aliquem radium gratiae suae super eum, qui non vult respicere ad infelicitatem status et conditionis suae, dum nos vividissimo dolore oppressi cum distinctissima et affectuosissima aestimatione ob splendidissimum tuum meritum persumus, Paternam benedictionem Tibi impertientes. Datum Romae apud S. Petrum die 31. Maii 1783.

70.

2. In Polonia.

Breve Benedicti XIV. ad Poloniae Regni Primatem, Archi- et Episcopos de concessione et executione Dispensationum Apostolicarum super impedimentis Matrimonii, dd. 29. Jun. 1748.

Magnae Nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fidedignorum relatione, certisque gravium virorum literis accepimus, falsam quamdam in isto Poloniae Regno opinionem et famam invaluisse: quod scilicet ab hac Apostolica Sede, cui Nos, licet immeriti, divina ordinatione praesidemus, aliquae dispensationes matrimoniales concessae et missae fuerint, et hactenus concedi et mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta canonica Matrimonio legitime aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter vel etiam uterque haereticam sectam aperte profiteatur. Quod quum nonnisi per iniuriam et intolerabilem calumniam excogitatum sit, atque disseminatum: Apostolici ministerii Nostri officio deesse Nos arbitraremur, nisi Vobis, Venerabiles Fratres, atque omnibus, ad quos hae literae Nostrae perventurae sunt, testatum ac manifestum redderemus, quae sit in hoc rerum genere perpetua Apostolicae huius Sedis agendi regula et constans consuetudo; simulque Vos omnes, et singulos per istud Poloniae Regnum sua semper fide et religione commendatum, Ordinarios Praesules constitutos enixe admoneremus, et per misericordiam Dei obsecraremus, ut literas dispensationum matrimonialium, quae pro ipsius regni incolis ab hac Sede et Curia mittuntur, et ipsi attente legatis atque expendatis, et a vestris quoque Vicariis et officialibus accuratissime considerari iubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte peccatum est, non id factum esse Apostolicae Sedis eiusque Officialium culpa; verum aut Ordinariis locorum aut eorum Ministris, qui transmissas dispensationum literas nec legere nec satis pensare curarunt, omnino tribuendum esse.

Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas eius

disciplinae, qua semper Apostolica Sedes Catholicorum cum haereticis coniugia reprobavit. Sed aliqua duntaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eandem disciplinam ac regulam ad Nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos et Apostolicam Sedem non minus integram vigere et religiose custodiri. Hoc est quod de se ipso suisque temporibus testatus est fel. rec. Praedecessor Noster Urbanus PP. VIII. in suis Literis Apostolicis datis die 30. Dec. a. 1624. quae leguntur apud Card. Albitium in libro, cui titulus: „de inconstantia in fide" c. 37. n. 127. ubi ita scribit: „licet probe teneamus Catholicorum cum haereticis matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in Nobis est, a Catholica Ecclesia procul arcere intendamus." Nec minus aperte sententiam suam declaravit piae memoriae Praedecessor pariter Noster Clemens PP. XI. in literis die 25. Junii a. 1706. datis, et editis in Collectione ipsius Brevium et Epistolarum Romae vulgata a. 1724. ubi p. 321. sic legitur: „Maioris momenti esse existimamus Ecclesiae Dei, Apostolicae Sedis, Praedecessorum Nostrorum et sacrorum Canonum a Catholicorum cum haereticis coniugio abhorrentium regulas, nisi id totius christianae reipublicae bonum exposcat, non transgredi" et in aliis literis datis die 23. Junii a. 1707. in eadem coll. relatis p. 391: „Ecclesia siquidem ab eiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis nec parum spiritualis periculi praeseferunt, abhorret."

Sed et Nostrum hac de re iudicium satis patere arbitramur ex Decretali Rescripto auctoritate Nostra edito, die 4. Nov. a. 1741. et impresso Tom. 1. Bullarii Nostri n. 34. §. 3. cuius verba sunt, quae sequuntur: „Dolens inprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis, Catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se haereticis conjungant — etc." *)

*) Vide *Declar. Bened. XIV. de 4. Nov. 1741. - Mon. 60.*

His autem veluti fundamentalibus Apostolicae Sedis regulis; eiusdem agendi ratio constanti usu recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contingit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur; sive praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter contrahentes intercedat: neque licentia, neque dispensatio conceditur, nisi hac expressa lege seu conditione adiecta, nimirum *abiurata prius haeresi.* Quin etiam recolendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius PP. X. ulterius progrediens iussit et cavit, ne dispensationes huiusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset, haereticam labem a contrahente heterodoxo eiuratam fuisse; quod testatum reliquit laudatus Card. Albitius Congregationis universalis Inquisitionis tunc temporis Assessor, in supracitato tractatu: „de inconstantia in fide" c. 18. n. 44. Praefatus vero Praedecessor Clemens XI. in Congregatione S. Officii coram se habita die 16. Junii a. 1710. mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias, aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem Catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis reipsa praecessisset.

Quodsi nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi matrimonium, aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt non adiecta conditione de abiuranda prius haeresi: rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessiones fuisse, et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos Principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente factas fuisse; insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas, tum ne Coniux Catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum executori-

bus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter et data opera officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat in omnibus casibus, quibus facultates, aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro matrimoniis a Catholico viro aut muliere cum haeretica foemina aut viro contrahendis, eandem Apostolicam Sedem, ut supra diximus, huiusmodi matrimonia, nisi haeresis abiuratio praecedat, et semper improbasse, ac damnasse, et nunc quoque abominari ac detestari.

Quoties vero dispensationes ex aliqua probabili causa petuntur pro matrimoniis, quae quidem inter haereticos sunt contrahenda, sed id nequaquam in precibus palam exponitur, quum nequeant Apostolicae Sedis Ministri atque Officiales hoc divinando rescire: ad obstruenda obloquentium et calumniantium ora hoc innuisse sufficeret, quod nulla conceditur dispensatio, quae alicui certo executori directa non sit, cui nimirum in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat, et dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat: cumque huic ignorare non liceat, matrimonia Catholicorum cum haereticis ab Apostolica Sede improbari et damnari, facile vero cognoscere valeat haeresis vitium, quo contrahentium alter inficitur, et de quo nulla habetur mentio in literis dispensationis, eidem Apostolicae Sedi occultatum fuisse: ad eius officium pertinet huiusmodi literarum executionem suspendere, eiusque suspensionis causam Romano Pontifici, eiusve Officialibus ea, qua decet, reverentia per literas aperire; quemadmodum Praedecessor quondam Noster Alexander PP. III. Ravennae Archiepiscopo faciendum praescripsit in suis literis, quae ad perpetuum vigorem in Decretalium Codicem relatae sunt Cap. si quando, de Rescriptis, ubi sic legitur: „qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava Nobis fuerit insinuatione suggestum."

Verum non hic sistit Apostolicae Sedis, eiusque Officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quae pro removen-

do alicuius matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad eiusmodi regiones pertinere dignoscatur in quibus Catholici cum haereticis mixti habitant; nec aliunde certo constet utrumque postulantem seu eorum alterum Catholicae Religionis professorem existere; praefati Officiales Pontificis mentem probe callentes, postulantem utrumque Catholicum esse semper praesumunt, ideoque eorum preces in libello (supplicationem appellant) Pontificis manu obsignando his verbis exponunt: „Cupiunt Oratores praefati, qui orthodoxae fidei cultores vere existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, vivereque et mori intendunt etc." quibus consonant alia verba, quae in parte conditionali ad maiorem cautelam opponuntur, nimirum: „et dummodo Oratores praefati orthodoxae fidei cultores vere existant, et sub obedientia S. R. E. vivant, vivereque et mori intendant."

Quibus praenotatis, iam id iure optimo quaerimus: quum literae dispensationum matrimonialium eiusmodi verbis conceptae eoque tenore expeditae fuerint, si postmodum innotescat contrahentes haereticos esse, vel unum eorum Catholicum, alium vero haereticum, et nihilominus dispensatio executioni mandetur, cuius erit culpa, et quisnam dispensationis in indignos profusae iure accusari poterit? an is, qui bona fide et opportunis cautelis adhibitis, adjectisque legitimis conditionibus illam concessit; an vero is, qui nulla conditionum huiusmodi ratione habita, aut nulla de contrahentibus disquisitione praemissa, dispensationem ipsam contra Concedentis voluntatem indebitum effectum habere permisit?

— — Jam vero longius processit oratio Nostra, quam Nobis huius Epistolae initio propositum fuerat; cuius rei tamen Nos minime poenitet; Nobis enim summopere cordi est, maximeque interest Catholicae Religionis, et Sedis Apostolicae, ut factorum rerumque veritas non ignoretur; neque falsi rumores adversum Sacram Petri Cathedram disseminati fidem inveniant; si quae autem contra sacros Canones ullibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Ut autem eo redeat Epistolae Nostrae finis, unde eadem initium desumsit, Tibi, Venerabilis Frater, ceterisque istius Regni Ordinariis Praesulibus iterum enixe commendamus, ut Apostolicas Dispensationum Literas, quae Vobis pro executione diriguntur, et a Vestris respective Officialibus attente considerari iubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate aut falsitate disquirere; multa enim malitia hominum est super terram, nec Nobis rescire datum est, usque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad aures Nostras pervenit, quemdam fuisse, qui sublato gradus impedimento, haereticum virum cum muliere Catholica matrimonio coniunxerit, cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitarit asserere, se hac in re Apostolicae dispensationis, quam ab Urbe accepisset, auctoritate munitum fuisse; quum vero ad producendas huiusmodi dispensationis literas provocaretur, eas numquam edere potuerit, quia eas reipsa nunquam acceperat. Verum Nos de inclyta Polonorum Natione, quam Paternae charitatis affectu complectimur, deque Sacris istius Regni Praesulibus, quos omnes et singulos magno in honore habemus, favorabilius iudicantes, improbum huiusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, Venerabilis Frater, gregique Tibi commisso Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

71.

Extractus ex Brevi altero eiusdem Benedicti XIV. ad Poloniae Episcopos, dd. 8. Augusti 1748.

— Degunt quibusdam in locis istarum regionum catholici cum haereticis mixti, palam inter se matrimonia contrahunt, et nemo est, qui contrahentes corripiat et puniat aut illis adversetur. Hoc autem posito qui fieri potest, ut hinc colligatur dispensationis concessio super aliquo impedimento in huiusmodi matrimoniis inter catholicum et haereticum, et multo magis inter duos haereticos, ut in specie, de qua agitur, contigit. — Tolerat quidem in aliquibus locis Apostolica Sedes matrimonia inter catholicum et haereticam, vel haereticum et catholicam, cum nequeat impedire, et ecclesi-

astica quadam prudentia, ne maiora mala enascantur, dissimulat ac tacet. At quod Apostolicae Sedis auctoritate gratiosa in hisce matrimoniis dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest, nisi praecedat haeresis abiuratio, iuxta eiusdem Sedis Apostolicae disciplinam a Nobis in praecedenti Epistola expositam et iuxta recensita concessae facultatis verba.

72.

Conclusum Tractatus Varsoviensis de an. 1768. circa matrimonia mixta.

Art. II. §. 10. Matrimonia inter personas diversae religionis, e. c. Romano-Catholicae, Graeco-Nonunitae, et Evangelicae utriusque Confessionis, a nemine prohibeantur, aut impediantur. Proles ex mixto eiusmodi matrimonio religionem parentum sequetur, filii nempe patris, filiae matris; excepto casu, quo personae nobiles in pactis ante ductum matrimonium inter se convenerint. Copulatio a Sacerdote, vel ministro eius religionis, quam sponsa profitetur, peragatur; quodsi vero parochus sponsae Romano Catholicae copulationem denegaret, ministro religionis dissidentium libertas esto eundem copulandi. Decreta denique, si quae forte huic sanctioni contraria ex quocunque iudicio emanata fuerint, pro nullis declarantur.

---

3. In Germania, Borussia, Russia etc.

73.

Dispositio Regiminis Sayn-Hohenburgici de educatione religiosa prolium e mixtis matrimoniis, dd. 8. Mart. 1763.

Um unter den ganz gleich gehaltenen Unterthanen, welche den drei im deutschen Reiche geduldeten christlichen Religionsbekenntnissen zugethan sind, jeden Gewissenszwang und alle Streitursache zu beseitigen, die aus den seitherigen

Vorschriften über die Religion der Kinder von Eheleuten verschiedener Konfession entstanden sind; wird, mit Vorbehalt der landesherrlichen Abänderungs-Befugniss, Folgendes verordnet: 1. Über die Erziehung derer Kinder in ein oder anderer Religion soll denen verlobten Personen unterschiedenen christlichen Glaubens-Bekenntnisses erlaubt seyn, vor Antritt der Ehe, sich nach eigenem Gefallen zu vereinbaren und zu vergleichen, in welcher Religion ihre Kinder zur h. Taufe zu befördern und zu welcher Kirche und Schule sie in ihren unmündigen Jahren anzuhalten seyen; jedoch soll diese Abrede und Vereinbarung, zu Verhütung beschwerlicher Ungewissheit und Streites, bei der gewöhnlichen Nachsuchung der Erlaubniss zur Ehe, von beiden Verlobten, welche, wie ohnedem hiebevor verordnet ist, in Person bei unserer Regierung erscheinen müssen, mündlich bei unserem Consistorio ad protocollum angezeigt, oder, in dem Fall, dass sie persönlich zu erscheinen unumgänglich verhindert wären, von denen über das Alter, Aufführung und Verwandschaft deren Verlobten attestirenden beiderseitiger Religion zugethanen Geistlichen in ihren Berichten gleichförmig übereinstimmend bezeuget, oder aber auch in anderer glaubwürdiger Form vor der priesterlichen Einsegnung eingesendet werden; wie dann auch die Ehen untermischter Religion, es seie dann aus erheblichen und wichtigen Ursachen, nicht anders zugelassen werden sollen, als nach Errichtung einer solchen probständigen Vereinbarung und Vergleichung in Ansehung der Taufe und Erziehung der Kinder in ein oder anderer christlichen Religion; als welche Vereinbarung die Eheleute heilig halten und den einander hierüber ertheilten Treu und Glauben auch nach dem Tode des Einen oder des Andern nicht verletzen sollen. Hätte aber ein zurückgebliebener Ehegatte oder Ehegattin der getroffenen Verbindlichkeit entgegen gehandelt, so soll derselbe oder dieselbe jedesmal in eine Geldstrafe nach Ermässigung und in dem Fall des Unvermögens in eine andere willkührliche Strafe genommen werden. 2. Soll Eheleuten in dem Fall es vor der Ehe nicht geschehen, auch während der Ehe erlaubt sein, über die Erziehung ihrer Kinder in ein oder andrer Religion sich zu vereinbaren, wann nur solches fried-

lich, freundschaftlich und aus freiem Willen des Mannes als Haupts der Familie geschiehet; diese während der Ehe eingegangenen Verträge sollen bei unserm Consistorium angezeigt, und auf eine authentische und glaubwürdige Weise niedergeschrieben werden. Diejenigen Weiber aber, welche durch unanständiges Betragen der Kinder in diesem Stück etwas von ihren Ehemännern erzwingen, oder sonsten aus einem unzeitigen Religionseifer Missverständniss und Ehestreit erregen werden, sollen in wohlverdiente Strafe genommen, zugleich aber zu ihrem Endzweck nicht zugelassen werden. 3. In dem Fall aber, dass weder vor, noch während der Ehe gültige und erweissliche Verträge über die Erziehung der Kinder in Ansehung der Religion errichtet worden wären, soll dem überlebenden Ehegatten die Kinder zu Kirchen und Schulen seiner Religion zu schicken und anzuhalten erlaubet sein, und ihm sein freier Wille gelassen werden. 4. Sollten aber beiderseits Eltern während der Unmündigkeit ihrer Kinder Todes verfahren, und, es seie vor oder während der Ehe, über die Erziehung derenselben Kinder in Betracht der Religion einen gültigen und erweisslichen Vertrag nicht errichtet haben, alsdann sollen die hinterbliebenen Kinder in demjenigen christlichen Glaubensbekenntniss, welchem der Vater zugethan gewesen, erzogen, und des Endes auch denenselbigen Vormünder dieser Religion bestellet, von Stief-Eltern und Anverwandten aber, bei willkührlicher Strafe, hiergegen nicht gehandelt werden; wiewohlen wir im Fall der Nothwendigkeit zu Verpfleg- und Versorgung derer elternlosen Waisen und aus andern dringenden Ursachen hierunter zu mässigen und zu mildern uns vorbehalten. 5. Würde sich aber zutragen, dass Kinder eine andere christliche Religion zu wählen gemeinet wären, als es die Verträge ihrer Eltern und in deren Ermangelung der Wille ihres übergebliebenen Vater oder Mutter und wenn beide Eltern ohne eine gültige Vereinbarung zu hinterlassen verstorben wären, obgedachte unsere Verordnung mit sich bringet: so sollen sie, sie seien Söhne oder Töchter, bis zu erlangten Unterscheidungsjahren, welche wir hierdurch auf das zurückgelegte vierzehnte Jahr bestimmen, damit zu warten, und bis dahin diejenigen Kirchen und Schu-

len, wozu sie obgedachtermassen gehören, zu besuchen schuldig, mit dem Antritt des funfzehnten Jahres aber befugt sein, eine derer dreien im deutschen Reiche geduldeten christlichen Religionen, welche sie wollen, anzunehmen, und sich darinnen confirmiren zu lassen; dahero dann die gesammte Geistlichkeit in Stadt und Land ohne Unterschied der Religion, bei Vermeidung unsers ernstlichen Einsehens in diesem letztgemeldten Fall keine Confirmation vor dem Antritt des funfzehnten Jahres ertheilen, und in Allem dieser unserer Willensmeinung gehorsamlich nachleben sollen. Gegeben Hachenburg den 8. März 1763.

74.

Declaratio Episcopi et Capituli Fuldensis circa educationem prolium religiosam in mixtae religionis matrimoniis, dd. 24. Maii 1764.

Von Gottes Gnaden Wir Heinrich etc. Urkunden und bekennen für Uns und Unsere Nachfolger am Stift: Demnach die zwischen Uns und Unserm Stift und dem Fürstlichen Haus Sachsen-Weimar wegen des Amts Fischberg obgewalteten Differentien gütlich beigelegt, und die Unterthanen dieses Amts der evangelischen Religions- und Glaubenslehre zugethan und verwandt seien, als erklären Wir Uns auf die desshalb gepflogene Unterhandlung dahin, und versprechen sämmtlichen darin wohnenden evangelischen Einwohnern per modum pacti transactionis summi, dass Wir dieselben in bemeldter ihrer Religion und Gottesdienst weder directe noch indirecte turbiren, sondern bei dem exercitio publico und privato der evangelischen Religion ohne alle Hinderung und Abbruch befinden lassen wollen. — In Ansehung der Kinder aber, deren Eltern von zweierlei Religion sind, im Fall es in denen Ehepakten also verabredet und nicht anders bedungen worden, soll es damit, wie gewöhnlich, also gehalten werden, dass die Kinder männlichen Geschlechts in der Religion des Vaters, und die Kinder weiblichen Geschlechts in der Religion der Mutter erzogen, auch ihren nach zurückgelegten annis discretionis Freiheit gelassen werden.

6*

Desgleichen Wir Domdechant und sämmtliche Capitularen des Hochstifts Fulda verbinden Uns und bekennen hiermit vor Uns und Unsere Nachkommen, dass Wir all vorgesagtes mit beliebt und vorgenehm gehalten haben, dass daher demselben in allen seinen Puncten und Inhalt vollkommentlich nachgelebt, und darinnen einige Gefährde nicht verübt werden solle.

75.

Decretum Maximiliani Josephi Electoris Palatini circa matrimonia mixta dd. 9. Maii 1799.

Von Gottes Gnaden Wir Maximilian Joseph etc. Thun kund und fügen hiemit öffentlich zu wissen: Nachdem Uns durch das Ableben des — Karl Theodor Pfalzgrafen — die Erbfolge — anerfallen ist: so haben Wir alsbald in gnädigste Erwägung gezogen, wie jene, nun seit einem vollen Jahrhundert in Unserer Pfalzgrafschaft am Rhein zwischen Unsern reformirten und katholischen Unterthanen enstandene und bis anher fortgedauerte Religionsirrungen und Streitigkeiten auf einmal gehoben, und dergestalt in den Weg der Ordnung gebracht werden könnten, dass Unsere Unterthanen beider Religionen in Ruhe und Frieden mit einander leben, und ihr Religions- und Kirchenzustand auf eine billige und dauerhafte Art bestehen möge, etc. etc.

Wir erklären, befehlen und verordnen demnach

§. 1. c. Dass künftig die vermischten Heirathen ganz frei von jedermann ungehindert nach dem blossen Willen der kontrahirenden Theile für sich bestehen sollen, und jedem dieser Neuverlobten ohne Unterschied, ob sie sich bei dem Parocho Sponsi oder Sponsae trauen lassen wollen, wenn sie die Proclamationsgebühr bezahlt, die Dimissoriales unentgeltlich ertheilt, und in Absicht der künftigen Erziehung ihrer Kinder ihnen die unbeschränkte Freiheit gelassen werden soll, hierüber mit Beirath der Eltern oder Vormünder das Nöthige in ordnungsmässigen Ehepakten zu bestimmen; wollen sie keine Heirathsberedungen eingehen, so sollen die Söhne in der Religion des Vaters, und die Töchter in der Religion der Mutter erzogen werden, auch

sollen solchen Kindern keine andere Vormünder als von gleicher Religion bestellet werden, und wenn sie die annos discretionis, welche Wir auf das zurückgelegte achtzehnte Jahr bestimmen, erreicht haben, soll von ihrer freien Wahl abhangen, zu einer oder der andern Religion überzutreten.

76.

Rescriptum Maximiliani Josephi Electoris Bavariae de matrimoniis inter Catholicos et Protestantes divortiatos, dd. 8. Nov. 1802.

1. Dass weil nach den in Deutschland geltenden Gesetzen die gemischten Ehen gültig sind, eine richterlich geschiedene Protestantin, nach eben diesen Gesetzen ledig, als eine solche Person anzusehen sei, welche eine anderweitige eheliche Verbinbung eingehen könne. — Ferner

2. dass die bürgerliche Obrigkeit, bei welcher sich dieselbe als eine richterlich Geschiedene darstellt, sie an einer neuen Verehelichung, ohne jene Gesetze zu verletzen, nicht hindern darf; und wenn

3. gleichwohl nach der Meinung mehreren kathol. Theologen dergleichen Ehen aus einem ganz anderen Gesichtspuncte betrachtet als unerlaubt angesehen werden, doch bei solchen Ehen, nämlich eines Katholiken mit einer richterlich geschiedenen Protestantin, oder eines gerichtlich geschiedenen Protestanten mit einer Katholikin, wenn schon ihr gewesener Ehemann, resp. Ehefrau noch am Leben, der bei der weltlichen Obrigkeit nachgesuchte Copulationsschein von dieser niemals versagt werden kann, und sonach diese Ehen mit allen ihren bürgerlichen Wirkungen als gültig angesehen werden müssen.

4. Sollte der kath. Pfarrer glauben, nach den Grundsätzen seiner Religion die Copulation solcher Ehen nicht vornehmen, oder die nachgesuchten Dimissorialien nicht ertheilen zu können, so soll derselbe nicht dazu angehalten und gegen seine Überzeugung zu handeln gezwungen werden; sondern es ist den Ehegatten freizustellen, ihre Trauung bei einem Geistlichen des protestantischen Theils nachzusuchen, welche in Ansehung der bürgerlichen Rechte die

nämliche Wirkung hat, als wenn sie von den kathol. Pfarrer geschehen wäre, wobei dergleichen Eheleute kräftig zu schützen und es nicht zu dulden ist, dass die kath. geistliche Obrigkeit irgend eine ihrer bürgerlichen Ehe nachtheilige Strafe vollziehe.

5. Was dagegen ad forum conscientiae gehöre, darin solle sich die weltliche Obrigkeit nicht einmischen, sondern solches dem Katholiken zur Verhandlung mit seiner geistlichen Behörde allein überlassen.

77.

Breve Pii VII. ad Carolum Dalberg Archiepiscopum Moguntinum dd. 8. Octobr. 1803. de mixtis matrimoniis.

Etsi Fraternitatis tuae literas die 16. Aprilis proxime elapsi ad Nos scriptas iam pridem acceperimus, tamen iis hactenus respondere minime licuit tum propter multas easque gravissimas Apostolatus Nostri curas, quarum pondere in his praesertim temporum perturbationibus undique premimur, tum etiam propter magnitudinem gravitatemque rerum, quas in iisdem contineri perspeximus. Quum enim exortas isthic quasdam non leves de matrimoniis referas quaestiones, ac de iis Nostrum exquiras Apostolicum iudicium, quo certam ac tutam regulam omnes unanimi sensu teneant, ut maturius in re tanti momenti deliberare possemus, adhibitis in consilium nonnullis Ven. Fratribus S. R. E. Cardinalibus, eorumque non minus, quam aliquorum theologica scientia praestantium virorum exquisitis suffragiis easdem coram Nobis examinandas curavimus. Ceterum religionem zelumque Tuum inprimis, Tuamque in hanc S. Sedem observantiam effusis ac plane debitis prosequimur laudibus, quod ex veteri more, institutoque maiorum hanc Petri cathedram consulendam esse censueris, non ignarus, antiquis regulis sancitum fuisse, ut quidquid, quamvis in remotis et longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum esset, nisi ad notitiam almae sedis nostrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quam fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae velut de natu-

rali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas mundi regiones puritatis incorruptae manarent fidei sacramenta salutis.

Atque ut ad rem accedamus, illud primo Nobis in praedictis Tuis literis significasti, Electorem Palatinum die 8. Novemb. anni proxime elapsi Monachii pro tota sua ditione dedisse mandatum, quo protestantium matrimoniorum dissolutionem, acatholicorum conventuum sententia decretam, ubique tamquam validam habendam esse, nullumque impedimentum parti ita solutae, si Catholico vel Catholicae nubere velit, interponendum esse; tum vero a Marchione Badensi idem quoque mandatum decreto diei 31. Januarii currentis anni adoptatum fuisse tam pro terris Palatinatus inferioris ad tractum Rheni, quam pro reliqua tota sua provincia et ditione, ea tamen apposita conditione, Parochum Catholicum, ut secundis his nuptiis intersit, si suae religionis principiis id sibi vetitum indicaverit, neutiquam esse cogendum, sed illas inire cupientibus liberum esse, sibi per acatholicum ministrum copulationem procurandi, atque ita coniunctos potestate civili, quin eorum conscientiae foro sese ullo modo immisceat, quantum ad effectus civiles fovendos tuendosque esse perinde, ac si coram parocho catholico copulati fuissent; tum denique in eadem Badensi ditione ad istam Wormatiensem dioecesim pertinente exinde iam iterato contigisse, ut attentata per sententiam protestantici Consistorii matrimonialis vinculi solutione partibusque in libertatem ad alia transeundi vota dimissis harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum catholica parte inire contenderit, atque sacerdotalem benedictionem desuper expetierit. Porro, ut addebas, parochi anxio animo haerentes postulant opportune instrui a Te atque edoceri, quomodo in relatis similibusque casibus se gerere debeant.

Quaerunt propterea primo: an tuta conscientia secundis illis nuptiis interesse possint? Secundo, an si hae coram ministro acatholico contrahantur, partem catholicam ad poenitentiae sacramentum accedentem absolvere, ad S. Eucharistiam admittere, prolemque inde nascituram etiam quantum ad ecclesiasticos effectus ut legitimam habere lici-

te possint? De his autem concludebas ad Nos scribere voluisse, ut controversiae omnes facilius et tutius iudicio Nostro praeciderentur tum in ista dioecesi, tum in aliis quoque dioecesibus, atque ditionibus, ad quas memoratas leges extendi contingeret, atque ut norma seu regula quaedam generalis praefigeretur, cuius ope Episcopi uniformi congruoque sensu de secundi matrimonii valore iudicium ferre, et parochi confessariique omnem hac super re conscientiarum perturbationem amovere et privatam publicamque quietem tueri possint ac valeant.

Ut ergo super praedictis ex Nostro Apostolicae sollicitudinis ministerio Tibi opportune et cumulate respondeamus, duo hic praemittenda esse duximus, quae sane totius rei sunt veluti prima capita, quaeque ubi praesertim agitur de matrimoniis tum Catholicorum cum haereticis, tum haereticorum inter se vel ineundis vel dissolvendis, semper prae oculis haberi debent.

Atque horum primum est, Catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam Catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus Conciliorum, summorumque Pontificum decretis demonstrare, nisi abunde sufficerent ea, quae hac de re immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV. praedecessor Noster scripsit tum in encyclicis literis ad Poloniae regni Primatem, AEpiscopos et Episcopos, tum in praeclaro suo opere de Synodo Dioecesana. Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem eadem connubia tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione approbationis et consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas, quemadmodum haud ita pridem fel. rec. Pontifex Pius VI. Episcopis Vratislaviensi, Rosnaviensi, et Scepusiano rescripserat.

Alterum vero est, sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam

consequi posse. *(Post plura de hoc argumento interiecta, ita continuat suam ad quaesita resolutionem).* Quaerebas, quid agendum sit a parochis catholicis, cum aliquis ex coniugibus per sententiam Consistorii acatholici solutus a priori matrimonio ac suae libertati restitutus, si velit cum catholico aut catholica nubere, possitne parochus his nuptiis assistere et benedictionem nuptialem impertiri, quod bis tentatum fuisse in ipsa dioecesi narrabas? At Tu ipse ea, qua praestas, sapientia vides, Ven. Frater, gravissimum commissuros scelus, suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos, qui has nuptias sua praesentia probarent suaque benedictione firmarent. Neque enim illae nuptiae dicendae sunt, sed potius adulterina connubia. Perstat enim immotumque manet impedimentum ligaminis ex vinculo prioris matrimonii, quod per sententiam acatholici consistorii relaxari ac dissolvi non potuit, quo durante ac persistente impedimento, si vir foeminae coniungitur, adulterium est. Quapropter suavibus verbis ac blandis et eficaci sermone potius a parocho adhortandus est couiux ille, ne tantum facinus committat, ac ne contra Dei legem peccet, quam Idem ab ipso mundi primordio tulit inquiens: „quod Deus coniunxit, homo non separet." Quodsi propositi tenax morigerum se parochi monitis praebere renuat, et turpi adulterio cum coniuge acatholica copuletur, sitque aleae ac periculi plenum ipsique religioni fortasse noxium ulterius obsistere et contra niti: silere quidem et tolerare tam immane facinus parochus poterit, numquam vero vel copulationi interesse, multo minus benedictionem impertiri. Jubeat, increpet, minetur laica potestas: „obedire magis Deo oportet, quam hominibus." Sacerdos Dei (verbis utimur Divi Cypriani) Evangelium tenens et Christi praecepta custodiens occidi potest, vinci non potest. *(Interpositis rursum de indissolubitate matrimonii pluribus, ita concludit.)* Ad plenam propositae abs Te quaestionis explanationem restat nunc declarandum, an ii coniuges catholicae religionis cultores, qui sola acatholici consistorii authoritate excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris poenitentes

veniam humiliter petant, possint ad Sacramentorum participationem admitti? Sed nulla in hac re potest esse dubitatio, siquidem veros poenitentiae fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo coniuge separentur, si prior vivat adhuc; sin vero decesserit et uterque coniux sit catholicus, Episcopus statuat, quid factu opus fuerit, ut rite sancteque matrimonium contrahi possit; sed si catholicus alter ex coniugibus fuerit, qui cum acatholico velit nuptias inire, vel in eo casu, quo vinculum prioris sui matrimonii per duplicem sententiam iudicis ecclesiastici rite ac legitime dissolutum fuerit, vel in altero, quod per mortem alterius coniugis primum matrimonium suapte natura disruptum ac discissum: tunc caute et maxima adhibita diligentia se gerant Episcopi. Huiusmodi enim matrimonia inter unam partem haereticam et alteram catholicam cum Ecclesia semper detestata fuerit et severissimis legibus interdixerit eo vel maxime, quod plerumque subest grave periculum pervertendi et abstrahendi a fide coniugem catholicum, et anceps ac dubia sit educatio prolis utriusque sexus in religione catholica, christiana caritate ac suavitate quantum fieri poterit, avertant Episcopi ac reiiciant talia coniugia. Quodsi periculum perversionis coniugis removeatur et prolis educatio catholica in tuto sit, iis adhibitis conditionibus, quas Benedictus XIV. in supra memoratis literis ad Primatem et Episcopos Poloniae diligenter servari praescripsit, Tuque, Ven. Frater, aut Episcopi Tui Suffraganei a Nobis petierint aliquo in casu et ex urgentissima causa dispensari, non recusabimus vestris precibus assentiri, si id religionis bonum et animarum salus postulare videatur. — — Datum in arce Gandulfi Alban. dioecesis die 8. Octobr. 1803.

78.

Rescriptum Electoris Palatini Bavarici quoad mixta connubia, dd. 18. Maii et 10. Octobr. 1803.

1. Was die Trauung betrifft, soll den Neuverlobten nach vorhergegangenem gewöhnlichen Aufrufen und erhaltenen Dimissorialscheinen, gestattet werden, ohne Unterschied

sich bei dem Pfarrer des Bräutigams oder der Braut trauen zu lassen. Damit aber auch

2. allen Irrungen, welche über die Erziehung der aus dergleichen Ehen erzielten Kinder entstehen könnten, vorgebogen werde, soll a) denselben eine uneingeschränkte Freiheit, beim Eintritt in die Ehe die Religionsverhältnisse ihrer künftigen Kinder in ordnungsmässigen Ehepakten zu bestimmen, dergestalt belassen werden, dass gleichwohl der Beirath ihrer Eltern oder Vormünder darüber jedesmal bevörderst einzuholen sei. b) Befinden sie während ihrer Ehe aus wohlüberlegten Ursachen, räthlich in ihren eingegangenen Eheberedungen Abänderungen zu treffen, so soll diess anders nicht als mit dem Beirath der Eltern oder Vormünder geschehen. c) Wenn die Contrahenten vor oder bei ihrer Verehelichung über die Religionsverhältnisse ihrer künftigen Kinder nichts auf die bemerkte Art verabredet haben, sollen die Söhne in dem Glauben des Vaters, und die Töchter in dem der Mutter bis zur Erreichung der Discretionsjahren, welche für beide Geschlechter auf das zurückgelegte 18. Jahr festgesetzt werden, erzogen werden. —

79.

Instructio Pii VI. circa matr. mixta pro Ducatu Cliviensi, dd. 19. Junii 1793.

Sacrae Congregationi Concilii proposita erant dubia sequentia: 1. An matrimonia contracta inter Catholicos et Acatholicos coram ministellis acatholicis Ducatus Cliviensis sint valida et licita? 2. An, et quomodo parochi Catholici eiusdem Ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda? 3. An declaratio Benedicti XIV. quoad Hollandiam et Belgium sit extendenda ad praedictum Ducatum?

Rss. ad 1-um. Stat S. Congregatio pro valore, sed tamen sit illicita esse, fieri tamen posse licita ex dispensatione Summi Pontificis. Ad 2-um. Id licite non fieri: licitum tamen fieri ex dispensatione cum iusta causa, hanc causam hic adesse. Ad 3-um. Respondet affirmative.

Die 15. Junii 1793. S. Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, consulen-

dum esse SSmo pro extensione declarationis Sanctae memoriae Benedicti XIV. ad Ducatum Cliviensem iuxta instructionem; factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione SSmo D. N. die 19. eiusdem mensis Junii, Sanctitas Sua benigne annuit pro extensione declarationis s. m. Benedicti XIV. ad Ducatum Cliviensem ad formam in omnibus resolutionis S. Congregationis die 15. Junii currentis.

Instructio. Quum ad instantiam multorum potentium solutiones plurium quaestionum matrimonia mixta respicientium rescripserit S. Congregatio diei 15. labentis Junii, consulendum SSmo pro extensione declarationis s. m. Benedicti XIV. ad Ducatum Cliviensem iuxta instructionem, et Sanctitas Sua 19. eiusdem mensis resolutionem S. Congregationis benigne in omnibus approbaverit: hinc praesenti instructione nedum oratores, sed reliqui omnes catholici parochi praedicti Ducatus de iis monentur, quae iuxta mentem S. Congregationis a SSmo approbatam observanda sunt in matrimoniis mixtis, ne approbationem sapiat tolerantia.

Catholicum prae omnibus, vel Catholicam parochi moneant, quod contrahendo matrimonium cum acatholica vel acatholico valide quidem contrahant, sed illicite. Atque hinc plane consequitur nullo actu positivo ipsos posse isthaec matrimonia probare, aut suo expresso consensu et auctoritate confirmare. Quapropter si cogantur in hac temporum conditione et propter leges in transactione religionis anni 1673. praescriptas, matrimoniis Catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant ut se mere passive habeant, atque tamquam inviti audiant duntaxat utriusque consensum; verumtamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda, atque ab omni alio Ecclesiae ritu adhibendo. Caveant insuper ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem exprimant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuncient nomina et cognomina. Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones Ecclesiae Catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter contrahentes. In dimissoriis omittant verba *mea pace,* quae consensum praeseferre videntur in illicitum matrimonium. Tandem in ceteris rebus omnibus adhaereant omnino

regulis traditis in supramemorata declaratione Benedicti XIV. pro matrimoniis Hollandiae typis impressa, iisque suam agendi rationem accomodent, quemadmodum decet filios Ecclesiae Catholicae addictissimos, et Apostolicae huic S. Sedi charissimos. I. Card. Pallotae. Praef. Julius Gabrielli, Secret.

80.[a]

Resolutio Electoris Hassiae dd. 27. Mart. 1804.

Durch eine höchste Resolution vom 16. Febr. d. J. ist nunmehr auch den katholischen Religionsverwandten im Lande die Erziehung ihrer Kinder in der katholischen Religion, jedoch bei gemischten Ehen dergestalt gnädig gestattet, dass, wenn bei einer Eheberedung nicht ein Anderes, und dass die Kinder ohne Unterschied des Geschlechts in der protestantischen Religion erzogen werden sollen, verabredet worden, oder etwa die Kinder selbst nach erreichten Discretionsjahren diese Religion wählen, die Söhne der Religion des Vaters, die Töchter aber der Religion der Mutter folgen sollen.

80.[b]

Constitutio Hassiaca pro Ducatu Westphalico quoad mixtorum matrim. promulgationem et copulationem dd. 7. Novemb. 1805.

Zur Fixirung der rubricirten Verhältnisse seyen Höchsten Orts folgende Bestimmungen erlassen worden, welche zur Nachachtung hierdurch bekannt gemacht werden.

1. Es sei eine unwiedersprochene Sache, dass die Proklamation von den beiderseitigen Pfarrern derjenigen Parochie, zu welcher jeder Theil vor seiner Verehelichung gehört habe, geschehen, und falls eine Dispensation eintreten solle, solche bei Katholiken von dem Bischofe ertheilt werden müsse, wie auch

2. dass kein Geistlicher eine Copulation vorzunehmen befugt sey ohne durch Dimissorialien versichert zu seyn, dass in Hinsicht des zu seiner Parochie nicht gehörigen Theiles kein Anstand obwalte.

3. Sey zwar durch im Herzogthum Westphalen bestehende Gesetze der *Parochus sponsae* parochus proprius, und folglich derjenige, dem die Copulation zustehe; da aber in den alten Landgräfl. Landen eine gegentheilige Observanz herrsche, und es selbst in dem kölnischen Bisthume den Kontrahenten frei gestanden habe nach erhaltenen Dimissorialien sich von dem *Parocho sponsi*, oder selbst einem dritten Geistlichen trauen zu lassen; dieser Ausweg aber, so in dem Erzstift Mainz die Regel ausmache, allerdings dazu geeignet sey, um bis zu Eintretung neuerer Gesetzgebung alle Kollisionem zu vermeiden: so sei in Zukunft, wenn von solchen gemischten Ehen die Rede sei, bei welchen eines Theils der Civil- und andern Theils der Militair-Pfarrer betheiligt ist, den Kontrahenten zu überlassen, wo sie sich trauen lassen wollen, mit dem einzigen Vorbehalt, dass der den Trauungsakt nicht vornehmende Geistliche seinem Parochiano Dimissorialien geben müsse.

4. Die Taufen seien vom demjenigen Pfarrer vorzunehmen, in dessen Religion die Kinder erzogen werden sollten; wenn dieses der Civil-Pfarrer sei, so habe er jedoch dem Militair-Pfarrer die Anzeige davon zu machen, nm den Akt in seine Kirchenbücher eintragen zu können.

5. In Betreff der Religion der Kinder bleibe es bei der Regel, dass insofern vor der Ehe keine Verträge gemacht seien, die Knaben der Religion des Vaters, und die Mädchen jener der Mutter *usque ad annos discretionis* folgten. Arnsberg, den 7. Novemb. 1805. ad Nr. 2710.

81.

Edictum Badense circa mixta connubia, dd. 11. Febr. 1803.

Carl Friedrich etc. — Wir wollen demnach, dass in Bezug auf Religions-Übung und Religions-Duldung es in sämmtlich Unsern Landen nachfolgendermassen gehalten werde:

II. Die Eheschliessung zwischen verschiedenen Religionsverwandten ist hinführo durchaus frei, und cessirt die in

einigen Gegenden Unserer alten Lande bestandene Nothwendigkeit einer vorherigen Dispensationseinholung. Dagegen machen wir zur unabänderlicher Regel für alle dergleichen gemischte Ehen, die künftig geschlossen werden, ohne das zuvor beide Eheleute über die Religions-Eigenschaft der Kinder vor ihrer weltlichen Obrikeit Verträge haben errichten oder einschreiben lassen, dass die Kinder in der Religion des Vaters ohne Unterschied des Geschlechts erzogen werden sollen; da ein Unterschied der Erziehung nach dem Geschlecht für die Familieneinigkeit, für den guten Erziehungseindruk, und für das einstige bürgerliche Fortkommen der Kinder, die von der Ortsreligion abweichen, von nachtheiligen Folgen zu sein pflegt. Damit schneiden Wir aber, wie gesagt, den Verlobten, welchen diese Erziehungsart nicht gefällt, die Befugniss nicht ab, eine nach dem Geschlecht getheilte Erziehung durch gerichtliche Verträge vor der Ehe festzusetzen, wen sie auf Vorstellung jener Inconvenienzien dennoch darauf beharren; hingegen aussergerichtliche Verträge hierüber sollen unkräftig sein, auch eine Aenderung der Erziehungsart, wie sie bei einer Ehe durch das Gesetz oder durch einen Vertrag einmal bestimmt ist, soll während der Ehe nicht weiter statt finden, da dieses den Ehefrieden und die Ruhe des einen oder andern Ehegatten allzuvielen Nebeneinflüssen aussetzt. Es mag daher so wenig ein späterer Vertrag, als der Tod eines oder des andern Ehegatten, der vor der Zeit, wo die Kinder die Unterscheidungsjahre erreicht haben, erfolgte, in der Religions-Eigenschaft ihrer Erziehung etwas ändern. Selbst die Religions-Aenderung des einen Ehegatten, wodurch er der Religion des andern beitritt, kann nur die Erziehung derjenigen Kinder bestimmen, die noch nicht das schulmässige Alter hatten, bei denen also noch die Erziehung zu einer bestimmten Religion nicht angefangen, die Übergabe an eine bestimmte Religionsgemeinde nicht geschehen ist.

III. Die Eheeinsegnung gemischter Ehen kann, nach dem freien Belieben der Eheleute, von dem Pfarrer des Bräutigams oder von jenem der Braut geschehen, wann nur vorher von dem Pfarrer des andern Theils das Zeugniss der dreimal

geschehenen oder von behöriger Obrigkeit ganz oder zum Theil erlassenen Proklamation in jenen Fällen, wo diese nach den Gesetzen erfoderlich ist, sodann dessen Zeugniss nicht vorhandener oder gehobener kirchlichen Hindernisse, nebst dem weltlichen Trauschein, dargelegt ist, und hängt alsdann von dieser Trauung allein die bürgerliche Gültigkeit der Ehe mit allen ihren Folgen ab. Wann inzwischen bei Ehen zwischen Katholiken und Protestanten derjenige Ehetheil, welcher hiedurch bei einem Geistlichen anderer Religion vorgestanden ist, zu seiner Gewissensberuhigung auch von seinem Geistlichen eingesegnet zu werden verlangt; so soll sich dem der andere Ehegatte nicht entziehen, aber auch dieser Geistliche solche ebenmässige Einsegnung unverweilt und entgeltlich verrichten.

IV. Die Kinder-Erziehung aus gemischten Ehen hat schon oben ihre Bestimmung erhalten, deren Wirkungskraft dauert

V. bis zur Erreichung der Unterscheidungsjahre (anni discretionis), wo alsdann jedem freibleibet, nach eigener Wahl zu einer oder andern Kirche sich zu bekennen. Diese Unterscheidungsjahre sind in den an Unsgekommenen reinpfälzischen Landen auf das zurückgelegte achtzehnte Jahr bestimmt.

82.

Instructio Ordinariatus Vratislaviensis quoad matr. mixta dd. 16. Julii 1743.

Seine Hochfürstliche Eminenz, unser gnädigster Bischof und Herr, haben zwar nach Erheischung der fürgegebenen Umstände vor einiger Zeit (im J. 1724. per Currendam) mildest vorgeschrieben, was sämmtliche Pfarrer und Seelsorger sowohl bei Verheirathung deren Personen von zweierlei Religion, als wegen Erziehung der von solchen Eltern zu erzeugenden Kinder beobachten sollen. Nachdem aber jetzt nach der Zeit das sub lit. A. abschriftlich beigebene königl. Rescript ausgebracht und zur Censur hierher intimirt worden ist, als haben höchstgedachte Hochf. Eminenz befohlen, den Pfarrern und andern Seelsorgern dar-

über eine nähere Instruction dahin zu ertheilen, dass *pro primo*, intuitu *matrimoniorum a partibus diversae religionis iam contractorum* jeder Pfarrer und Seelsorger darauf invigiliren soll, dass in denjenigen Fällen, wo keine pacta antenuptialia obhanden, die Kinder iuxta sexum in parentum religione erzogen werden mögen, wo aber pacta antenuptialia obhanden, und von dem A. C. verwandten Part dem katholischen Part zugesagt worden ist die Kinder beiderlei Geschlechts katholisch erziehen zu können; und (seine Hochf. Eminenz) wollen, dass darüber auch feste Hand gehalten werden soll, immassen es ehehin durch nachdrucksame an die Parten selbst zu machende Vorstellungen, dann aber mit erforderlicher Implorirung der Grundobrigkeiten, und bei deren verweigerter Assistenz mittelst anhero zu erstattender Berichte geschehen ist. *Pro secundo*, aber wäre *quod matrimonia similia contrahenda* zu beachten, dass zwar nach Möglichkeit und auf gute Art, jedoch ohne offenbare Hinterziehung oder Denegirung der Promulgation und Copulation, dahin zu trachten, womit in favorem religionis catholicae ratione prolium durch eine Eheberedung allwo es nur thunlich inter partes darüber zu errichtenden schriftlichen Contract, praescindendo tamen a iuramento antehac usitato, vorgesehen werde. Wo es aber dahin nicht zu bringen, könnte wenigstens kein ausdrückliches pactum contra religionem catholicam eingestanden werden, und wenn eine katholische Part sich zu dergleichen dennoch einlassen, und davon auf triftige Vorstellungen nicht abstehen wollte, müsste ihr der katholische Pfarrer nach denen principiis seiner Religion die promulgationem und copulationem, auch Percipirung anderer Sacramentorum tamquam impoenitenti versagen und de casu in casum alsogleich darüber anhero ausführlich berichten.

83.

Decretum Regium dd. 8. Aug. 1750.

IV. Weil es in Schlesien sich öfters zuträgt, dass sich Personen von zweierlei Religionen ehelich verbinden: so wollen Se. Kön. Majestät, nach dem Allerhöchstdieselben

bereits alle *Ante-Nuptial-Stipulationes* und andere dergleichen über die künftige Religion derer Kinder gemachte Pacta quoad effectum in judicio gänzlich aufgehoben haben, selbige nochmals hiedurch kassiren und aufheben: so dass vors künftige die aus dergleichen Ehen erzeugten Kinder nach dem Geschlecht in der Eltern ihrer Religion bis ad annos discretionis erzogen werden sollen, dergestalt, dass die Söhne in der Religion des Vaters, die Töchter aber in der Religion ihrer Mutter die nöthige Unterweisung bekommen müssen.

V. Wenn dahero einer evangelischen Mutter von einem katholischen Vater ein Sohn hinterlassen wird, so muss selbige diesen Sohn bis in das vierzehnte Jahr absolute in die katholische Schule schicken, oder wenn sie sich dessen verweigert, gewärtigen, dass ihr sothaner Sohn aus Education genommen und Personen katholischer Religion zur Erziehung gegeben wird. Dahingegen aber, wenn die Mutter ihren Sohn in die katholische Schule gehörig schicket, derselben solcher nicht unter dem Vorwand, dass sie evangelisch und er katholisch sey, aus der Education genommen werden kann, sondern ihr das ius educandi liberos des Unterschiedes der Religion ungeachtet, ungekränkt verbleiben muss; welches dann abermal bei beiden Religionen, sowohl der evangelischen als katholishen als ein auf die allgemeine Gewissensfreiheit sich gründendes Reciprocum auf das allerunverbrüchlichste in Obacht genommen werden muss.

84.

Statutum Syn. Culmensis et Pomesaniensis de an. 1745. adversus copulationem mixtorum matrimoniorum.

Cap. XXV. de Matr. Personas Catholicas cum dissidentibus nullus Parochorum copulare, imo nec ad banna procedere audeat; sed si tales sunt copulandi, remittantur ad Nos, sive Officiales Nostros Generales, pro diligenti examine, an subsit periculum perversionis coniugis Catholicae, sive etiam prolis suscipiendae extra fidem Catholi-

cam educandae. Et Officia nostra omnem cautelam adhibebunt, ne Sponsis diversae Religionis minus possessionatis ullatenus matrimonia ineunda concedantur, sed tantum illis, qui in bono tam fortunae, quam proportionati honoris et famae statu existentes in bonis mundi immobilibus utriusque, sed praecipue dissidentis a S. Catholica Fide Sponsi actualiter propriis, domicilio Sponsorum in nostra Dioecesi contiguis, hypotheca cautionaria innodandis, *cautionem de non pervertenda coniuge, tum de educanda in S. Fide Catholica utriusque sexus prole praestare valeant*, honoremque suum et famam in observantiam legitimorum promissorum invadiando omnem suspicionem fraudis et doli per se, vel per subordinatas personas practicandi penitus excludere possint, talemque cautionem omnium litium et molestiarum exclusivam sponte et libere coram Actis Jurisdictionis secularis, cui sponsi sive Sponsus dissidens subsunt, inscribant, eandemque in authentico Extractus instrumento Officio spirituali, Actis Consistorialibus, et libris Parochialis Ecclesiae, ad quam Sponsi vel dissidens sponsus cum suis bonis et domicilio spectant, ingrossandam reddant. Sicque stante hac cautione, bona in quibus cautio assecurata, alienare non praesumant.

85.

Relatio Andreae Ignatii Bayer Episcopi Culmensis ad S. Congregationem Concilii in merito matr. mixt. dd. 30. Januar. 1764.

Anterioribus ordinationibus Episcoporum Culmensium, utpote Opalinski, Malachovszki, Potocki et aliorum per Serenissimos etiam Reges Poloniae approbatis, cautum est: ut sponsi diversae religionis, quorum unus vel una fuisset catholicus seu catholica, ante contrahendum matrimonium darent sponsionem seu cautionem sub confiscatione bonorum, quod prolem utriusque sexus ex tali matrimonio suscipiendam educabunt in fide unius parentis fidem catholicam profitentis, et quod neque coniux inducetur ad apostatandum a fide catholica per alium coniugem alterius dogmatis. Haec introducta consuetudo viguit usque ad introitum in dioecesim et Sedem Culmensis Episcopatus meam.

itaque innixus iuribus Ecclesiae, praecipue *Can. 21. qu. 1. cap. Non oportet* — SS. Conciliis *Eliber. 305. can. 16.* — *Laodic. 364. can. 10. et 31.* — *Chalcedon. 451. can. 14.* — *Agathens. 506. can. 6. 7.* — *Carthagin. 3. 397. can. 12.* et aliis, nec non Epistolae Encyclicae fel. record. Benedicti XIV. ad Primatem etc. Poloniae die 29. Junii 1748. editae, talia matrimonia inter personas diversae religionis, quarum una fuerit catholica, prorsus inhibui.

86.

Dispositio Regiminis Borussici de copulatione Sponsorum diversae religionis, dd. 18. Decemb. 1766.

Wenn die Trauung im Polnischen Preussen aus dem Grunde versagt wird, um den einen protestantischen Theil der Verlobten dadurch zu nöthigen, zur katholischen Kirche überzutreten: so können die Prediger an den Preussischen Grenzorten solche Personen auch ohne Proclamation copuliren, wenn vorher ungezweifelt, und allenfalls durch eih Attest der Grundherrschaft dargethan worden, dass in Ansehung der Desponsatorum weder ein Impedimentum sangvinis, noch alterius responsationis, noch clandestinitatis, oder andere rechtmässige Behinderungen vorhanden sind.

87.

Instructio Regiminis Borussici circa matrimonia mixta dd. 21. Februar. 1773.

§. IV. N. 10. a) Einen jeden Religions-Verwandten eine vollkommene Gewissensfreiheit zu verstatten, und jedem bei dem ihm zukommenden Religions-exercitio nach den principiis seiner Religion zu schützen, legen Wir der Regierung zu ihrer besondern Pflicht auf.

b) Erzogen und unterrichtet werden muss aber jedes Kind bis zum erreichten vierzehnten Jahre in der Religion seiner Eltern, welche dieselben bei ihrem Leben bekannt, und nicht solche erst in articulo mortis oder in den letzten Monathen ihres Lebens ergriffen haben, und wenn die

Eltern differenter Religion sind, die Söhne in der Religion des Vaters, die Töchter in der Religion der Mutter, und erklären Wir hiemit alles dasjenige ungültig und unkräftig, was dagegen in Ehestiftungen oder andern Verträgen diesem zuwider über die künftige Religion ihrer Kinder zwischen den Eltern verabredet worden. Wenn daher einer protestantischen Mutter von einem katholischen Vater ein Sohn hinterlassen wird: so muss sie diesen Sohn bis ins vierzehnte Jahr in die katholische Schule schicken oder wenn sie sich dessen weigert, gewärtigen dass ihr sothaner Sohn aus der Education genommen und Personen katholischer Religion zur Erziehung gegeben werde. Wohingegen wenn sie die Erziehung in der katholischen Religion nicht hindert, ihr unter dem Vorwande, dass sie protestantisch sei, die Erziehung nicht genommen werden kann. Was von der Mutter wegen der Söhne verordnet, findet gleichmässig bei den Vätern in Ansehung der Töchter, auch überhaupt ein vollkommenes gleiches Reciprocum in Ansehung der katholischen und protestantischen Religion Statt.

Einen sprechenden Beweis hiervon liefert die beabsichtigte Aufhebung des §. 62. des Mandats vom 19. Febr. 1827. (*Propositis pro doctrina Ecclesiae de indissolubilitate matrimonii pluribus argumentis, continuant.*) — Aus allem diesen erhellt klar und deutlich, dass der Staat keine Ehe dulden und erlauben darf, die nicht den anerkannten und öffentlich ausgesprochenen Religionsgrundsätzen der betreffenden Individuen gemäss ist. — Wir bitten in gerechter und billiger Rücksicht auf die vorgetragenen Gründe, dass eine hohe Kammer mit der beantragten Aufhebung des §. 62. des Mandats vom 19. Febr. 1827. anzustehen, und solche auf keine Weise eintreten zu lassen geneigtest sich entschliessen möge.

Wir erlauben uns nunmehr zu einem zweiten Punkte überzugehen, der nicht minder wesentlich in die Rechte der Kirche eingreift: und zwar in so weit er des Gerichtsstandes in ehelichen Streitigkeiten Erwähnung thut. — Nach §. 59. sollen Streitigkeiten, welche gemischte Ehen betreffen, bei den Appellationsgerichten verhandelt werden: ein Grundsatz, der gleichwohl mit den Entscheidungen des Kirchenraths von Trient, welche für uns Glaubenslehren sind, in offenbarem Widerspruche steht. Nach dem in der Sess. 24. c. 12. enthaltenen Ausspruche: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit" — ist die Gerichtsbarkeit über streitige Eheangelegenheiten dem geistlichen Foro zugewiesen. — Gehört aber nach der eben angezogenen Stelle des Kirchenraths von Trient die Entscheidung über Ehesachen lediglich vor den geistlichen Richter, und sollen nach den Bestimmungen des Gesetzentwurfes §. 66. die Streitigkeiten bei rein katholischen Ehen auch fernerhin bei den katholisch-geistlichen Behörden verbleiben, und zwar, wie sich die zum dem Entwurfe gegebenen Erläuterungen ausdrücken, um dem Gewissen katholischer Ehegatten nicht zu nahe zu treten: so muss es bei der Gleichheit des Beweggrundes um so auffallender sein, dass die Cognition in Streitigkeiten, welche gemischte Ehen betreffen, diesen Behörden entzogen, und an die Appellationsgerichte gewiesen werden soll. Durch ein solches Gesetz würde aber die kathol. Kirche in ihren Lehrbegriffen auf das Empfindlichste angegriffen werden. Denn einmal gestattet diese Kirche, wie es einem Jeden, der mit ihren Lehren nur einigermassen vertraut ist, nicht unbekannt sein kann, die gemischten Ehen nur unter der ausdrücklichen Bedingung, dass dadurch den Rechten der Kirche nichts vergeben werde. Diess würde aber unfehlbar geschehen, wenn ein Glied dieser Kirche ihrer Jurisdiction entzogen würde. Zum andern Male hat die katholische Kirche die Pflicht, die kirchlichen Rechte eines Jeden ihrer Glieder zu vertreten. Diese Rechte würden aber gefährdet werden, wenn der katholische Theil bei ehelichen Streitigkeiten nicht mehr bei einem geistlichen Gerichte

Recht suchen dürfte. Endlich erlaubt die kathol. Kirche, und gibt ihre Dispensation zu gemischten Ehen nur dann, wenn vorauszusehen ist, dass der Glaube des Individui dabei nicht augenscheinlich gefährdet werde; folglich muss entweder auch der Canon 12. des Kirchenraths von Trient in der 24. Session auf gemischte Ehen bezogen, oder es müssen solche Ehen, gegen deren Zulassung in ältern Zeiten selbst protestantische Theologen ihre Bedenken geäussert haben, gänzlich verboten werden. Findet das eine oder das andere nicht Statt, so bleibt freilich nichts anderes anzunehmen übrig, als dass man Seiten der Regierung zu beabsichtigen scheint, den Katholicismus so zu modificiren, und mit der prostestantischen Kirche zu verschmelzen, wie man anderwärts in den neuern Zeiten die lutherische Kirche mit der reformirten in eine Kirchengemeinschaft umzugestalten für gut befunden hat. — Die Beweggründe übrigens, womit man die Nothwendigkeit der Zuweisung der Streitigkeiten bei gemischten Ehen an den weltlichen Richter zu rechtfertigen sucht, scheinen uns durchaus nicht triftig genug zu seyn, um ein so wohlbegründetes Recht der Kirche zu beseitigen. Denn der Grund, „dass es Schwierigkeiten in der Ausführung habe, wenn der Gerichtsstand nach der Person des Beklagten, wie er nach dem Mandate vom 19. Febr. 1827. besteht, sich richtet, weil in Ehesachen die Parteifunctionen öfters wechseln" erscheint keineswegs als ausreichend, da dieser Fall ausnahmsweise nur dann eintreten kann, wenn nach einer von der geistlichen Behörde vermittelten Aussöhnung, oder nachdem blos auf Trennung von Tisch und Bette erkannt worden war, der frühere Beklagte als Kläger auftritt, in einem solchen Falle aber durch wechselseitige Communication der Acten der frühere Stand der Sache zu jeder Zeit eingesehen werden kann. Nicht minder unwichtig erscheint die Motive: „weil die Competenz unbestimmt bleibe, wenn eine Ehe amtshalber zu annulliren sey". Denn in diesem an sich schon selten vorkommenden Falle könnte, in so fern der Nullitätsgrund auf Seiten beider Ehegatten, z. B. bei der Blutsverwandtschaft, vorhanden wäre, die Praevention leicht als Regel aufgestellt

werden, in denjenigen Fällen aber, wo der Nullitätsgrund nur einseitig, wie z. B. bei der gewaltsamen Entführung, Statt fände, diejenige geistliche Behörde für kompetent erklärt werden, zu deren Confession der in Schuld befangene Ehegatte sich bekennt. —

Dresden, den 8. April 1833.

179.

Literae quindecim Parochorum e Dioecesi Paderbornensi ad Ordinariatum, intuitu mixtorum matr. dd. 17. Maii 1833.

Hochwürdigster etc. Durch die von Ew. B. G. vom 8. April 1828. erlassene geehrte Circularverfügung ist uns aufgegeben, die Proclamationen gemischter Ehen auch dann vorzunehmen, „wenn in Absicht auf die religiöse Erziehung der Kinder der wirklichen Einsegnung derselben Hindernisse entgegentreten sollten — und wenn die Trauung von einem protestantischen Prediger vollzogen ist, den katholischen Theil nicht desshalb von dem Empfange der h. Sacramente auszuschliessen". Gern unterwerfen wir uns den Befehlen Ew. B. G. da wir den Gehorsam gegen die uns von Gott gesetzte Obrigkeit als eine der ersten unserer Pflichten betrachten; allein gleich Anfangs erfüllte uns die gedachte Verfügung mit banger Besorgniss, weil wir auf keine Weise die Überzeugung gewinnen konnten, dass dieselbe mit den Lehren und Gesetzen unserer h. kath. Kirche übereinstimme. Nachdem aber das Schreiben des apostolischen Stuhls vom 27. Mai a. p. an die Bischöfe Baierns über die gemischten Ehen zu unserer Kenntniss gelangt ist; können wir nicht umhin, jene unsere Besorgniss Ew. B. G. ehrfurchtsvoll vorzutragen, da in demselben unter Andern diese ausdrücklichen Worte vorkommen: „si nonnumquam contigerit, ut Catholicus aliqnis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio, ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata ecclesiae dispensatione vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa: tunc sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam praemittendis eidem

proclamationibus". Wir glauben daher, ohne Verletzung unseres Gewissens gemischte Ehen nicht *proklamiren* zu können, wenn nicht zuvor die gehörige Sicherheit gestellt ist, dass alle zu erwartenden Kinder in der alleinseligmachenden h. kath. Religion werden erzogen werden, — und noch weit weniger dem katholischen Theile gemischter Ehepaare die Lossprechung ertheilen zu dürfen, welcher, die Lehren und Gesetze seiner Kirche verachtend, die erwähnte Sicherheit nicht leisten und seine Kinder nicht katholisch erziehen will. Indem wir diess Geständniss vor Ew. B. G. in tiefster Ehrfurcht niederlegen, wagen wir die unterthänigste Bitte, „die besagte Verfügung vom 8. April 1828. welche wir mit dem in Bezug genommenen Schreiben des apostolischen Stuhls nicht in Einklang bringen können, gnädigst zurückzunehmen geruhen zu wollen". Zugleich benützen wir diese Gelegenheit, Ew. B. G. unsere tiefste Ehrfurcht zu versichern. Im Dekanate Warburg, den 17. Mai 1833.

180.

Responsum Ordinariatus ad praeattactas 15. Parochorum literas, dd. 7. Junii 1833.

Auf die unter dem 17. Mai an mich gerichtete Eingabe in Betreff der Proklamationen bei Brautleuten gemischter Confession erwiedere ich, dass die Angelegenheit der gemischten Ehen schon seit längerer Zeit vor den apostolischen Stuhl zu Rom gebracht ist, dessen Entscheidung abgewartet werden muss. Vor Eingang derselben muss ich, irgend eine abändernde Bestimmung in dieser Hinsicht zu erlassen, um so mehr Bedenken tragen, als in den übrigen Diöcesen der Erzprovinz Köln ein ganz gleiches Verfahren beobachtet wird. Dieses hätte den Herrn Pfarrgeistlichen, welche sich auf das durch die Tagesblätter verbreitete, an die Bischöfe Baierns angeblich erlassene Schreiben des apostolischen Stuhls vom 27. Mai v. J. beziehen, gerade aus dem Grunde einleuchten sollen, weil gedachtes Breve von welchem auch ich nur durch Zeitschriften Kenntniss erhalten habe, nur für die Bischöfe Baierns erlassen ist. Paderborn, den 7. Juni 1833. Der Bischof Friedrich Clemens.

181.

Literae C. Spiegel Archiepiscopi Coloniensis ex anno 1832. e quibus patet, quaenam eius sensa fuerint circa matr. mixta ante elucubratam Instructionem anni 1834.

Ew. Bischöflichen Gnaden erkläre ich mich ganz dankverpflichtet für das inhaltreiche hochverehrliche Schreiben vom 14. l. M. Es war vielfach unterrichtend für mich; ich fand aber auch die Bestätigung meiner Überzeugung, dass unsere, der katholischen Bischöfe, Laufbahn überall in unsern deutschen Bundesstaaten dornenvoll ist. Wir haben Mühe, uns aufrecht zu halten und unsern Verpflichtungen in der Wirklichkeit und in der Wirkung für die uns anvertraute Heerde nachzukommen und zu genügen. Ew. B. G. wünschen meine Ansicht über das Benehmen bei gemischten Ehen zu erfahren. Bereitwillig leiste ich Folge, obgleich sie nicht übereinstimmend ist zum Inhalt der von Ew. B. G. mir confidentiell Mitgetheilten. Die *tief in die katholische Kirchenverfassung eingreifende und verletzende* k. Kabinetsordre vom 17. Aug. 1825. über die vorkommenden gemischten Ehen veranlasste mich, zur Sicherstellung der h. Sache des Ehesacramentes und zur Abwendung der nächsten Gefahr, von den Pfarrern die Behandlung aller gemischten Ehen an mich zu ziehen; und nur dann darf ein Pfarrer um die licentia assistendi anfragen und bitten, wenn eine freiwillige Erklärung der in den Ehestand tretenden über die Erziehung aller Kinder in der kathol. Religion gegeben ist. Hingegen lasse ich ohne obige Berücksichtigung die Proclamation auf Verlangen geschehen, und wird den Aufgerufenen bei nicht zur Entdeckung gekommenem Ehehinderniss die Bescheinigung vom katholischen Pfarrer über die kirchlichen Aufrufe, und dass kein dirimirendes Ehehinderniss angemeldet sey, ertheilt. Erfolgt die Trauung durch den protestantischen Pfarrer, so ist die Ehe auch in foro ecclesiastico gültig und unauflösbar für den katholischen Ehetheil; allein sie bleibt illicit, daher der katholische Ehetheil kirchlicher Ahndung unterliegt und kann ihm nur im Beichtstuhl und durch das Sacrament der Busse praestitis

praestandis geholfen werden. Was von dieser für mich schwierigen und verdrussvollen Behandlung abreicht, betrachte ich als kirchlich unrichtig. Meine Handlungsweise fand allerdings Anstand bei den höchsten Staatsbehörden; die Unterhandlungen darüber sind bis zum sichtbaren Oberhaupte unserer h. Kirche gelangt: *und ein Ausspruch des Papstes wird mir, wie es geziemt, Norm werden*, so wie meinem Benehmen die Concilien-Beschlüsse und sonstige Decrete vom Papste oder von der S. Congregatio in Rom, über die kirchlich verhassten gemischten Ehen zum Anhaltspuncte dienen. Köln, den 23. Januar. 1832. Ferdinand Spiegel, Graf zu Desenberg, Erzbischof v. Köln.

Monumenta ad Epocham VII. a famosa Conventione Berolinensi usque 20. Novembris 1837. qua die Archiep. Coloniensis usu iurisdictionis auctoritate Regis Borussiae prohibitus fuit.

---

1. In Borussia. a) in Provinciis Rhenanis.

182.

Breve Pii VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem, et Episcopos Trevirensem, Monasteriensem, et Paderbornensem quoad matrimonia mixta, dd. 25. Martii 1830.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Literis altero abhinc anno ad Leonem XII. gloriosae memoriae Praedecessorem nostrum datis diligenter, Venerabiles Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini,

discrimen, propterea, quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque Sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis nllam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has vestras, quas eae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati Nostrae inscrutabili Dei iudicio reservatum est ea Vobis responsa reddere, quae Praedecessor noster, morte praeventus, non potuit. Siquidem Sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum Nos recreant, videlicet Vestrum pariter et Sacerdotum, qui sub Vobis sunt, pro doctrina Ecclesiae tuenda servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII. literis demonstrastis; ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo Vobis fuit, ut Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus Vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus, non modo Vos rescriptis hisce Nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem Vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius venientes, haud Nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum Vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes re-

ligiose custodirentur. Quodsi Romani Pontifices a sanctissimo illo Canonum interdicto nonnumquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas, et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueuerunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, Venerabiles Fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, Nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas illa a Vobis, aut a parochis Vestrarum dioecesium fieri assentiremur, per quae si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare Nos summopere commendantes zelum illum Vestrum, quo catholicos Vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus allaborastis, enixe Vos in Domino exhortamur, ut posthac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina: horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Juxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias Canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eandem adhortari, ut meminerit firmissimum illud religionis nostrae dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo expectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxe-

rit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam prout prudentia suggesserit iteranda eo praesertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint, quae illis obstent, impedimenta canonica. Quodsi nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant; sed alia ex parte abstinere etiam Catholicus Pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ansi fuerint, catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala, quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis, itemque ut Catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum, denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Jam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras

has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25. Martii 1830.) in Vestris dioecesibus contrahi contingat non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur; prout Nos auctoritate Nostra apostolica matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Posthaec supervacaneum ducimus, Venerabiles Fratres, Vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne Catholicae Religioni creetur invidia, quandoquidem Fraternitates Vestras id probe nosse compertum Nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant, Catholicos Sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod Vos ab his, in quibus estis, angustiis penitus eximere non potuerimus. Sed nolite deficere animo. Ipse Serenissimus Rex, qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit, factoque ipso aliis occasionibus comprobavit, non patietur (ut plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa vestra officia directe afficit, Vos diutius exagitari, sed anxietatibus Vestris pro sua cle-

mentia commotus, et Nostris pariter votis obsecundans, Vobis remittet, ut Religionis Catholicae regulas hac etiam in re servare ac exequi libere valeatis. Quod ut feliciter eveniat, a Deo, in cuius manibus corda sunt regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus Nos facimus, et Vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea praecipuae, qua Vos amplectimur, caritatis testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam Fraternitatibus Vestris, nec non omni Clero ac fideli populo Vestris curis concredito peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 25. Martii 1830.

183.

Instructio ad Archiep. Coloniensem, atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem in nexu antelati Brevis, dd. 27. Martii 1830.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem, atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem rescribens per literas datas die 25. Martii 1830. eis iam significavit, quam magno moerore ipse affectus sit ob graves angustias, in quibus illos versari cognoverat, propterea quod civilis lex in eorum regionibus anno 1825. lata statuerit, ut proles utriusque sexus ex matrimoniis mixtis orta in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa futurae prolis educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas Sua ullo modo declinare a constanti illo studio, quo Sedes Apostolica semper advigilavit, ut Sacri Canones, qui mixtas huiusmodi nuptias deformitatis et spiritualis periculi plenas severe prohibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a sanctissimo illo Sedis eiusdem instituto, per quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet et graves tantum ob causas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueuerunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus,

non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committat, exinde sane manifestum est, memoratas omnes cautiones idcirco adhiberi, ut naturalis eadem divinaque lex sarta tecta habeatur. Quare Sanctitas Sua debitis prosequens laudibus praedictos Antistites pro pastorali zelo, quo Catholicos suae curae creditos avertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, ut posthac quoque in id ipsum sedulo prudenterque allaborent, simul vero et nonnulla iisdem literis praescripsit, quae Episcoporum eorumdem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catholicos in illicita illa connubia prolabentes ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. Atque una declaravit, magnam se erigi in spem non modo Episcopos pontificiis illis rescriptis religiose obsecuturos, sed ipsum quoque Serenissimum Regem pro sua aequitate et erga catholicos sibi subditos indulgentia haud aegre laturum, si animarum pastores Maiestati Suae in civilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis Catholicae regulas observent. Quam utramque spem nunc etiam magnopere fovet Summus Pontifex, dum hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eandem rem indulgenda, aut toleranda decrevit. Et *primo* quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor Dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi, et Monasteriensi hucusque inita sunt praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, iam SSmus D. N. suis illis ad Episcopos literis indicavit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, ut possint malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi. Nimirum Summus Pontifex, memor Vicarium

se esse Jesu Christi, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viventes coram Deo et Ecclesia irrito, sed coram civilibus loci legibus valido, in magna redeundi ad bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus ipsis aperire decrevit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archiepiscopo Coloniensi, et Episcopis Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam delegatus Apostolicae Sedis possit in sua dioecesi confirmare atque etiam in radice sanare nuptias usque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter unam partem catholicam, et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sint, quod in eis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta, ideo SSmus D. N. plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tamquam Sedis Apostolicae delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus Apostolica Sedes ob graves causas dispensare iam solet, et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta ibidem usque ad praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet, planeque confidit, ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et praeterea Summus Pontifex declarat Episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua Episcopos eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Primo scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione; ea scilicet significatione, quae debito modo fiat et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a Sede

Apostolica exigi consueuerunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda et perficienda: contra vero si gravia ea mala iuste metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanant in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque inprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim, quae catholicam filiorum utriusque sexus educationem respicit. Tertio, ut Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus divortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem SSmus D. N. indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos.

Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsis faciiis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Ceterum Sanctitas Sua in literis ad eosdem Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25. Martii 1830.) ineunda vera et rata matrimonia fore, quamvis praeter formam contrahantur a Tridentino Concilio praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem Summus Pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidam insano amore turpiter dementati nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnuentes. Adhuc tamen Sanctitas Sua Antistites ipsos in Domino adhortatur, ut illorum im-

probitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant, quin imo et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quodsi aliquo in casu, paternis hisce sacrorum pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi removeri non possit et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum, sive consangvinitatis sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta, quae inter levantem et levatum intercedit) vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam: tunc Episcopum ipsum considerare oportebit, utrum iusta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum duntaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus S. ut deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Jam vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis eadem illa causae gravitate permotus, ab aliquo praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus, neque ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane Summus Pontifex nullo unquam suo actu probaturus est, tolerabit tamen invito quidem sed patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis, quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo cum facultates aliae, quas Sedes Apostolica iisdem Episcopis delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1880. inchoandum duraturam, et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad alind rursus quinquennium concedantur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis fuerit repetita. Insuper secundo, decrevit etiam SSmus D. N. ut quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur a gra-

dibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat, nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne et sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos, monueritque inprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. Tertio, atque si alio in casu (quod Deus avertat) contigerit, ut Episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat: statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum seu per literas catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur: impedimentum, quod nuptiis obstaret, idcirco tantum eo in casu relaxari, ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro quum deinde eaedem nuptiae illicitae hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis iis admiscendo, sed etiam a quocunque alio actu, quo sacerdos approbare illas videatur, quemadmodum in supradictis Sanctitatis Suae literis praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea duntaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora rei catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit, quod implorato Sancti Spiritus lumine censuerit in Domino expedire et cetera omnia quae dicta sunt, religiose servaverit. Postremo Sanctitas Sua Episcopos monet enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam, ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria cano-

num matrimonia illa detestantium, et constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc Episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit, flagrantiori in posterum zelo in id incumbere, ut in Catholicis eorum curae commissis tum privatim tum publice instruendis doctrinam et leges Ecclesiae ad connubia eadem pertinentes prudenter simul et sedule commemorent, earumque custodiam incutiant. Romae die 27. Martii 1830. I. Card. Albanus.

184.

Epistola Josephi Hommer Episcopi Trevirensis ad Ministrum Altenstein, in qua principia genuina Ecclesiae Catholicae circa matr. mixta explicat, dd. 4. Octobr. 1832.

Mit Ew. Exc. hochverehr. Zuschrift vom 8. Sept. d. J. welche der Herr geheime Oberregierungsrath Schmedding mir überbrachte, habe ich von diesem zugleich nähere Nachricht hinsichtlich der neueren Verhandlungen über die gemischten Ehen bey dem päpstlichen Stuhle in dem Breve Pius VIII. erhalten. Die Anträge, welche derselbe in Gemässheit seines Auftrags mir zu machen sich veranlasst sehen musste, habe ich nach Vermögen auf das reiflichste erwogen, um so mehr, als ich aus den dringenden Vorstellungen des Herrn Schmedding entnehmen zu müssen glaubte, wie sehr Ew. Exc. wünschen, die in das Verhältniss der Kirche und des Staates so tief eingreifende Angelegenheit nach dem Willen Sr. Maj. des Königs beendigt zu sehen. Da es meines Erachtens hauptsächlich darauf ankömmt, ob die Bischöfe — im Fall des Königs Majestät geruhen sollten, die Concessionen, welche Rom mit den neuesten Modificationen angeboten hat, anzunehmen — sich an deren buchstäblichen Inhalt binden, oder nach dem Vorgange der Bischöfe in den östlichen Provinzen des Staates aus eigener Macht weiter gehen, die in dem Breve angeführten Abmahnungen von den in Rede stehenden Ehen aufgeben, und wo nicht auf der Stelle, doch innerhalb einer nicht gar zu weit

auszudehnenden Frist die kirchliche Trauung gewähren wollen, wo keine Übereinkunft der Verlobten: alle aus der Ehe zu erzielenden Kinder in der kath. Religion zu erziehen, vorangegangen ist: so wollen Ew. Exc. meine Ansichten hierüber in möglichster Kürze und wie es verlangt wird mit aller Bestimmtheit hier hochgefälligst entgegennehmen, und dabey sich überzeugt halten, dass ich als treuester Unterthan Sr. Maj. des Königs meine Pflichten gegen den Staat nicht weniger vor Augen habe, als die Obliegenheiten, welche mich als Bischof der katholischen Kirche in Anspruch nehmen.

Das Urtheil der katholischen Kirche gegen die gemischten Ehen ist tief in der höhern sittlichen Natur der Ehe gegründet. Zwey Gemüther, welche sich für die ganze Dauer ihres Lebens verbinden, und in allen Beziehungen Eins seyn sollen, sollen vorzugsweise Eins seyn in der heiligsten Angelegenheit des Lebens, der Religion. Diese Forderung kann die kathol. Kirche nimmer aufgeben; sie kann die von dieser Wahrheit Abirrenden dulden und lieben, aber nie ihnen beistimmen. Darum kann dieselbe auch nie aufhören, jene Einheit der Gemüther in der heiligsten Angelegenheit oder der Religion anzupreisen, und sie muss folgerecht das Gegentheil missbilligen und widerrathen. Diese Missbilligung kann aber eben darum auch nie von dem öffentlichen Unterrichte ausgeschlossen werden; die Art der Missrathung in einzelnen Fällen ist dem betreffenden Pfarrer hingegeben. Gewöhnlich ist die Verbindung eines Brautpaars fest beschlossen, und ein Abmahnen, wenn dasselbe vor ihm erscheint, fruchtlos; aber sie darf ihm nicht untersagt werden. Von dem Ansinnen eines feierlichen Versprechens, alle Kinder der zu schliessenden Ehe in der kath. Religion erziehen zu lassen, stehen sie ohnehin ab, in dem pflichtschuldigsten Gehorsam gegen den allerhöchsten königlichen Befehl.

Was die Trauung verschiedener Confessionsverwandten betrifft, so sehe ich in der Concession des Breve — namentlich in der gestatteten Assistenz ohne Einsegnung — den Anfang einer neuen Gestaltung der Sache; die weitere Ent-

wicklung muss aber ihr selber überlassen bleiben. Der päpstliche Stuhl sieht zuverlässig ein, wohin die neu eröffnete Bahn führt; aber er kann ein Mehreres nicht gestatten, weil er den oben angeführten ethischen Grundsatz sonst aufgeben würde. Er duldet, was er nicht hindern kann. Hierin ist in Betreff der gemischten Ehen auch den Bischöfen ihre Verfahrungsweise vorgezeichnet. Ich meinerseits würde mir nicht erlauben, in einer auf die gemischten Ehen sich beziehenden öffentlichen Belehrung auch nur einen Schritt weiter zu gehen; glaube auch nicht, dass einer der Bischöfe in dem diesseitigen Theile der Monarchie weiter gehen wird. Die Folge würde seyn: Misstrauen und Spaltung zwischen Bischof und Clerus, und zwischen beyden und dem Volke, Unruhen im Staate und in den Familien, die von uns schwer zu verantworten seyn möchten. Aber ich werde dulden und dulden müssen, was ich nicht werde verhindern können. Zeit und Umstände tragen das Ihrige bey, um ein Volk für ihm fremde Dinge und Neuerungen empfänglich zu machen; alles Überschnellen hat seine Gefahren, ganz besonders in religiösen Dingen, die ein heiliges Gemeingut Aller im ganzen Volke sind. Wollte man in den Rheinprovinzen bey den gemischten Ehen von Seiten des Staates mit Strenge zu Werke gehen, so würde der religiöse Sinn des Volkes und seine treue Anhänglichkeit an des Königs Majestät um so tiefer und schmerzlicher verwundet werden, als es noch in zu lebhaftem Andenken Aller ist, dass Allerhöchstdieselben bey der Übernahme dieser Provinzen die Anfrechthaltung der katholischen Religion in ihrem ganzen Umfange zu schützen versprochen haben.

Indem ich dieses der tiefen Weisheit Ew. Exc. ehrerbietigst unterlege, werde ich wie bisher, so auch fernerhin stets darauf bedacht seyn, die mir untergebenen Pfarrer dahin anzuweisen, die Eintracht unter den verschiedenen Confessionsverwandten im Allgemeinen sowohl, als insbesondere unter den Eheleuten verschiedener Confession aufrecht zu erhalten, und je nachdem besondere Verhältnisse es erheischen werden, mit Beseitigung alles Aufsehens in's Mittel zu treten. Trier, 4. Oct. 1832. v. Hommer, Bischof.

185.

Conventio inter Regimen Borussicum et Archiepiscopum Coloniensem Com. Spiegel de sensu Brevis Apostolici a. 1830. circa matr. mixta editi, dd. 19. Junii 1834.

Nachdem Se. Maj. der König die Unterzeichneten, den Erzbischof von Köln, und den geh. Rath und Minister-Residenten beym päpstlichen Hofe Bunsen, Allerhöchstselbst zu beauftragen geruht, Rücksprache zu nehmen über die Art, wie eine den Gesetzen des Landes angemessene Ausführung des päpstlichen Antwortschreibens an die Bischöfe der westlichen Provinzen über die gemischten Ehen eingeleitet und gesichert werden kann, und nachdem der k. Minister-Resident die weitern Eröffnungen Sr. Majestät erhalten, und demgemäss den Erzbischof von Köln zu Conferenzen über diesen Gegenstand eingeladen hat: so haben sich dieselben nach möglichst sorgfältigen Erwägungen der gegenseitigen Forderungen der kanonischen und bürgerlichen Gesetze und nach wiederholten Berathungen zu folgenden Puncten vereiniget: 1. Über die Mittheilung des Breve an die Pfarrer der vier Sprengel (art. 1—4.) — 2. Über die künftige Behandlung dieses Gegenstandes von Seite der Pfarrer und der Bischöfe (art. 5—7.) — 3. Über den Gebrauch, welcher von der speciellen, an die Bischöfe erlassenen Instruction zu machen seyn dürfte (art. 8.) — 4. Über die zur definitiven Ausführung nothwendig oder dringend wünschenswerth scheinenden Massregeln. (art. 9—14.)

I. *Artic. 1.* Die Mittheilung des Apost. Breve an jeden einzelnen Pfarrer ist unerlässlich, um alles Misstrauen zu entfernen und den Gehorsam zu sichern. Sie wird stattfinden in der üblichen Form eines Pastoralschreibens an die Pfarrer und Seelsorger in lateinischer Sprache.

Art. 2. Der Grundsatz in der Verfassung dieses Pastoralschreibens der vier Bischöfe wird seyn, dass dasselbe den Worten nach verschieden, dem Inhalte nach gleich sey. Rücksichtlich des Inhaltes wird derselbe zuvörderst einen kurzen einleitenden Eingang enthalten mit Andeutung der

Veranlassung und des Zweckes dieses Breve, dann das Breve selbst geben, endlich einen Schluss mit einer in allen vier Schreiben gleich lautenden Erklärung des Hauptgrundsatzes desselben, hinsichtlich der Trauungen, und mit verwahrenden Andeutungen hinsichtlich einiger missverständlichen Puncte. Diese missverständlichen Puncte sind folgende zwey: a) der Ausdruck des Breve: Ehen, welche ohne Beobachtung der vom Tridentinischen Concil vorgeschriebenen Form geschlossen sind (matrimonia non servata forma Conc. Tridentini contracta) — kann nach dem Inhalte des Breve selbst sowohl als nach dem Sinne der bischöflichen Bittgesuche an den Papst, lediglich von gemischten vor einem evangelischen Pfarrer abgeschlossenen Ehen verstanden werden, worüber wegen der von einigen Theologen vorgebrachten Bedenken eine besondere salvirende Erklärung nöthig war. Da aber eine wörtliche allgemeine Erklärung dieser Stelle, wonach sie auf die blos vor den Civilstands-Beamten eingegangenen Verbindungen ausgedehnt würde, leicht zu bedenklichen Folgen führen könnte, so muss die richtige beschränkte Auslegung in das Pastoralschreiben aufgenommen werden. b) Dasselbe gilt in einem noch höhern Grade von dem damit zusammenhängenden Ausdrucke des Breve über die Bestätigung (revalidatio) der in Rede stehenden früher abgeschlossenen Ehen. Es könnte nach dem blossen Wortsinne scheinen, als ob alle bisher von einem evangelischen Pfarrer eingesegneten gemischten Ehen einer solchen Revalidation bedürften. Diese Auslegung würde aber nicht allein gegen die allgemein in Deutschland vorherrschende und von den kathol. Ordinariaten durchgängig befolgte richtige Ansicht verstossen, sondern auch ohne Noth eine unabsehbare Reihe von Schwierigkeiten aller Art nach sich ziehen. Es ist also nothwendig jene Revalidation einzig und allein auf diejenigen Ehen zu beschränken, welche ungeachtet eines trennenden Ehehindernisses vor einem evangel. Pfarrer abgeschlossen worden sind.

Art. 3. Nach diesen Grundsätzen sind die Schreiben der vier Bischöfe an ihre Pfarrer entworfen worden, welche hier unter Lit. A. 1—4. beyliegen.

Art. 4. Damit nicht böser Wille und Unverstand sich des päpstlichen Breve, wofür der päpstliche Hof ausdrücklich möglichste Geheimhaltung verlangt hat, und der Pastoralschreiben bemächtige, um die Gemüther zu verwirren, so scheint es zweckmässig, jene Pastoralschreiben mit einem besondern Schreiben an die Dekane zu begleiten, worin sie angewiesen werden, den Pfarrern die grösste Vorsicht hinsichtlich der Mittheilungen zu empfehlen.

II. *Art. 5.* Die Behandlung des Gegenstandes wird nach dem im Pastoralschreiben bemerklich gemachten Sinne des päpstlichen Breve den Pfarrern durchaus zu überlassen seyn, so nämlich, dass die Bischöfe keinen Fall mehr ihrer speciellen Kenntnissnahme (cognitio episcopalis) vorbehalten. Dadurch aber ist die Leitung dieser Angelegenheit keineswegs der Behandlung der Bischöfe entzogen. Denn einige Pfarrer werden aus Mangel an Einsicht in das Sachverhältniss und in den wahren Inhalt des Breve, andere aus Aengstlichkeit Anfragen thun oder Fehlgriffe machen, welche von Seite der Partheyen Beschwerden nach sich ziehen. Somit werden in der ersten Zeit, bis die richtige Praxis sich festgesetzt hat, und der Inhalt des Breve in's Leben übergegangen ist, bischöfliche Entscheidungen veranlasst werden.

Art. 6. Damit nun diese Entscheidungen gleichförmig seyen, so scheint es nothwendig, dass die Bischöfe sich auch noch von vornherein über die hiefür aufzustellenden Grundsätze einigen. Die zweckmässigste Form scheint die einer gleichmässigen Instruction an die Generalvicariate, von welchen jene Entscheidungen ausgehen müssen. Diese Instruction wird also eines Theils die praktischen Grundsätze aussprechen, wovon bey der Auslegung des Breve ausgegangen werden muss, andern Theils als Folgerung daraus die Maximen aufstellen, nach welchen in den vorkommenden einzelnen Fällen, so weit sich dieselben im Allgemeinen angeben lassen, von Anfang bis zum Ende gehandelt und beschieden werden kann. Bei Abfassung einer solchen Instruction werden folgende Ansichten des wahren Sinnes und Zweckes des päpstlichen Breve zum Grunde zu legen seyn: a) Die Canones und die mehr entwickelte Praxis sind zwar nicht auf-

gehoben, und ausser Kraft gesetzt, allein es ist eine Art von Dispensation erfolgt, ein Nachgeben (tolerantia) eingetreten. Hiedurch ist also die Disciplin gemildert, und es kann hinfort nach dem Geiste der Canones und der kirchlichen Anforderungen so gehandelt werden, dass der allerhöchsten Cabinetsordre von 1825. genügt werde. b) Nach diesem Grundsatze ist der Inhalt der einzelnen Stellen des Breve zu ermitteln, und mildernd zu erklären. Insbesondere kann von Seite der Bischöfe Alles zugelassen werden, was in dem Breve nicht ausdrücklich untersagt, oder was als zu beachten bestimmt ist, angegeben worden. c) Die Thätigkeit der Pfarrer besteht daher vorzüglich in Belehrung und Ermahnung im Allgemeinen sowohl, als im Besondern in speciellen Fällen. d) Mit der speciellen cognitio hört auch die Ertheilung der Dispensation und der Erlaubniss bey der Eheschliessung zu assistiren (licentia assistendi matrimonio) auf. e) Von der Cautio oder dem Versprechen rücksichtlich der Erziehung der Kinder in der Religion des einen oder andern Ehetheils wird ganz Abstand genommen. Die religiöse Gesinnung des katholischen Theils in Absicht auf Glaubenstreue und Pflichterfüllung bei der künftigen Erziehung der Kinder ist vorzüglich in's Auge zu fassen, und darauf einzuwirken. Und nach dieser Gesinnung, die mit Milde in jedem einzelnen Falle beurtheilt werden muss, ist das ganze Verhalten einzurichten. f) Die Fälle, wo die Assistentia passiva stattfinden soll, sind möglichst zu beschränken. Alles, was die Leichtfertigkeit nicht vermuthen lässt, oder sie doch in der sittlichen Beurtheilung mildert, hebt den Fall der assistentia passiva auf. Dahin gehören solche Umstände, welche auch bey andern Ehehindernissen eine mildere Behandlung und Dispensation begründen, als z. B. vorhergegangene Schwängerung, vorgerücktes Alter (aetas superadulta), Beilegung von Familienzwisten etc. In allen Fällen, wo diese Assistentia passiva nicht eintritt, werden die üblichen kirchlichen Feyerlichkeiten vollzogen.

Art. 7. Nach diesen Grundsätzen ist eine solche Instruction entworfen worden, welche hier unter Lit. B. vorliegt,

und demgemäss von jedem der Bischöfe an ihre General-Vicariate zu deren ausschliesslichem Gebrauche zu erlassen seyn wird.

III. *Art. 8.* Die besondere Instruction vom 27. März 1830. welche den Bischöfen durch den päpstlichen Sekretär der Breven ertheilt worden, ist nur zur Kenntnissnahme der Bischöfe selbst bestimmt und geignet; ihre Bekanntmachung ist daher weder nothwendig noch räthlich. Für ihre Auslegung und Anwendung steht der Grundsatz fest, dass sie nicht über den Inhalt des päpstlichen Breve selbst hinausgehen kann, und dass ihr Zweck nur ist, den Bischöfen bei etwaiger Verlegenheit in der Ausführung zu Hilfe zu kommen, da, wo sie derselben zu bedürfen glauben, und namentlich für solche Fälle, die mit trennenden Ehehindernissen verbunden sind. Insbesondere ist nur hier noch zu bemerken, dass die bischöfliche Dispensation in den eben angeregten Fällen am geeignetsten den Partheyen durch Vermittlung der Pfarrer zuzustellen seyn wird, da diese auch die Dispensgesuche zu besorgen pflegen.

§. 3. Ist der Entschluss der Brautleute in Betreff der Erziehung ihrer sämmtlichen zukünftigen Kinder glaubwürdig nach der im §. 2. gegebenen Vorschrift nachgewiesen, so ist die eheliche Einsegnung wie bei ungemischten Ehen, d. i. wie bei katholischen Brautleuten ritu catholico in der Kirche zu ertheilen. Da bei den eben erwähnten Umständen kein Anstand sich ereignen kann, so ist in einem solchen Falle keine Berichtserstattung an das bischöfliche Ordinariat zur Erholung einer besondern Verhaltsinstruction erforderlich.

§. 4. Die dreimaligen Proclamationen sind in den vorstehenden Fällen von der Kanzel, jedoch ohne Erwähnung der Confession der Brautleute, zu verkündigen.

§. 5. Für jene Fälle, wo die Brautpersonen gemischter Confession der vorausgegangenen Pastoralbelehrungen über den kathol. Lehrbegriff des Ehebündnisses ungeachtet bei dem Pfarrer auf dem Vorhaben bestehen, entweder ihre sämmtlichen in der künftigen Ehe zu erzeugenden Kinder in der protest. Confession, oder nach der Religion der Eltern — die Kinder in dem verschiedenen confessionellen Bekenntnisse des Vaters und der Mutter — nach dem Geschlechte — zu erziehen: erhalten die pfarrlichen Behörden die Weisung, die dreimaligen Ausrufungen, in welchen jedoch keine

Dispensation stattfindet, nach nachstehendem Formular von der Kanzel jedesmal vorzunehmen: „Zur ehelichen Verbindung haben sich versprochen: N. N. Sohn des N. N. (Namen und Charakter), und der N. N. mit B. B. Tochter des O. O. und der V. V. von Z. und werden hiemit zum ersten etc. mal ausgerufen."

§. 6. Die pfarrliche Obliegenheit, bei jeder vorhabenden Verehelichung die sorgfältige Untersuchung anzustellen, ob ein impedimentum canonicum oder politicum vorhanden sei, ist auch genau bei gemischten Ehen zu erfüllen. Wenn den Pfarrern und Kuraten ein vorhandenes kanonisches Hinderniss, besonders in den Verwandtschaftsgraden während oder nach den Proclamationen zur Kenntniss kommt, so sind dieselben verflichtet, mit allen die vorhandene Verehelichung betreffenden pfarrl. Erklärungen einzuhalten, das entdeckte kanonische Hinderniss dem bischöflichen Ordinariate anzuzeigen, und dessen Entschliessung abzuwarten.

§. 7. Wenn der erfolgten dreimaligen Ausrufungen ungeachtet kein impedimentum canonicum zur vorhabenden ehelichen Verbindung, in welcher entweder alle Kinder in der protest. Religion erzogen werden, oder wo solche die religiöse Erziehung secundum sexum erhalten sollen, sich entgegengestellt hat, so hat der Pfarrer oder Pfarrkuratus auf Verlangen der Brautleute den Ledigschein in nachstehender Form unweigerlich auszustellen: „Sponsalia inter N. et N. tribus distinctis vicibus in ecclesia parochiali N. denuntiata fuisse, nullumque, extra vetitum Ecclesiae ob religionem mixtam, impedimentum innotuisse, sub parochiali sigillo ac propriae manus subscriptione attestor." unter Beisetzung des Jahres, Monats, Tags, und Orts der Ausfertigung, nebst dem Namen des Kuratpriesters und pfarrl. Siegels.

§. 8. Wenn Brautleute zu einer gemischten Ehe, in welcher entweder alle Kinder in der protest. Religion oder secundum sexum die religiöse Erziehung erhalten, vor dem Pfarrer des katholischen Theils ihren ehelichen Contrakt erklären wollen: so wird dem Pfarrer gestattet, in eigener

Person oder durch einen legalen Stellvertreter der besagten Verehelichungs-Erklärung und wechselseitigen Einwilligung des Brautpaares in der Eigenschaft eines authorisirten und gesetzlich giltigen Zeugen gegenwärtig zu seyn.

§. 9. Den Pfarrern und Pfarrkuratoren wird rücksichtlich ihrer lediglichen zeugschaftl. authorisirten Gegenwart bei dergl. ehelichen Verbindungen nachstehende Vorschrift ertheilt: 1. dieselben haben diesen Verehelichungs-Erklärungen nur in ihrer eigenen Pfarrwohnung beizuwohnen. 2. Bei dieser Eheerklärung in der langen klerikalischen Kleidung ohne Gebrauch der Stole und ohne Chorrock zu erscheinen, und hiebei alle liturgischen, für ungemischte katholische Ehen in der Diöcesan Agende vorgeschriebenen Ceremonien und Ritus zu unterlassen. 3. Wenn ein Pfarrer nicht in eigener Person, sondern durch einen Stellvertreter bei der Consenserklärung des Brautpaares zur ehelichen Verbindung gegenwärtig sein will, so wird die Weisung wiederholt, dass dieser Stellvertreter nur im Pfarrhause des delegirenden Pfarrers diesem Verehelichungsakte beiwohnen dürfe, und es wird zugleich vorgeschrieben, dass nur einem in der Seelsorge wirklich stehenden Diöcesanpriester die Stellvertretung aufgetragen werden könne, und zwar durch eine schriftliche in der Pfarrregistratur wohlzuverwahrende Delegationsurkunde.

§. 10. Sobald die Erklärung des Brautpaares über seine eheliche Verbindung in Gegenwart des Pfarrers oder dessen legalen Stellvertreters und zweier wesentlich zur Legitimation dieses ehelichen Contracts requirirten Zeugen erfolgt ist, so tritt die pfarrliche Obliegenheit ein, sogleich in Gegenwart der Neuvermählten, und der zwei Zeugen nach der mündlichen Vernehmung dieser Individuen über die geschlossene eheliche Verbindung ein Protokoll aufzunehmen, und solches von sämmtlichen theilnehmenden Individuen unterschreiben zu lassen, dann diesen Akt selbst in die Pfarrmatrikel nach allen vorgeschriebenen Rubriken einzutragen.

§. 11. Auf Verlangen der, mittelst dieser legalen Form ehelich verbundenen Brautpersonen ist denselben ein Trau-

schein folgenden Inhalts auszustellen: „In dem Jahr, Monat, Tag hat sich N. N. kathol. Religion mit N. N. protest. Confession (oder viceversa) vor den beiden Zeugen N. N. in Gegenwart des unterzeichneten Pfarrers, oder dessen Stellvertreters ehelich verbunden." Beglaubigt durch Unterschrift und Pfarrsiegel mit Angabe des Orts und Dekanats. —

208.

Instructio Archiepiscopi Monacensis ad Parochos circa mixtas nuptias, dd. 17. Februar 1836.

Wir Lothar Anselm etc. Um jene Anstände, welche sich bisher wegen des Benehmens der kathol. Geistlichkeit bei gemischten Ehen ergeben haben, und die hievon zu besorgenden nachtheiligen Folgen auf eine mit den unwandelbaren Grundsätzen der kath. Kirche vereinbarliche Weise, so viel an uns liegt, zu heben, ermächtigen Wir hiemit in Folgen der vom heil. Stuhle an die Erzbischöfe und Bischöfe Baierns unterm 12. Septemb. 1834. erlassenen Instruction, sämmtliche Pfarrvorstände, und in der pfarrl. Seelsorge angestellte Geistliche Unsers erzbischöfl. Kirchensprengels, in denjenigen Fällen, wo eine kathol. Person, nach pflichtmässig vorausgegangenem gründlichen Pastoral-Unterricht über die Grundlehren der kathol. Kirche, (in dem unten bezeichneten Sinne), unabänderlich auf dem Entschlusse, eine gemischte Ehe einzugehen, beharrt, die kirchliche Verkündigung in nachstehender Weise vorzunehmen: „Zur ehelichen Verbindung haben sich versprochen der N. N. (Namen und Charakter) des etc. und der etc. Sohn, mit N. N. etc. Tochter, und werden hiermit — ausgerufen" — und das Zeugniss hierüber in der Art auszustellen: „Sponsalia inter N. et N. inita tribus distinctis vicibus in ecclesia parochiali N. denuntiata fuisse, nullumque, extra vetitum ecclesiae ob religionem mixtam, impedimentum canonicum ex parte sponsi (sponsae) innotuisse, sub parochiali sigillo et propriae manus subscriptione testor."

Nach jedem einzelnen Falle einer solchen gemischten Ehe hat der Seelsorger an Uns zu berichten, wie er Un-

sern Aufträgen entsprochen habe. Dabei wollen Wir Unsere Mitarbeiter im Weinberge des Herrn mit väterlichem Ernste und dringend ermahnt haben, dass sie in Ausübung ihres Pastoralamtes sich mit ebenso viel Klugheit, und gewissenhaftem Eifer fortwährend angelegen sein lassen, ihre Untergebenen in der treuen Anhänglichkeit an die Lehren und Grundsätze unserer heil. Kirche, und in der gewissenhaften Erfüllung der darauf beruhenden Pflichten, der Ermahnung des Apostels II. Tim. 4, 1—5. gemäss, nicht nur überhaupt zu bestärken, sondern nach Erforderniss der Umstände sie auch insbesondere über die kathol. Grundsätze im Betreffe der gemischten Ehen auf eine Weise zu unterrichten, welche geeignet ist, jedes empfängliche Gemüth vor einem leichtsinnigen Schritte in einer der wichtigsten Angelegenheiten des menschlichen Lebens zu bewahren, oder doch die nachtheiligen Folgen eines solchen Schrittes zu mildern. München, den 17. Febr. 1836.

209.

Lex matrimonialis pro Ducatu Saxo-Gothano dd. 15. Augusti 1834.

§. 18. Die Ehen derjenigen, welche sich zur christlichen Religion im Allgemeinen bekennen, wenn sie auch zu verschiedenen christlichen Kirchen gehören, sind unbedingt erlaubt. — Können sich die Eltern, welche sich zu verschiedenen christlichen Kirchen bekennen, darüber, in welcher Konfession die Kinder erzogen werden sollen, nicht einigen: so sind die Kinder männlichen Geschlechts in der Confession des Vaters, die weiblichen Geschlechts in der der Mutter zu erziehen.

210.

Projectum legis circa educationem prolium e matr. mixtis in Comitiis M. Ducatus Saxo-Vimariensis, dd. 1 Febr. 1836.

Der getreue Landtag hat in dieser Beziehung *(über die religiöse Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen)*

die gesetzlichen Bestimmungen anderer Staaten verglichen, sich aber dadurch nur noch mehr überzeugt, dass, wenn einerseits Erziehung der Kinder nach freier Übereinkunft der Eltern unpassend, eine feste Bestimmung dagegen nothwendig sey, andererseits dennoch jede Vorausbestimmung in besonderen Fällen Anstoss finden möchte. Von dem Gesichtspunkte ausgehend, dass vor allen Dingen, um den Frieden in den Familien zu erhalten, alle Kinder in einem und demselben Glauben erzogen werden müssen, dass aber die bisherige Bestimmung des Gesetzes zwar diese Ansicht ebenfalls festhalte, aber in ihrer Ausführung die mannigfaltigsten Inkonvenienzen des bürgerlichen Lebens erzeugen könne, glaubt der getreue Landtag jedoch, folgende abändernde Bestimmung des bisherigen Gesetzes, welche auch im Königreiche Hannover neuerdings gesetzlich eingeführt ist, als den natürlichen Familienverhältnissen am entsprechendsten und die wenigsten Störungen des ehelichen Friedens in sich tragend, Ihro Kön. Hoheit zu höchster Sanktion empfehlen zu können: „Bei der religiösen Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen entscheidet die Bestimmung des Vaters, jedoch müssen alle Kinder beiderlei Geschlechts in einem und demselben Glauben erzogen werden, und nur für besondere Fälle kann hiervon durch höchste Dispensation eine Ausnahme gemacht werden."

211.

Decretum Magni Ducis erga praevium projectum, dd. 4. Martii 1836.

— — Was die Anträge des getreuen Landtags im Betreff des §. 51. — betrifft, so können Wir Uns zur Zeit noch nicht bewogen finden, darauf einzugehen, indem es Uns überhaupt bedenklich erscheint, der theilweisen Abänderung eines Gesetzes Statt zu geben, welches vor nicht zu langer Zeit nach umfassender Erwägung aller einschlagenden Momente erlassen, ein zusammenhängendes Ganze bildet. In geeigneten Fällen werden Wir zu den Dispensationen geneigt sein, welche auch der Landtag bevorwortet.

Weimar, den 4. März 1836. Karl Friedrich.

212.

Circulare Capituli Fuldensis ad Parochos eodem in merito, dd. 22. April. 1836.

Durch Schreiben grossh. Immediat-Commission für das kathol. Kirchen- und Schulwesen zu Weimar vom 9. v. M. sind wir zur Kenntniss gekommen, wie der grossh. Landtag auf die von des hochw. Herrn Bischofs Exc. gemachten Anträge wegen Revision und Abänderung des Gesetzes über die Verhältnisse der kath. Kirchen und Schulen im Grossherzogthume, vom 7. Oct. 1823. nur einigentheils eingegangen ist, und selbst die theilweise Intercession des Ersteren Allerhöchsten Orts eine Berücksichtigung nicht gefunden hat. Da nach dem Inhalte des Allerh. Rescripts vom 4. v. M. welcher Ihnen durch die grossh. Immediat-Commission unterdessen bekannt gemacht worden ist, an dem das Glaubenssystem der Katholiken in manchen Punkten verletzenden und ihre Gewissens- und Kirchenfreiheit beschränkenden Gesetze vom 7. Oct. 1823. eine Abänderung nicht erfolgt, und dem Gewissen der Katholiken durch die Zusicherung einer Geneigtheit zu Dispensationen in geeigneten Fällen, bei der fortwährenden Rechtsbeständigkeit des obenerwähnten Gesetzes eine genügende Beruhigung nicht gewährt, demnach der Grund zu den gerechten Besorgnissen der kathol. Kirche im Grossherzogthume nicht gehoben ist: so können wir nicht umhin, Ihnen Unsere innige Betrübniss über das Fehlschlagen Unserer gerechten Erwartungen auszudrücken, und hegen zu Ihnen das Vertrauen, dass Sie bei vorkommenden Fällen die Grundsätze des kathol. Glaubens und die Gerechtsame der kath. Kirche sich zur Richtschnur Ihres Verfahrens dienen lassen, und sich als treue Anhänger Ihrer Kirche bewähren werden. Fulda, den 22. April. 1836.

213.

Lex Saxonica de mixtis matrimoniis, dd. 1. Novemb. 1836.

Wir Friedrich August etc. haben — hinsichtlich der Eingehung der Ehen unter Personen evangelischen und ka-

tholischen Glaubensbekenntnisses — und der religiösen Erziehung der von Aeltern dieses verschiedenen Glaubensbekenntnisses erzeugten Kinder — unter Zustimmung Unserer getreuen Stände, Folgendes festgesetzt:

§. 1. Die Competenz der Parochie in Ansehung der Trauung solcher Verlobten, deren ein Theil zur katholischen, der andere zur evangelischen Confession sich bekennt, wird durch die Confession der Braut bestimmt. Doch steht den Verlobten frei, gegen Entrichtung der gewöhnlichen Gebühren an die Geistlichkeit der Braut und ein von dieser ausgestelltes Zeugniss, dass ihr kein Ehehinderniss bekannt sei, sich von einem andern Pfarrer der Confession der Braut, oder von einem Pfarrer der Confession des Bräutigams trauen zu lassen. Wollen dieselben in beiden Kirchen sich einsegnen lassen, so ist die erste Einsegnung nothwendig von einem Pfarrer der Confession der Braut zu vollziehen, und als die eigentliche Trauung, mit welcher die rechtlichen Wirkungen der Ehe beginnen, zu betrachten.

§. 4. Sollte der hatholische Pfarrer, wenn ihm nach §. 1. die Trauung gebührt, ohne einen nach den Landesgesetzen statthaften Grund, Aufgebot oder Trauung verweigern, so soll das Aufgebot auf Seiten des katholischen Theils in der evangelischen Kirche seines Wohnorts, oder in der nächsten evang. Kirche, die Trauung aber ebenfalls von einem protestantischen Geistlichen, auch ohne die gewöhnlichen Dimissoriales des Pfarrers des kathol. Theils — bewirkt, und die Ermächtigung hierzu auf Ansuchen aus dem Ministerio des Cultus ertheilt werden.

§. 5. Die Taufe der in einer gemischten Ehe erzeugten Kinder stehet dem Geistlichen der Confession des Vaters, und nur dann, wenn nach einer gültigen Übereinkunft der Aeltern das Kind in der Confession der Mutter erzogen werden soll, dem Geistlichen dieser Confession zu.

§. 6. Die aus gemischten Ehen erzeugten Kinder sind in der Regel in der Confession des Vaters zu erziehen. Es ist jedoch den Aeltern gestattet, durch freie Übereinkunft — hierüber unter sich etwas Anderes festzusetzen.

§. 8. Dergleichen Vereinigungen können sowohl vor Eingehung der Ehe, als während derselben geschlossen, auch wieder aufgehoben oder verändert werden. Auf die religiöse Erziehung derjenigen Kinder aber, welche das *sechste* Jahr bereits erfüllt haben, ist der Abschluss, die Aufhebung oder Veränderung solcher Vereinigungen ohne Einfluss.

§. 12. Hört eine Ehe durch Übertritt des einen Theils auf eine gemischte zu sein, so haben die Aeltern die Freiheit, ihre Kinder in der ihnen nun gemeinschaftlichen Confession zu erziehen, auch wenn dieselben bisher einen andern Religionsunterricht erhalten hätten.

§. 20. Wer einen in gemischter Ehe lebenden Ehegatten durch Versprechungen, Drohungen oder Herabwürdigung der einen Confession zum Abschluss einer Übereinkunft mit dem andern Ehegatten über die ihren Kindern zu gebende Erziehung in einer andern Confession verleitet, wird von seiner competenten Obrigkeit das erste Mal mit 50. Thlr. Geldbusse oder drei Monaten Gefängniss, und im Wiederholungsfalle noch härter, ein Geistlicher aber, der sich dessen schuldig macht, mit Dienstentsetzung bestraft.

Dresden, den 1. November. 1836.

214.

Lex pro Regno Poloniae de matrimonio, dd. 16/28. Martii 1836.

Wir Nicolaus I. etc.

Cap. VI. Art. 192. Die Trauung von Personen, wovon die eine sich zur römisch-katholischen und die andere zur evangelischen Religion bekennt, muss von einem Geistlichen desjenigen Glaubens, zu welchem die Braut gehört, vollzogen werden.

Art. 193. Es steht jedoch den Parteien frei, zu verlangen, dass ihre schon geschlossene Ehe auch noch von einem Geistlichen desjenigen Glaubensbekenntnisses, zu welchem der künftige Ehemann gehört, eingesegnet werde.

Art. 194. Sollte ein römisch-katholischer Geistlicher sich weigern, eine Ehe zwischen Personen des römisch-

kathol. und des evang. Glaubensbekenntnisses einzusegnen, so kann die Trauung auch von einem evang. Geistlichen vollzogen werden.

Art. 195. Söhne, die in solchen Ehen erzeugt sind, müssen in der Religion des Vaters, Töchter aber in der Religion der Mutter erzogen werden, wenn die Eltern nicht vor ihrer Verheirathung eine andere Übereinkunft dieserhalb geschlossen haben.

Art. 199. Die Ehen von Personen, die sich zur griechisch-russischen Religion bekennen, mit Personen anderer Glaubensbekenntnisse unterliegen in Betreff ihrer Schliessung und Auflösung den in den für das Kaiserreich geltenden Gesetzen enthaltenen Vorschriften.

Art. 200. Nach diesen Gesetzen muss: 1. die religiöse Trauung durchaus und bei Ungültigkeit durch einen griechisch-russischen Geistlichen vollzogen werden. 2. Müssen alle in solchen Ehen erzeugten Kinder in der griechisch-russischen Religion erzogen werden.

Art. 201. Eine Partei anderer Confession, die sich mit einer Person griechisch-russischer Religion verheirathet, muss das schriftliche Versprechen abgeben, dass sie ihren Ehegenossen um der Religion willen nicht verfolgen, dass sie ihn weder durch Verlockung, noch durch Drohungen, noch auf irgend eine andere Weise verleiten .wolle, zu ihrem Glauben überzutreten, so wie dass die in der Ehe erzeugten Kinder in der griechisch-russischen Religion getauft und erzogen werden sollen.

215.

Vicariatus Fuldensis Circulare ad Parochos quoad mixta matrimonia, dd. 21. April. 1837.

Nachdem Kurfürstl. Ministerium des Innern unterm 17. März l. J. uns eine Abschrift des Ministerial-Beschlusses vom 29. März v. J. zur Nachachtung mitgetheilt hat, in welchem dem Consistorium zu Marburg eröffnet wird, dass dem Beschlusse vom 23. Sept. 1834. das Gesuch des Gymnasiallehrers Dr. Schmitz um Gestattung, seine Kinder ohne Unterschied in der kath. Religion zu erziehen, betref-

fend, nicht die Folge zu geben sei, dass dadurch der Staatsministerialbeschluss vom 28. April 1824. abgeändert worden, und dass in vorkommenden Fällen nach Anleitung des letztern zu verfahren sei: so wird sämmtlichen Pfarrern und Seelsorgern der Diöcese Fulda Kurhessischen Antheils, hievon Nachricht ertheilt, und werden dieselben auf den schon früher mitgetheilten, auf unsere gehörig motivirte Vorstellung von dem Kurfürstl. Staatsministerium unterm 3. Januar 1827. erlassenen Beschluss hingewiesen, vermöge dessen gestattet wird, dass die Einsegnung gemischter Ehen in dem Falle, wo dieselbe nach dem Ausschreiben des Ministeriums vom 18. Aug. 1823. einem katholischen Pfarrer obliegen soll, von diesem verweigert, und mit Bescheinigung dieser Verweigerung einem inländischen protest. Pfarrer überlassen werden darf, insofern der kathol. Pfarrer wegen der Religionsverschiedenheit, resp. wegen der Erziehung eines Theiles der Kinder in einer andern als der katholischen Religion, *aus voller eigenen Überzeugung*, wie es dort heisst, Bedenken trägt, eine solche Ehe einzusegnen.

An dieser vollen eigenen Überzeugung wird es aber bei den Seelsorgern unsrer Diöcese (wir haben das Zutrauen zu ihrer Gewissenhaftigkeit) nicht fehlen, wenn sie erwägen, dass die kath. Kirche aus bekannten Gründen die Ehen zwischen Katholiken und Nichtkatholiken als unerlaubt verwirft und verbietet, wenn nicht alle zu hoffenden Kinder in der kath. Religion erzogen und ihrer heilbringenden Segnungen und Vorzüge theilhaftig werden sollen. *(Sequitur extractus Repraesentationis Vicarialis dd. 27. Nov. 1826.)* — Diese mit weiteren Reflexionen dem Kurf. Staatsministerium vorgetragene Beurtheilung des Gegenstandes ist fortwährend jene unsers Bischofs und die unsrige, und welcher consequent denkende und gewissenhafte Katholik könnte wohl anderer Meinung sein, zumal da durchaus gleichförmige frühere kirchliche Aussprüche und Bestimmungen darüber vorliegen und unser höchstes Kirchenoberhaupt sich widerholt in dieser Sache eben so ausgesprochen hat?

Wir erwarten demnach von sämmtlichen Pfarrern und Seelsorgern, dass sie von der im Beschlusse des Kurf. Ministeriums ihnen gestatteten Freiheit in geeigneten Fällen Gebrauch machen, und gemischten Ehen die priesterliche Einsegnung versagen werden, wenn nicht beide Kontrahenten, die vorher über das oben erläuterte Verhältniss der Sache liebreich zu belehren sind, vor Eingehung der Ehe einen förmlichen Akt fertigen, oder doch eine genügende, wenn auch nur mündliche, jedoch aufrichtige und ernstliche Versicherung geben, alle etwa zu hoffenden Kinder in der kath. Religion zu erziehen, wozu nach Maassgabe der Umstände auch Erlangung der weltlichen Dispensation zu versuchen, dem katholischen Theile aber besonders einzuschärfen ist, dass er, um seinem Gewissen genug zu thun, nicht nur jetzt mit redlicher, zum Empfange der Gnade des Sacraments erforderlicher Gesinnung jenes Versprechen zu leisten, sondern auch in der Folge jedes zulässige Mittel anzuwenden und Alles, was in seinen Kräften steht, zu thun habe, um seine sämmtlichen Kinder zum katholischen Glauben heranzubilden und bei eintretenden Schwierigkeiten, besonders bei herannahender protest. Konfirmation, dahin zu wirken, dass die dazu verlangten Kinder ihre Entschliessung bis zum 18. Jahre ihres Alters verschieben, wo es ihnen freisteht, zur kath. Kirche sich öffentlich zu bekennen.

Übrigens wird jeder Seelsorger bei aller Empfehlung der bürgerlichen Toleranz und der allgemeinen christlichen Liebe, nicht nur frühzeitig die ihm anvertraute Jugend in der Schule und Christenlehre und bei jeder andern Gelegenheit vor der ehelichen Verbindung mit nichtkatholischen Personen ernstlich warnen, und auf die Gefahren und Nachtheile aufmerksam machen, die gewöhnlich damit verknüpft sind, sondern auch der wirklichen Abschliessung schon verabredeter Verbindungen dieser Art durch geeignete Vorstellung jener Gefahren und sittlich-religiösen Nachtheile mit Bescheidenheit und Liebe entgegenzuwirken suchen. Fulda, den 21. April 1837.

216.

Articuli Conferentiae Badensis in Helvetia de mixtis nuptiis, a. 1834.

Art. 5. Die Eingehung von Ehen unter Brautleuten verschiedener christlichen Konfessionen wird von den contrahirenden Kantonen gewährleistet. Die Verkündung und Einsegnung unterliegt den gleichen Vorschriften, wie jene von ungemischten Ehen, und wird den Pfarrern ohne Ausnahme zur Pflicht gemacht.

Idem Artic. 5. per *Magnum Senatum* modificatus: „Die Eheeingehung von Ehen unter Brautleuten verschiedener christl. Confessionen ist gewährleistet im Sinne des Concordats vom 12. Juli 1812. und 7. Juli 1819."

217.

Edictum Magni Senatus San-Gallensis de mixtis matrimoniis, dd. 25. Novembr. 1834.

Art. 27. Die Eingehung von gemischten Ehen ist verfassungsmässig gewährleistet. Die Verkündung und Einsegnung unterliegt den gleichen Vorschriften, wie die Verkündung und Einsegnung nicht gemischter Ehen, und ist unbedingte Pflicht der Pfarrer beider Confessionen.

Art. 29. Erlassung von Vorschriften über die Verhältnisse von Kindern aus gemischten Ehen, namentlich auch über ihre Confession, ist nicht Angelegenheit der Kirchenbehörden, sondern liegt in den Befugnissen der bürgerlichen Gesetzgebung.

218.

Breve Gregorii PP. XVI. adversus articulos Conferentiae Badensis, dd. 17. Maii 1835.

Commissum divinitus humilitati Nostrae Apostolici officii munus omnino postulat, ut assidue ad custodiam gregis Domini vigilantes illuc praesertim studia et cogitationes omnes intendamus, opem quoad possumus allaturi, ubi aeterna ovium salus ac ipsa Catholica Religio periclitari videatur.

Multa autem inimicos homines callide, neque irrito conatu in istis regionibus moliri, quae in apertam christiani gregis perniciem, reique catholicae detrimentum vergant, Nos minime ignoramus, atque adeo vehementissime dolemus. Quem quidem dolorem illud etiam exasperat, quod ii ad incautos decipiendos haudquaquam se fidei integritati detrahere velle profiteantur, idque unum sibi propositum esse simulent, ut scilicet iurium ad potestatem laicam pertinentium indemnitati consulant: hoc tamen fallacissimo rationis publicae obtentu erroneas ac pravas quas sequuntur doctrinas, qua insinuare lateque propagare, qua constabilire et quodammodo sancire enitantur. — — Intelligitis iam, Ven. Fratres, dilecti Filii, de iis Nos loqui, quae mense Januario elapsi anni in urbe Bada Pagi Argoviensis nefarie gesta vel potius perpetrata sunt. — Perhorruimus sive sermones sive articulos hosce perlegentes, et eiusmodi in iis contineri principia, easque inde in Catholicam Ecclesiam induci novitates intelleximus, quae utpote illius doctrinae et disciplinàe repugnantes, aperteque ad perniciem animarum pertinentes, ferri nullo modo possunt. *(Post plura, quae adversus potestatem Ecclesiasticam conclusa sunt, praemissa, ita prosequitur)* Nihil vero est, quod magis Ecclesiae proprium, eiusque Pastoribus arctius reservatum voluerit Christus, quam Sacramentorum abs se institutorum dispensatio, cuius quae sit ratio servanda, ad eos solummodo pertinet iudicare, quos ille operis sui administros in terris constituit. Nefas proinde, si in sanctissimo eo munere aliquid sibi civilis potestas vindicet; nefas, si circa illud quidpiam statuat aut sacrorum ministris praecipiat; nefas, si quid legibus suis adnitatur adversus regulas de divinis mysteriis christiano populo impertiendis sive scripto consignatas, sive voce traditas et ad nos usque ab Ecclesiae primordiis transmissas. — Attamen, quod incredibile prorsus ac portenti loco esse videtur, eousque in Badensi Conventu progressum est, ut vel in ipsam Sacramenta dispensandi rationem seculari auctoritati ius et officium fuerit attributum. Huc sane spectant, qui ibidem de magno in Christo et Ecclesia Matrimonii Sacramento temerario ausu conscripti sunt articuli: huc favor apertissime decretus mixtis nuptiis contrahendis: huc necessitas Parochis

Catholicis imposita iisdem nuptiis benedicendi, omni religionis inter coniuges discrimine prorsus neglecto: huc demum severae poenarum comminationis adversus eos adhibitae, qui id facere detrectaverint. Quae quidem omnia non ea tantum de causa sunt merito exprobranda, quod civilis potestas de Sacramenti divinitus instituti celebratione leges ferat, sacrisque pastoribus tanta in re audeat imperare; sed ex eo etiam acrius sunt reprehendenda, quod absurdissimam impiamque indifferentismi, ut vocant, opinionem foveant, imo illi necessario innitantur; ac praeterea catholicae veritati, doctrinaeque Ecclesiae manifestissime adversentur, quae mixta connubia tum ob flagitiosam in rebus sacris communionem, tum ob grave catholici coniugis perversionis periculum, pravamque nasciturae sobolis institutionem detestata perpetuo est semperque interdixit; nec unquam ea ineundi liberam tribuit facultatem, nisi adiectis conditionibus, quae deformitatis et periculi causas ab ipsis arcerent.

— — Haec cum ita sint, in tanta et tam aperta sanae doctrinae iurisque ecclesiastici perturbatione, in tanto et tam gravi rei catholicae in istis regionibus discrimine, Nostrarum partium fuisset, habito vix Badensi conventu, vocem de monte hoc sancto tollere, quique in illo concinnati sunt, articulos palam arguere, reprehendere, damnare. Nec alia profecto de causa Nostrum de ipsorum pravitate iudicium hactenus distulimus, nisi quod futurum sperabamus, ut non modo rati non haberentur, sed reiicerentur prorsus ac improbarentur ab iis, qui civilibus administraudis negotiis istic praesunt. At cum res maxima ex parte ad votum non successerit, quin imo dolentes summopere acceperimus, latas alicubi fuisse leges, quibus iidem articuli confirmantur ac publica sanctione muniuntur: cumque Magistri et Doctoris universalis personam, meritis licet imparibus, gerentes illud sedulo cavere debeamus, ne quis ex ratione Nostra in errorem misere inducatur, saepiusque memoratos Badensis Conventus articulos Ecclesiae doctrinae ac disciplinae minime repugnantes existimet; cunctari et silere diutius non posse probe intelleximus. — Itaque praedictos articulos ceu continentes assertiones, attenta praesertim sententiarum complexione, falsas, temerarias, errone-

as, S. sedis iuribus derogantes, Ecclesiae regimen ac divinam eius constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium seculari dominationi subiicientes, ex damnatis principiis dimanantes — reprobamus, damnamus, et tamquam reprobatos, damnatos perpetuo habendos decernimus.

219.

Repraesentatio Cleri Cantonis Genevensis ad Episcopum adversus mixta matrimonia, dd. 30. Junii 1835.

Secundo. Haeresis per mixta matrimonia potenter influit in interiora familiarum. Quo matrimoniis his lata porta aperiatur, Supremum Senatus Consilium, erga propositionem Consilii Status, ope legis de 26. Decemb. 1821. necessitatem benedictionis nuptialis abrogavit. — Hic agendi modus legislationis tulit fructus, et effectus produxit summe deplorandos. Si Illustritas Vestra cupit, possumus exhibere tabellam de numero huiusmodi connubiorum, in respectivis paroeciis nostris initorum, quae Summi Pontifices „detestanda connubia" vocant. Perhorrescet Illustritas Vestra, et amaritudine replebit cor suum, videndo, quod in potissima parte coniugiorum istorum, etiam penes dispensationem Summi Pontificis, ac proinde cum promissione et sub iuramento proles utriusque sexus in Religione Catholica educandi, contractorum, fere omnes haeresi in praedam cedant. Sunt quidem abs dubio exceptiones, in quibus haec matrimonia e gravibus motivis, et post ratihabitionem Sanctae Sedis contracta non trahunt post se funestas consequentias, quas possim deploramus: ast in universum moraliter pene impossibile est, ut illa (matr. mixta) non vergant in praeiudicium fidei et religiositatis in sinu familiarum ex ratione praedominantis partis protestanticae, cui in tali Statu, qualis est hic Genevensis, omnia favent. Certe tacita protectio Gubernii, sollicitationes parentum, amicorum, zelus ministrorum, excommunicationes, quas ipsi (protestantes) intentant iurisdictioni suae obnoxiis: omnia haec concurrunt, quo pars protestantica in praetensionibus suis nimia, et in voluntate sua inmota reddatur. Insolita sane praesumtio foret, sperare, ut haec matrimonia vel minimum emolumenti Religioni Catholicae adfe-

rant: si enim casus hic probabilis fuisset, cauti certe exstitissent (Protestantes) illis opitulari ac favere. Nos constanter grato animo recolimus et celebramus insignem Summorum Pontificum sapientiam, coniugia istiusmodi repetitim prohibentium. Declarationes, quas ipsi hac in materia ediderunt, a personalibus qualitatibus, scientia, et virtute Summorum Pontificum multo adhuc venerabiliorem characterem nanciscuntur. Nomina sane Benedicti XIV. Pii VII. et Gregorii XVI. cumprimis in Brevi ad Episcopos Bavariae magnam auctoritem conciliant. Et quis, si modo a partium studio alienus sit, in controversiam adduxerit: haud raro, ne dicam, semper id effici, ut coalitiones hae funestae conscientiam partis catholicae, educationem religiosam prolium, pacem domesticam, et stabilitatem amoris conjugalis compromittant? Nobis persuasum est, quod, si Gubernium Genevense in merito matrimoniorum mixtorum sapiens illud Politicae principium, emolumenta sua ab illis haereseos separandi, adoptaret, de optimis, quae exinda resultarent, sequelis sibi gratularetur. Ad hoc obtinendum simplex admodum hoc esset medium: non permittere illa (matr. mixta) nisi in casu, quo partes contrahentes ab Ecclesiastica Authoritate dispensationem obtinuerint.

Monumenta ad Epocham VIII. a die 20. Nov. 1837. quo AEppus Coloniensis sede sua violenter exturbatus est, usque ann. 1840.

I. Ex annis 1837. et 1838.

1. In Borussia. a) Provinciis Rhenanis.

220.

Circulare Capituli Coloniensis ad Clerum de abducto extra fines dioeceseos Archiepiscopo, dd. 21. Nov. 1837.

Gravissimis ex causis, Venerabiles Fratres, Reverendissimus Archiepiscopus noster, Clemens Augustus Liber Baro de Droste Vischering, longius est ex Archidioecesi abductus, et ita, quominus Ecclesiae administrationem procuret, impeditus. Quare iam quum Sedes Archiepiscopalis quasi vacet, et iuris in Cap. *Si episcopus. cap. 3. in VI. de suppl. negl. Prael.* constituta norma Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret, in spiritualibus et temporalibus ministrare debet. Quam itaque administrationem hodie Nos suscepisse, hisce Vobis significamus, mandantes, ut de singulis negotiis ecclesiasticis agendis literas ad Nos detis, donec aliud quid secundum leges ecclesiasticas Vobis fuerit praeceptum. De tota causa, praesentique Archidioecesis conditione statim, uti decet et a iure praefinitum est, uberius et diligentius ad S. Sedem Apostolicam, cuius interest Ecclesiarum providere necessitatibus, referemus. Eamque humillime rogabimus, ut Nobis consulat et quae Sibi videantur, ordinet. Mandata Apostolica brevi Nobis erunt data, atque ea ut Vos pariter, Fratres carissimi, quietis fidentibusque

animis una Nobiscum exspectetis,. in Domino hortamur, et circumspecte prudentique consilio pro amore Dei curetis, ne quid Ecclesiae rebusve publicis oriatur detrimenti, neve fidelium animi excitentur vel sollicitentur. Coloniae, 21. Nov. 1837.

221a.

Relatio Capituli Coloniensis ad Summum Pontificem super fato Archiepiscopi, dd. 22. Nov. 1837.

Sanctissime Pater! Ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolvimur, difficilem, in qua nunc Archidioecesis Coloniensis versatur, conditionem tristes expposituri, ac consilia et mandata Apostolica summo quo decet obsequio rogaturi. Siquidem nudius tertius, 20. huius mensis Novembris, Reverendissimus Archiepiscopus noster, Clemens Augustus Lib. B. de Droste ex Vischering, Regiae Suae Maiestatis iussu longius ex Archidioecesi subito in provinciam patriam abductus, ac ne porro Archidioecesis administrationem ullave in ea negotia ecclesiastica attingat, vetitus est. Heri Summus Provinciae Rhenanae Praeses, qui Confluentiae residet, Illustrissimus D. Lib. B. de Bodelschwingh, ex speciali mandato Regio Nobis capitulariter congregatis rem, ut erat acta, enarravit, et literas ab Excellentissimo D. Lib. B. de Altenstein Ministro Regio, qui administrandis rebus ecclesiasticis praeest, 15. huius mensis Novembris de hac causa deque consiliis capiendis ad Nos datas praelegit et tradidit. Quae literae breviter et concinne explanant, quae Reverendissimus Archiepiscopus noster inde a suscepta Archidioecesis administratione in patrias leges publicasque institutiones peccavisset, quod publicae tranquillitati periculum comparavisset, et quae demum Clementissimo Regi nostro cum gravissimo Suo dolore imposita fuisset necessitas, ut concredita sibi a Deo potestate regia eatenus saltem uteretur, quatenus malo occurreretur, impedireturque Archiepiscopus, quominus munere suo in reipublicae detrimentum fungeretur. Quibus rebus expositis nobis significatur, exspectare Regiam Suam Maiestatem, nos pro re-

rum cognitione nostra, proque iusto fidelique sensu sine mora ea, quae sint sede impedita tam ad peragenda praesentia ecclesiae negotia, quam ad restituendam Archidioecesis secundum canones recte ordinatam administrationem, apte et legitime instituenda, decreturos et perfecturos, atque de universa re gesta Sanctam Sedem Apostolicam edocturos fore, Eiusque sapientiae quae porro sint ex legibus ecclesiasticis constituenda, remissuros.

Quae Reverendissimus Archiepiscopus noster in leges patrias commiserit et quibus ex causis Regis gratia exciderit: ea inquirere et iudicare nostrum non est; id tamen dissimulare non possumus, eius agendi rationem adhuc non in omnibus nos probare potuisse. Paucis fere ad eum aditus patebat; plurimis ac doctioribus peritioribusque viris diffidere eorumque consilia spernere videbatur, quum ipse vel ob solam iam aetatem provectam administrandae tam amplae eique minus notae dioecesi solus vix sufficere posset; plures atque inprimis presbyteros iuniores morosius et minus canonice tractabat, eosque thesibus, quae non omnes cum doctrinis ab Ecclesia definitis conveniunt, subscribendis angebat; pluraque prius ac praecipue ab Antecessore piae memoriae ad utilitatem et gloriam Ecclesiae Catholicae bene legitime et laboriose instituta turbare conabatur, ita, ut eius administrandi ratio non aedificandi studium, sed quasi destruendi speciem prae se ferret. Quae omnia non sine acerbo dolore observavimus et ad S. Sedem Apostolicam conquerentes iam retulissemus, nisi Archipraesulis auctoritas, nostra erga eum reverentia, et spes, experientia edoctum salubriora eum consilia secuturum esse, nos retinuisset.

Jam rebus ita constitutis et Sede Archiepiscopali quasi vacante, heri Archidioecesis administrationem ex iuris in *Cap. Si Episcopus 3. de suppl. negl. prael. in VI.* praefinita norma suscepimus, et id per literas ad universum Clerum Coloniensem publicavimus, exhortantes, ut singuli mandata apostolica quietis fidentibusque animis una nobiscum exspectarent et circumspecte prudentique consilio pro amore Dei curarent, ne quid Ecclesiae reique publicae oriatur de-

trimenti, neve fidelium animi excitentur vel sollicitentur, Vicarii Capitularis electionem pariter intra octiduum habendam decrevimus.

Quod negotium gestum iam Sanctitatem Vestram, Patrem universae Ecclesiae, non solum ut ratum habeat sed etiam in conditione tam ardua nobis brevi consulat, et quae Sibi videantur, ordinet, humillime et devotissime rogamus. In ea, quae Sanctitas Vestra iusserit, omnium animi sunt intenti, atque ea cunctos placabunt publicamque quietem confirmabunt. Universi enim summa ac tanta erga Sanctitatem Vestram pietate, reverentia, et fiducia perfusi sunt, ut nos solos non superent, qui ad cineres usque persistimus.

Coloniae Agrippinae, 22. Nov. 1837.

221b.

Relatio Capituli Coloniensis ad Summum Pontificem de electo Vicario Capitulari, dd. 19. Dec. 1837.

Sanctissime Pater! Sanctitati Vestrae 22. Nov. h. a. humillimis literis nostris nuntiavimus, infra octiduum susceptae Archidioecesis, Sede quasi vacante, administrationis habendam Vicarii Capitularis electionem nos decrevisse. Ex iuris enim praeceptis, ac si Sedes per mortem vacaret, quum in universum nobis agendum, tum inprimis Vicarium Capitularem, eumque e gremio quidem nostro, eligendum esse existimavimus. Jam quid actum sit, ut ad Sanctitatem Vestram devotissime referremus, id et pietas monuit et officii nostri id esse duximus. Eiusdem mensis Novembris die 27. capitulariter congregati scrutinium legitime instituimus, et per unanimia vota plurimum Reverendum et Eximium dominum, *Joannem Hüsgen*, SS. Theologiae et utriusque Juris Doctorem, Decanum nostrum, inde a multis annis Archidioecesis Coloniensis Vicarium in spiritualibus Generalem et Ordinis aquilae rubrae III. classis Equitem, elegimus, electum Vicarium Capitularem constituimus, in eum Archidioecesis administrationem contulimus, electionem universo Clero Archidioecesis 2. h. m. Decembris per literas notam fecimus. Ex eo, quod unanimes Vicarium Capitula-

rem elegimus, placeat Sanctitati Vestrae colligere, quale sit commune nostrum tuendi et fovendi Ecclesiae commodi studium et quae sit nostra in electo fiducia posita. Quum non aliud ante oculos habuissemus, nisi ut Ecclesiae negotia bene gererentur et ut quies publica conservaretur, ipsi nobis congratulati sumus, quod nostri numeri esset vir iste, quem non soli nos diligimus, et quo non alius in praesenti rerum conditione aptior potuit administrandae Archidioecesi praefici. Per annos enim duodecim quum Archidioecesis Coloniensis Vicarii in spiritualibus Generalis partes adhuc explevisset, non modo singularem rerum cognitionem et usum obtinuit, sed et animi lenitate et aequitate sua apud universum Clerum gratus factus est, et tam aetate sua provecta quam morum castitate et officii pietatisque studio fidelium observantiam sibi conciliavit. Quare et nostram agendi rationem et confectam illius viri electionem Sanctitati Vestrae confidimus gratam acceptamque fore, atque humillime ad pedes Vestros provoluti Apostolicam petimus Benedictionem. Coloniae Agrippinae, 19. Decemb. 1837.

222.

Epistola Parochorum Decanatus N. ad Capitulum Metr. Coloniense, post abductum Colonia Archiepiscopum Clementem Augustum B. Droste, data 1837.

Literae encyclicae Reverendissimi Capituli Metropolitani die 21. Novembris ad Clerum Dioecesanum datae, queis Reverendissimum Archiepiscopum Nostrum „gravissimis ex causis" ex Archidioecesi longius abductum esse nunciatur, gravissimo nos affecerunt moerore eo vel magis, quod ex iis intelleximus Reverendissimo Capitulo *causas abductionis optimi Praesulis nostri revera gravissimas visas fuisse.* Nobis pro nostra rerum gestarum cognitione de talibus causis adeo nihil constat, ut eum potius *boni pastoris* partes sicut in ceteris ita et in *causa* tum *hermesiana*, tum illa *matrimoniorum mixtorum* fideliter adimplesse, intime simus persuasi. Quare cum et nostrum sit motos animorum componere fluctus, Reverendissimum Capitulum Metropolitanum hisce

uti decet rogatum habemus, *ut si quas fors sciat causas occultas*, illas nobis pro nostra ac parochianorum nostrorum instructione et quiete communicare velit.

223.

Allocutio Gregorii PP. XVI. in Consistorio secreto circa Archiepiscopum Coloniensem a Sede sua abductum, dd. 10. Decemb. 1837.

Dum intima conficeremur amaritudine ob afflictas passim ac pene prostratas Catholicae Ecclesiae res, atque eo loco positi, quo plorare mala non sufficit, curas cogitationesque omnes intenderemus ad contritiones Israel pro tradita Nobis divinitus potestate sanandas; nova repente accessit doloris causa, quam sane profitemur eo acerbiorem Nobis accidisse, quo minus exspectandam existimabamus. Nec vero latere Vos potest, Ven. Fratres, quorsum ista referantur, et unde animum Nostrum subierit sollicitudo *Coetus Vestri huc protinus advocandi.* De re namque agitur minime obscura, neque ex privatis tantummodo nunciis accepta, imo satis iam per publicas literas evulgata. *Gravissimam querimur iniuriam illatam nuper Ven. Fratri Clementi Augusto Archiepiscopo Coloniensi, qui Regio iussu omni pastoralis iurisdictionis usu prohibitus, e sua Sede per vim magnoque armorum adparatu eiectus, atque alio relegatus est.* Inde autem tanta illi calamitas obtigit, quod constanter quidem paratus reddere Caesari quae Caesaris sunt, at *memor officii sui de Ecclesiae doctrina et disciplina religiose servanda*, non aliam sibi in mixtarum nuptiarum negotio proposuerit regulam, praeter eam, quae Apostolicis literis ad Archiepiscopum et Episcopos in parte occidentali Borussici Regni datis die 25. Mart. 1830. ab fel. rec. Pio VIII. Praedecessore Nostro fuerat declarata. Atqui tamen per eiusmodi literas Sancta haec Sedes suam eousque protulerat indulgentiam, ut ipsa verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit. Cui profecto benignitatis rationi exploratissimum Vobis est commemoratum Decessorem Nostrum aegre admodum inhaesisse, non alium-

de quidem adductum, quam necessitate praecavendi funestiora mala Ecclesiae et catholico illarum regionum Clero ex intentatis minis certissime obventura. Quis porro futurum putaret, ut Pontificia isthaec declaratio, indulgentissima licet et semel atque iterum per Regium in urbe Oratorem accepta, eo sensu adhiberetur, qui inconcussa Ecclesiae Catholicae principia perverteret, et huius Apostolicae Sedis menti penitus repugnaret? *Verum quod nemo unus fingere aut excogitare posset, quodque vel leviter suspicari crimen fuisset, id artificioso secularis potestatis impulsu factum est.* Vix rem non sine maxima animi molestia novimus, nihil distulimus quin expostulationes Nostras iis ad quos pertinebat deferendas committeremus, una simul declarantes, quanta Nos ex apostolico munere teneret necessitas fideles opportune monendi, ne illud ab Sancta hac Sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane abhorreret. Cumque ita Nobis fuisset responsum, veluti nullo querelae Nostrae inniterentur fundamento, epistola accessit alterius ex praedictae regionis Praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno Judici rationem villicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab Episcopis urgente civili Gubernio, accurate significabat se, damna gravissima exinde Ecclesiae oritura, laesosque illius canones divinae gratiae lumine inspicientem, errorem, cui subscripserat, libera mente motuque proprio retractare. In curam proinde statim incubuimus, ut, perlato ad Serenissimum Regem germano istius apographi exemplo, magis magisque innotesceret, *Nos initam a memoratis Episcopis rationem interpretandi Apostolicas Praedecessoris Nostri literas, utpote Ecclesiae principiis ac legibus adversantem omnino reprobare.* Ex his pronum est Vobis intelligere, V. F. nullam in eiusmodi negotio officii partem per Nos fuisse praetermissam. Attamen (moerentes dicimus penitusque dolore perculsi) Nobis plane insciis, et aequum ad has Nostras expostulationes declarationesque responsum adhuc praestolantibus, indictum Archiepiscopo Coloniensi est, ut vel interpretationem illam per Nos improbatam circa mixtas nuptias sectaretur, vel episcopale munus dimitteret, patefacta, si secus

faceret, Gubernii sententia de pastorali iurisdictione ei prorsus interdicenda. Nec mora: *illo*, *ut par erat*, *reluctante*, res ita contigerunt, quemadmodum initio perhorrescentes exponebamus. Atque hic adhibitam Nobiscum rationem attendite: nonnisi enim prima die vertentis mensis hodiernus Borussici regni negotiorum Gestor nuntiavit uti proxime eventurum, vel eo ipso temporis momento perficiendum, quod iam a die 21. superioris mensis factum consummatumque fuerat. Quae cum ita sint, illud V. F. Deo, Ecclesiae, ac ministerio quo fungimur, Nos debere sentimus, *ut Apost. vocem attollentes*, *Ecclesiasticam immunitatem violatam*, *Episcopalem dignitatem despectam*, *sacram iurisdictionem usurpatam*, *catholicae Ecclesiae*, *Sanctaeque huius Sedis iura pessumdata*, *palam in Coetu Vestro reclamemus*. Id autem dum facimus, *Viro omnigena virtute praestanti Coloniensi Antistiti redditam una pariter volumus meritissimam laudem*, ob religionis causam ab ipso tanto cum sui discrimine invicte propugnatam. Hanc vero nacti opportunitatem, quod privatim hucusque praestare non destitimus, publice nunc solenniterque denunciamus, Nos scilicet inductam perperam in Borussiae Regno quamlibet praxim circa mixta connubia, contra genuinum sensum declarationis a Praedecessore Nostro editae, penitus reprobare. Ceterum, malis adversus immaculati Agni sponsam quotidie magis ingruentibus, non possumus, quin Vos procurationis Nostrae participes pro eximia vestra religione ac pietate vehementer excitemus ad fervidas Nobiscum preces Patri misericordiarum humiliter offerendas, ut respiciat propitius de excelso coelorum habitaculo super vineam, quam plantavit dextera ipsius, diuturnamque ab ea tempestatem clementissime propulset.

224.

Breve Summi Pontificis ad Capitulum Coloniense, dd. 26. Dec. 1837.

Dilecti filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ad acerbissimum quem nuper suscepimus dolorem ob illatam Venerabili Fratri Clementi Augusto Archiepiscopo Colo-

niensi, simulque Catholicae Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi maximam iniuriam, cumulus veluti accessit ex vestris literis die 22. superioris mensis ad Nos datis. Sane non potuimus non vehementer mirari, quod cum Vos sacratissimo vinculo Autistiti vestro essetis coniuncti, eique ex instituto adiutricem opem ac solamen afferre debuissetis, conversi extemplo in accusatores illius, factique ex domesticis inimici, collatis consiliis contra ipsum conveneritis, eo praesertim tempore, quo Religionis officiique sui tuendi causa iniustam subire calamitatem coactus est. Quanta ille semper praestiterit virtute prudentiaque in sacris muneribus obeundis, satis liquet ex publica existimatione, quam sibi comparavit post gestum potissimum temporibus difficillimis in dioecesi Monasteriensi Vicarii Capitularis munus: unde factum est, ut communi omnium obsequio plausuque ad istam Metropolitanam Ecclesiam fuerit evectus. Quam vero in ea gubernanda prae se tulerit rectitudinem atque solertiam, et cur nihilominus aliquam istius Cleri partem offenderit, Nobis exploratissimum est; atque adeo perspicimus, quibus Vos causis impulsi, et principiis adducti sinistra ad Nos de ipso scripseritis. Hinc minime dissimulamus, rationem, quam tenuistis, eo molestiorem animo Nostro accidisse, quo minus, inspecta officii vestri sanctitate, videbatur exspectanda. Inter haec autem unicuique vestrum notum esse volumus, Nos, praevia in rem publica expostulatione, Venerabilis Fratris Clementis Augusti reditum in Sedem suam ab Serenissimo Borussiae Rege reclamasse, cuius aequitati confisi consonum iustitiae voluntatique Nostrae exitum quantocius praestolamur. Ceterum ex devotione ac observantia, quam in Nos, Sanctamque hanc Sedem in vestra epistola professi estis, illud Nobis iuvat persuadere, ea Vos deinceps inituros consilia, quibus inflictum cordi Nostro vulnus leniri possit. Atque sic Apostolicam Benedictionem Vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 26. Decembr. 1837. Gregorius PP. XVI.

225.

Episcopus Monasteriensis in sequelam Allocutionis Pontificiae a Conventione Berolinensi anni 1834. recedit, datis ad Ministrum R. literis, dd. 5. Januar. 1838.

Ew. Exc. halte ich mich verpflichtet, hierdurch gehorsamst anzuzeigen, dass ich auf den Grund der von Seiner Päpstl. Heiligkeit vom 10. Dec. v. J. an die Cardinäle gehaltenen Anrede, worin die am 19. Juni 1834. in Berlin getroffene Vereinbarung und die in Folge derselben von den Bischöfen an die General-Vicarien ertheilte Instruction hinsichtlich der Behandlung gemischter Ehen, ausdrücklich missbilliget wird, von nun an besagte Vereinbarung nebst der erwähnten Instruction als aufgehoben betrachte, und das päpstliche Breve vom 25. März 1830. als einzige Richtschnur in Behandlung dieser Angelegenheit gelten lassen kann, darf, und werde.

226.

Episcopi Paderbornensis eodem in merito literae, dd. 10. Januar. 1838.

Wenn gleich die in der Anrede vom 10. v. M. von Sr. Heiligkeit dem Papste ausgesprochene Erklärung über diejenige Vereinigung, welche im J. 1834. über die Anwendung und Art der Ausführung des unter dem 25. März 1830. erlassenen Breve in Betreff der gemischten Ehen von den Bischöfen der westlichen Provinzen des preuss. Staates eingegangen wurde, nur durch die Zeitungen bekannt geworden ist: so ist die Veröffentlichung derselben der Sache nach in vollem Masse eingetreten, und es wird bei herrschender Spannung nach wenigen Tagen, namentlich in Westphalen und Rheinland, keinen Winkel mehr geben, wohin die Allokution vom 10. v. M. nicht gedrungen wäre. Eben so bekannt ist andrerseits die vielfach besprochene und beschriebene Vereinigung in Betreff des Verfahrens bei gemischten Ehen, und es besteht also in diesem Augenblicke ein offener und notorischer Widerspruch zwischen der

Erklärung des Oberhauptes der katholischen Kirche und der von den betreffenden Bischöfen hinsichtlich des Verfahrens bei gemischten Ehen getroffenen Bestimmungen: ein Widerspruch,* der nicht ohne den grössten Anstoss für die Angehörigen der bezüglichen Diöcesen fortdauern kann. Dieser Anstoss lässt sich aber nur dadurch wegräumen, dass die Vereinigung für aufgehoben erklärt, und die Instruction, welche in dieser Beziehung an das Generalvicariat erlassen ist, zurückgenommen wird. Ich sage: *für aufgehoben erklärt*; denn offenbar ist die Vereinigung der Sache nach durch die Erklärung des heil. Vaters wirklich aufgehoben. Die Vereinigung setzte fest, wie das Breve vom 25. März 1830. zu verstehen und auszuführen sei. Indem nun der päpstliche Stuhl, der ohne Widerrede vor allen Andern als authentischer Ausleger des von ihm selbst ausgegangenen Breve anzusehen ist, öffentlich erklärt hat, dass man das Breve verkehrt gedeutet, und demselben einen nicht intendirten Sinn unterlegt habe, so ist dadurch der Grund, worauf die Vereinigung gebaut war, zerstört. Ew. Exc. werden sich hiernach überzeugen, dass ich die in Frage stehende Vereinigung nicht ferner aufrecht erhalten kann. Ich werde dieselbe demnach als aufgehoben betrachten, und eben darum auch die damit in Verbindung stehende dem Generalvicariate ertheilte Instruction nicht ferner ausführen lassen.

227.

Rescriptum Ministri Borussici ad Episcopos Rhenanos circa matr. mixta, dd. 19. Februar. 1838.

Se. Maj. der König haben, bey Anlass der Missbilligung des, von einem der Herren Bischöfe der westlichen Provinzen angezeigten Rücktritts von der Übereinkunft vom 19. Juni 1834. in Betreff der gemischten Ehen, in der an mich und den Minister der auswärtigen Angelegenheiten gerichteten Allerhöchsten Cabinetsordre vom 28. v. M. zu erklären geruht: bei der obigen Anzeige scheine nicht erwogen zu seyn, dass gemischte Ehen in Deutschland dem päpstlichen Stuhle nicht vorbehalten, sondern bischöflicher

Verfügung unterworfen sind; dass vertragsmässige Verbindlichkeiten nicht einseitig aufgelöst werden; dass die Allokution keinen Befehl enthält, und, was die Hauptsache ist, dass die päpstliche Verordnung, dieselbe heisse wie sie wolle, in Sr. Maj. Landen nur mit Vorwissen und Genehmigung der Regierung ausgeführt werden kann. Gesetze und Einrichtungen der Staaten würden übel geschirmt sein, wenn es nur einer in Rom gesprochenen Rede, sie zu entkräften, bedürfe. Se. Maj. der König werden einen solchen Grundsatz in Allerhöchstdero Landen nicht aufkommen lassen. Ich habe daher die Bischöfe und ihre Domkapitel auf die Verfügung des Allg. Landrechts Th. II. Tit. 11. §. 115. hinzuweisen, und solchen zu eröffnen: *dass J. K. Majestät sie und ihre Amtsfolger den durch den Beitritt zur Übereinkunft vom 19. Juni 1834. übernommenen Verpflichtungen nicht enthebe.* Anstatt diese Übereinkunft anmasslich für aufgehoben zu erklären, hätte angezeigt werden sollen, worin ihr angeblicher Widerspruch mit dem Breve Pius VIII. vom 25. März 1830. bestehe, und wie letzteres künftig anzuwenden beabsichtigt werde. Es sei durchaus unrichtig, dass, wie von einigen Behörden angenommen zu werden scheine, den kath. Geistlichen des Rheinlandes und der Provinz Westphalen die Einsegnung gemischter Ehen durch Kabinetsordre vom 17. Aug. 1825. unbedingt geboten werde. Vielmehr sei denselben nur untersagt, sich ein förmliches Versprechen über die Erziehung in der kath. Religion geben zu wollen, oder brieflich vorlegen zu lassen, weil solches mit den Gesetzen des Staats über die Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen, und mit der gleichberechtigten Stellung der evangelischen Confession nicht vereinbar sein würde. Bescheidene Erkundigungen seien jedoch dem katholischen Seelsorger nicht verboten, und glaube derselbe, die Trauung nicht vornehmen zu dürfen, so entscheide zwischen ihm und dem katholischen Brauttheile, welcher allein darüber Beschwerde zu führen befugt ist, der Diöcesanbischof, bei dessen Ausspruch es dann sein unabänderliches Bewenden habe, ohne dass ein Verfahren bei den Staatsbehörden stattfinden soll. Es liege in dem eigenen,

wohlverstandenen Interesse der Bischöfe, dass letztere durch möglichst milde Auffassung des Breve vom 25. März 1830. in Betreff der gemischten Ehen dem Geiste der diesen Gegenstand betreffenden Übereinkunft vom 19. Juni 1834. treu bleiben, und diese ist es, die Se. Maj. von den Bischöfen erwarten, ohne übrigens in der Auffassung einzelner Bestimmungen der zu jener Übereinkunft gehörigen Instruktion, die dem Gewissen der Bischöfe überlassen bleibt, dieselbigen einengen zu wollen.

Indem ich Ew. Hochwürden die in dieser Erklärung enthaltene Allerh. Willensmeinung Sr. Maj. bekannt mache, zweifle ich nicht, dass Wohldieselben sich werden angelegen sein lassen, solcher in pflichttreuer Gesinnung nachzuleben, wie auch die Ihnen untergebene Geistlichkeit zu einem mit derselben übereinstimmenden Verfahren in angemessener Weise zu veranlassen, zu ermahnen und anzuhalten. Insonderheit aber werden Ew. Hochwürden nicht gestatten, dass, wo etwa an einigen Orten der Diöcese ein milderes Verfahren bei der Einsegnung gemischter Ehen vorlängst begründet war, solches unter irgend einem Vorwande angetastet, und davon abgegangen werde. — Berlin, den 19. Febr. 1838. v. Altenstein.

228.

Circulare Vicarii Coloniensis quoad mixta matrimonia, in sequelam Rescripti Ministerialis ad Episcopos Prov. Rhenanae dimissi, sub dd. 9. Martii 1838. ad Parochos expeditum.

Gemäss einer Benachrichtigung Sr. Excellenz des Herrn Ministers — vom 19. v. M. haben Se. Majestät der König in einer allerhöchsten Cabinetsordre vom 28. Januar curr. ausdrücklich zu erklären geruht: „es sei durchaus unrichtig, dass, wie von einigen Behörden angenommen zu werden scheine, den katholischen Geistlichen des Rheinlandes und der Provinz Westphalen die Einsegnung der gemischten Ehen durch die Cabinetsordre vom 17. August 1825. unbedingt geboten werde. Vielmehr sei denselben nur untersagt, sich ein förmliches Versprechen über die Erziehung der Kinder in der

kathol. Religion geben oder brieflich vorlegen zu lassen, weil solches mit den Gesetzen des Staates über die Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen und mit der gleich berechtigten Stellung der evangelischen Confession nicht vereinbar sein würde. Bescheidene Erkundigungen seien jedoch dem kathol. Seelsorger nicht verboten; und glaube derselbe die katholische Trauung nicht vornehmen zu dürfen, so entscheide zwischen ihm und dem katholischen Brauttheile, welcher allein darüber Beschwerde zu führen befugt ist, der Diöcesanbischof, bei dessen Ausspruch es alsdann sein unabänderliches Bewenden habe, ohne dass ein Verfahren bei den Staatsbehörden stattfinden soll". Diesemnach ist also der katholischen Pfarrgeistlichkeit allzeit gestattet, auf jedem gesetzlichen Wege nachzuforschen, ob nach den Grundsätzen der kathol. Kirche der Einsegnung einer gemischten Ehe nichts entgegenstehe, und wo dieselben in dieser Beziehung eine Beruhigung nicht zu erlangen vermögen und die kirchliche Einsegnung der Ehe nicht vornehmen zu dürfen glauben, werden sie dem katholischen Brauttheil überlassen, von der Befugniss der Beschwerde gegen den betreffenden Pfarrgeistlichen bei seinem Diöcesanbischof Gebrauch zu machen, dem alsdann ausschliesslich die Entscheidung in der Sache zusteht. Die Herren Land-Dechanten werden hiedurch beauftragt, die Pfarrgeistlichen von dem Inhalte des obigen Rundschreibens in Kenntniss zu setzen, und dieselben zu ermahnen und anzuweisen, dass sie darnach in vorkommenden Fällen allzeit mit bescheidener Klugheit und pflichtmässiger Gewissenhaftigkeit verfahren sollen. Köln, 9. März. 1838. Hüsgen.

229.

Sensa et declaratio Parochorum Decanatus Crefeldensis erga praevium Circulare Vicarii Hüsgen, e Congregatione mense Maio 1838 ad Vicariatum dimissa.

Auszug aus dem Protokoll der Dekanats-Versammlung von Crefeld. Es wurde zur Sprache gebracht das Rundschreiben des Herrn Dr. Hüsgen vom 9. März d. J. die gemisch-

ten Ehen betreffend. Es wollte den Pfarrern scheinen, dass bei der blos *allgemeinen* Haltung desselben sich noch leicht eine ungleiche Praxis in Behandlung und Einsegnung der gemischten Ehen einschleichen könnte. Um diese aus unserm Dekanate fern zu halten, wurde über den angehobenen Gegenstand lange und ernst berathen, und es erklärten sich sämmtliche Pfarrer über folgende Punkte einverstanden:

1. Die Einsegnung einer gemischten Ehe sehen wir als etwas rein Kirchliches an. Es sind uns somit bei Behandlung derselben nur die alten Canones unserer h. Kirche, welche auch die Bulle Pius VIII. jüngst uns vorführte, Norm gebend.

2. Nach Vorschrift derselben werden wir jede schickliche Gelegenheit wahrnehmen, die unsrer Obhut Anvertrauten auf die Gefahren aufmerksam zu machen, welche mit der Eingehung solcher Ehen verbunden zu seyn pflegen; werden ihnen die Forderungen bestimmt vorhalten, welche die h. Kirche an jene stellt, die dessen ungeachtet eine solche ungleiche Verbindung einzugehen Willens sind. Ganz besonders aber werden wir es uns angelegen seyn lassen, solchen Verbindungen zuvorzukommen, und sie, wo möglich, zu hindern.

3. Gelingt das nicht allemal, meldet sich vielmehr ein gemischtes Brautpaar zu den Aufrüfen, resp. zu der Trauung, so werden wir an dasselbe die Frage stellen: was es hinsichtlich der religiösen Kindererziehung bestimmt habe?

4. Ist die religiöse Kindererziehung noch unbestimmt, oder entspricht die getroffene Verabredung den Anforderungen der h. Kirche nicht, so wird der katholische Theil in Abwesenheit des protestantischen noch einmal ernstlich an den schweren Frevel erinnert, dessen er sich bei Gott schuldig macht, wenn er es unternimmt, die Satzungen der h. Kirche hierin zu verletzen, wird hingewiesen auf die Folgen, welche dieser sein unkirchlicher Schritt nothwendig nach sich ziehen muss. Unter Anderm wird ihm bedeutet, dass wir ihn bei so gestellter Sache zwar proclamiren können, aber seine Ehe kirchlich einzusegnen oder ihn an

den übrigen Sacramenten Theil nehmen zu lassen, sey uns nicht gestattet. Fordert er unterdessen unsere Assistenz, so werden wir, falls kein anderes canonisches Hinderniss im Wege steht, das Eheverlöbniss beider Theile anhören, und den Act als gültig vollzogen in das Kirchenbuch eintragen.

5. Die katholische Wöchnerin, welche aus unverzeihlichem Leichtsinn ihr zur Welt geborenes Kind protestantisch taufen lässt, oder ihm nach mennonitischen Satzungen die Taufe vorenthält, weihen wir nicht aus. Lägen auch keine andere kirchlichen Bestimmungen vor, die hier massgebend wären, so glauben wir ganz im Sinne der vorerwähnten Bulle zu handeln, wenn wir selbst nach abgeschlossener Ehe Alles vermeiden, wodurch wir solche unerlaubte Verbindungen zu billigen, auch nur scheinen könnten.

Nach unserm Dafürhalten haben wir im Vorstehenden die unwandelbaren Grundsätze unsrer h. Kirche hinsichtlich der gemischten Ehen, und somit auch unsre Verfahrungsweise ausgesprochen. Sollte ein hochw. General-Vicariat nach näherer Prüfung derselben finden, dass wir in dem einen oder dem andern Stücke die Sache irrig angeschaut und aufgefasst hätten, so bitten wir eben so dringend als ehrfurchtsvoll um hochgefällige Belehrung.

230.

Epistola Capituli Coloniensis ad Summum Pontificem, qua ab obiectis sibi in Brevi Apostolico dd. 26. Dec. 1837. accusationibus se purgare contendit, dd. 20. Februar. 1838.

Sanctissime Pater! Sanctitatis Vestrae 26. Decembris a. p. ad nos datae literae vehementer nos proflixere. Nos et egisse quid, quod Sanctitati Vestrae molestius sit, et paterno animo dolorem effecisse, id incredibili nos moerore conficit. Sola suavis, qua nobis tamquam filiis dilectis salutem dixistis Apostolicamque impertiti estis benedictionem, nos paterna clementia et pietas consolatur et erigit. Quae cum tanti pretii tantaeque dulcedinis nobis sit, eo libentius ea, quibus non modo inflictum paterno cordi vul-

nus leniri possit, sed et quae grata sint Sanctitati Vestrae, consilia semper inituri erimus, qui et castigantem profligentemque paternam manum pie veneramur. Quare nefas esse duceremus, si veniam petere veramque exponere literarum nostrarum mentem et consilium cunctaremur. Itaque ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provoluti quam enixe supplicamus, ut nobis condonet, paternam in nos benevolentiam non patiatur minui nec mali quid vel improbi de nobis porro sentiat. Quae ad Sanctitatem Vestram de Reverendissimi Archiepiscopi nostri, Clementis Augusti, ecclesiastica administratione retulimus, ea nec inimicis animis, nec accusandi vel denuntiandi consilio perscripsimus, sed veritatis studio atque officii pietatisque erga S. Sedem Apostolicam sensu ducti. Nuntius enim allatus, Antistitem abductum esse, nos consternaverat. Ea de re prorsus extraordinaria ne vel minimum quidem eramus suspicati et quid esset consilii capiendum, anxii haesimus. Antistiti vel consilii dandi vel operae afferendae copia non erat, quum ipse iam longius abesset atque per literas eum eo consilia communicare nobis lege regia vetitum esset. De causis, quae rem eo adduxerant, prius accuratius nihil perceperamus; ipsius vero et consiliorum ei sentiendi rationis adeo eramus inexpertes, ut quid ipse vel approbaret vel quid ei displiceret, neutiquam conificere potuissemus. Jam vero totam causam, in plano erat, non esse nostri iudicii, atque id unum nobis restare visum est, ut ex iuris praefinitione administrandae Archidioecesi consuleremus, universumque negotium Sanctitatis Vestrae manibus relinqueremus integrum nullaque intempestiva interpositione impeditum. Aliam praeterea rationem sequi tumultus seditionisque periculum dissvaserat, quod horrendum sane fovere malum Ecclesiae ministris non licet. Quam causam rerumque difficilem conditionem quum ad pedes Sanctissimi Patris tamquam filii cogitationibus prostrati exponeremus et ex iuris praescripto paterna consilia peteremus, quo veriorem Sanctitas Vestra Sibi rerum nostrarum imaginem efformare aptioraque consilia nobis dare posset, non modo indicanda esse duximus quae de Archidioecesis administratione e propinquo novis-

semus, sed ea reticere etiam ab officio discrepare existimavimus. Ex paterno enim ore interrogationem audire nobis visi sumus: at vos quid de ecclesiasticis rebus gestis scitis et testificari potestis? Ad quam interrogationem vel non respondere, vel non docere quae ad rem pertinuissent veraque essent, non licere videbatur. Sanctitatem enim Vestram, Patrem universae Ecclesiae, cuius interrerat necessitatibus nostris providere, ea latere non debebant, quae tantam tamque celebrem spectarent Archidioecesin, praesertim in hoc arduo difficilique eius statu. Sacratissimi, quo cum Antistite nostro coniuncti sumus, vinculi non fuimus immemores; at arctiore ac sanctiore cum veritate et cum visibili Domini nostri Jesu Christi in terris Vicario nos coniunctos esse vinculo intelleximus. Verum ea, quae docuimus, vera esse probare possumus, probabimusque ubi id postulatum fuerit, quod ipsum quidem iterum nec inimicis animis, nec accusandi, sed solo veritatis studio enunciamus. Antistitis nostri rectitudinem et solertiam, aliasque animi virtutes, nobis quidem minus notas, nec impugnavimus, nec impugnare intendimus, sed ad sola negotia gesta respeximus. Quumque reverentiae et pietatis erga Antistitem et senem sensui sese tristitia et moeror immiscuissent, ea, quae non reticenda esse videbantur, lenissimis mitissimisque, quibus fieri potuit, verbis indicare, quam explanare et perscribere maluimus, ut ita et pietati satisfieret et opprobrio occurreretur, nos tacuisse, ubi loquendum fuisset. Itaque error noster in eo constitit, quod ex veritatis atque obsequii erga Sanctitatem Vestram studio loquendum esse existimavimus, ubi magis tacendum fuisset. Multo plurimi non modo quinquagesimum, sed et sexagesimum et septuagesimum aetatis annum egressi sumus, in qua quidem aetate animi impetus sedatiores esse solent; inde a teneris in fide catholica informati, ab adolescentia in doctrinis Ecclesiae Catholicae et disciplinis theologicis a magistris, in quos nulla unquam erroris ceciderat suspicio, ad libros omnibus theologis catholicis probatos instituti, inde a iuventute officiis ecclesiasticis pro viribus, sincera in Ecclesiam Sanctamque Sedem Apostolicam fide dediti atque Deo mox red-

dituri. Propterea ineffabiliter ea cruciamur cogitatione, nos errore commisso apud Sanctitatem Vestram tantopere offendisse, ut nos ex domesticis inimicos esse factos et suspectis principiis fuisse ductos opinaretur nobisque exprobraret. Tamquam filii subditissimi humillime subiicimur paternae sententiae, fisi paterna clementia, clarius iam consiliis nostris expositis, nos veniam impetrasse. Id unum nos pungit, quod quae continerent Apostolicae literae, prius quam nobis allatae erant, exteris ephemeridibus in vulgus erant sparsa, et quod dubitandum non est, ipsas literas publice in iisdem ephemeridibus a malevolis, qui perturbationibus delectantur, typis mox fore editas. Atque ita nobis immerita ignominia publice notati et tamquam proditores diffamati videmur, quibus fideles vix unquam fidere possint. Ex hac causa Sanctitatem Vestram humillime exoramus, ut non modo lenius de nobis sentire, sed et mitioribus quibusdam verbis clementissime nos consolari, Apostolicamque nobis Benedictionem impertiri dignetur, qui nonnisi cum vita nostra desinimus esse cum summa reverentia atque obsequio — Coloniae Agrippinae, 20. Febr. 1838.

231.

Aliae literae eiusdem Capituli ad Summ. Pontif. quibus suam in electione Vicarii Capitularis agendi rationem uberius explicat et defendit, dd. 29. Martii 1838.

Sanctissime Pater! Ad Sanctitatis Vestrae sanctum venerandumque Solium, nova iam et inopinata nobis sollicitudine suborta, summa cum devotione denuo accedimus, mandata ac iussa Apostolica humillime fidentibusque animis petituri. Filii enim patris offensionem maxime verentur, ab eodem tamen et offenso vel in angustiis auxilium vel ipsius placationis consilium quaerunt. Jam vero Sanctitatis Vestrae offensionis novum indicium his diebus nobis obtigit et in novas angustias adducti sumus. Siquidem plurimum Reverendus D. Aloysius *Spinelli*, Nuntiaturae Apostolicae negotiorum gestor, 12. huius mensis Martii Bruxellis ad parochum quemdam Archidioecesis Coloniensis, nobis ignotum,

literas dedit, quibus cnuntiatur, nos contra Canonum statuta D. Joannem Hüsgen Vicarium Capitularem clegisse, Sanctitatemque Vestram vehementer dolere, eundem, nulla auctoritate Apostolica fulcitum easdem functiones adhuc exercere, insuper dispensationes aliaque eiusmodi impertiri tamquam a Reverendissimo Archiepiscopo subdelegatum, quod nullo modo constet, atque pro nullo reputari indultum pro praesenti quadragesima ab co emissum. *) Quae literae mox typis aditae et per totam fere Archidioecesin sparsae sunt. Tametsi ea, quae continent, pro incertis et dubiis habenda, neque nobiscum via legitima sunt communicata, ipsarum tamen nullam habere rationem plura dissua-

*) Literae hac sic sonant: Cum ad aures pervenerit Sanctissimi D. N. Gregorii PP. XVI. Dominum Hüsgen, contra sacrorum canonum statuta a Capitulo Cathedralis Coloniensis post iniustam legitimi Archiepiscopi expulsionem electum administratorem istius archidioecesis fuisse, cumque hunc nulla auctoritate Apostolica fulcitum easdem functiones adhuc exercere, insuper dispensationes, aliaque eiusmodi impertiri, tamquam a R. Archiepiscopo subdelegatum (quod nullo modo constat), omnibus notum sit: Sanctitas Sua de hisce rebus vehementer dolens, volensque, quantum fieri potest, bono animarum eiusmodi dioecesis providere, mihi specialiter mandavit, ut tibi, ceterisque curam animarum gerentibus significarem quae sequuntur. Summus Pontifex pro nullo reputans indultum pro praesenti quadragesima a Domino Hüsgen emissum, benique indulget, ut fideles tibi commissi uti possint durante praesenti tempore quadragesimali iisdem facultatibus seu dispensationibus, quas anno praeterito Rmus. D. Archiepiscopus a Sancta Sede Apostolica sibi delegatas concesserat. Hanc benignam voluntatem Summi Pontificis tibi patefaciens, oro, ut eam quamprimum ceteris tuis confratribus ore saltem, si scripto non licet, adhibitis ad hoc omnibus cautelis, notam facere velis. Bruxellis, hac die 12. Martii 1838. Aloysius Spinelli, Nunt. Apost. neg. gestor.

dent. Publice nobis objectari, nos leges ecclesiasticas laesise, ubi ex necessitate atque ex legibus pro Ecclesiae utilitate nos egisse indicavimus, id valde nos contristat quidem, multo maioris tamen, quod inde efficitur, nobis momenti est. Id enim ita comparatum est, ut administrationis auctoritas infringatur, fidelium pastorumque animi anxii reddantur, ipsique, ne quid, licet inscii, in Sanctitatis Vestrae voluntatem commiserimus, timore sollicitemur. Quare non possumus, quin rerum gestarum rationem Sanctitati Vestrae reddamus.

Primum quidem indultum pro praesenti quadragessima quod attinet, Vicarius Capitularis idem, quod anno praeterito erat publicatum, repetiit, idque vi facultatum quinquennalium a Reverendissimo Archiepiscopo 29. Maii 1836. ipso Vicarii Generalis constitutionis documento eidem mandatarum.

Sanctitati Vestrae porro 22. Novembris a. p. humillime nuntiavimus, Archidioecesis administrationem nos subiisse electionemque Vicarii Capitularis infra octiduum habendam decrevisse. Utrumque minime dubitavimus legitime actum esse. Necessitatis enim, quo suscipienda esset ecclesiae administratio, casum adesse in eoque ex legis provisione non solum administrare nos posse, sed et oportere persuasissimum nobis habuimus. At non id idem Sanctitas Vestra paternis literis 26. Dec. a. p. ad nos datis, sed hoc reprehendit, quod Antistitem nostrum accusasse videbamur. De qua re quum paternum animum consiliis nostris 20. Feb. huius anni accuratius expositis placasse speremus, restat, ut electionis Vicarii Capitularis causas paulo fusius afferamus, quam 19. Dec. a. p. humillimis nostris literis id factum est. Ipsa, quam sequuti sumus, constitutio ecclesiastica *Cap. 3. de suppl. negl. prael. in 6-o* composita cum eo, quod in Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 16. de ref. praescriptum est, Vicarium Capitularem eligere nos oportere minime nos in ambiguo reliquit. Quum illa lege praeceptum sit, capitulum ministrare debere, *ac si sedes per mortem episcopi vacaret*, recentiore vero hac C. Tridenti constitutione statuatur, ut Capitulum Sede vocante Officialem seu

Vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur, non ea animos subiit cogitatio, licere nobis diutius in corpore vel capitulariter administrationem gerere, imo persuasi nobis fuimus, omissa Vicarii electione nos in canones peccare. Accessit consideratio haec, quod Canonistae unanimes captivitatis conditionem mortem civilem vocant, eamque, quod attinet devolutam ad capitulum ecclesiae administrationem et iurisdictionis exercitium, morti naturali aequiparant. Quam persuasionem nostram nullus scriptorum catholicorum, quorum libros consuluimus, adhuc labefactavit; imo ab iisdem didicimus, id communi iure statutum esse et inde a pluribus seculis in Germania usuvenisse, ut sede episcopali quovis modo vacante Vicarius Capitularis, isque e gremio Capituli eligeretur. *(Citantur plures Canonistae)* — ita non leviter, eius conscii nobis sumus, nos negotium tractavisse. Omnem conditionis difficultatem sensimus et perpendimus. Ex necessitate, nulla nostra culpa vel opera nobisque insciis subito exorta, agendum nobis esse existimavimus. Ad utilitatem Ecclesiae nos egisse, neque aliter agere nobis licuisse, persuasissimum nobis habemus. Nullo pravo studio, nullisque perversis consiliis, quibus aliud quid assequeremur, ducti circumspeximus, ne quid omitteremus, quod praeceptum esset, vel ne quid praepropere ageremus, quod nocere posset, ac ne pedem quidem movimus vel sine necessitate vel iuris praefinita norma, quo securius erroris periculum evitaremus. Scimus quas calumnias falsasque suspiciones regni Borussici inimici de nobis etiam exteris ephemeridibus sparserunt. Easdem tamquam nimis absurdas contemnendo potius refutandas esse duximus, quum nullius criminis, nullius delicti nulliusque suspicionis iustae causae nobis conscii essemus. Huiusmodi malignis criminationibus non facile quisquam fidem habebit, vel certe instituta legitima inquisitione evanescent veritatique et iustitiae cedent. Etenim vere, fideliter et sincere, recte et legitime agere curae nobis fuit. Cuius quum conscii nobis sumus, vehementer dolemus, nos rectam viam non reperisse et in Sanctitatis Vestrae voluntatem offendisse. Ea vero ac

tanta est nostra erga Sanctitatem Vestram, centrum ecclesiasticae unitatis et caput universae Ecclesiae, reverentia et pietas, ut sine ulla haesitatione correcturi vel emendaturi simus, si quid in legem ecclesiasticam commisimus, ubi primum intellexerimus, in quo id consistat; atque id nostrum tantumque obsequium est, ut Sanctitatis Vestrae voluntas certo nobis et legitima via patefacta agendi norma futura nobis sit, quum omnes et singuli ex animis ab omni prava schismaticaque cogitatione abhorreamus. Quam itaque offensionem nostram paternamque voluntatem ut clementissime nobis patefaciat, quam enixe et humillime Sanctitatem Vestram rogamus, simulque petimus, ut fidelium paterne misereatur illisque providere dignetur, ne inimicus nocendi facultatem accipiat neque parturbatio augeatur, ex qua Ecclesiae oriri salus et commodum non potest. Coloniae Agrippinae, 29. Martii 1838.

232.

Breve Apostolicum ad Capitulum Coloniense, ad literas triplicis ordinis a Capitulo missas responsum continens, dd. 9. Maii 1838.

Datae ad Nos die 19. Decembris superioris anni literae, quibus peractam a vobis, dilecti filii, vicarii capitularis electionem nuntiabatis; itemque aliae, quas electus inde a die 5. eiusdem mensis scripserat ad quasdam facultates impetrandas, non ante diem 7. Aprilis proximi redditae Nobis sunt. Hoc uno satis liquet, scriptum illud, quod editum die 12. Martii huius anni, et deinceps typis etiam vulgatum in nuperrima vestra epistola exposuistis, quo sensu conceptum est, a Nobis Sanctaque hac Sede prodire nullatenus potuisse. Nec profecto dissimulamus, ea, quae ibidem continentur, omni fere ex parte praeter mentem Nostro nomine significatam fuisse prolata. Agnita siquidem sollicitudine, quae nonnullos in ista Archidioecesi graviter angebat super ciborum usu iam quadragesimali tempore instante, id unice illi, a quo rem acceperamus, prudenter patefaciendum commisimus, Nos nempe tristi ipsius Archidioeceseos statu permotos annuere, ut fideles in ea com-

morantes eodem fruerentur indulto, quod per Vener. Fratrem Clementem Augustum Archiepiscopum Coloniensem praeterito anno fuerat promulgatum. Ceterum nil ei prorsus demandavimus pronunciandum circa susceptum per vos ecclesiae regimen, habitamque vicarii capitularis electionem. De quibus ab omni ferenda sententia consulto abstinuimus, quemadmodum etiam nunc exinde adducimur abstinere, quod scire satis apteque scrutari nequeamus singulas facti circumstantias, unde legitima iuris pendet definitio. Huiusmodi autem quaestione plane seposita, pro universali, quo fungimur, Apostolatus munere, respicientes ad spirituale fidelium commodum validamque sacrae iurisdictionis administrationem, passi sumus illum ipsum Archidioecesi praeesse, qui ceteroquin in ea Vicarii Generalis munus ad violentam usque Archiepiscopi relegationem gesserat. Inter haec vero intelligimus ad omnem dubitationem tollendam, et ad quietem animorum curandam expedire, ut quod facto hactenus ostendimus, id modo expresse declaremus. Itaque sinimus dilectum filium Joannem Hüsgen istius capituli Decanum Coloniensis Ecclesiae procurationem obire tamquam Vicarium Generalem Ven. Fr. Clementis Augusti, donec is in suam sedem restituatur vel alias per Nos provideri contingat; ita tamen ut huiusmodi titulum servet atque praeseferat in omnibus et singulis quae erit peracturus, et quoties necessitas adsit quinquennalibus facultatibus utendi, eiusdem Archiepiscopi subdelegationem exprimat. Quo quidem loco nolumus vos ignorare, dilecti filii, de hoc consilio in istius ecclesiae bonum ineundo non parum ancipites nosmet ipsos haesisse ob nonnulla ad Sanctam hanc Sedem perlata circa formam administrationis a praedicto decano hucusque adhibitam; quae si vera existerent, gravia admodum Nobis forent, et penitus improbanda ex eo etiam, quod adversentur canonicae sanctioni de nulla innovatione in Sede licet vere vacante inducenda, unde ecclesiae vel episcopo detrimentum inferatur. Quare dum ei, datis hac ipsa die literis, iniungimus accuratam de hisce rationem reddendam, illud inprimis praecipimus, ut tum plenam subjectionem suam Apostolico iudicio de Hermesii doctrina lato Nobis

probet, illamque ab iis praesertim catholicis viris exigat, qui disciplinis intra fines Archidioeceseos tradendis sunt addicti; tum in mixtarum nuptiarum negotio ab norma praescripta in pernotis literis Pii VIII. Praedecessoris Nostri et in signata per cl. mem. Cardinalem Albanum instructione nullo modo discedat. Interim vero ad vos propius accedentes, dilecti filii, minime diffitemur, dolori, quem pridem susceperamus aliquod accessisse levamen ex bina vestra epistola missa die 20. Febr. et 29. Martii vertentis anni, quae tamen utraque ad Nos proximo mense Aprili iam pene exeunte pervenit. Non modo namque intimae devotionis ac reverentiae sensus in Nos et in hanc B. Petri Cathedram protulistis, mandatis Nostris quibusque obsequi paratissimi; verum etiam mentem vestram fusius explicantes ingenue professi estis minus recte a vobis actum esse, cum sinistra de praeclaro vestro antistite scriberetis, quo potissimum tempore commune erga illum studium praefulgere debuisset. Et sane perpensa semel ratio, quam tenuistis, non poterat, quin vobismetipsis uti plane inconveniens appereret. Ita enim visi estis laicae potestatis consiliis connivere et in eius conatus quodammodo convenire. Cum contra si eiusdem antistitis causam, quae et huius Sanctae Sedis, totiusque Episcopatus ac proinde universae Catholicae Ecclesiae causa est, apostolica libertate ac firmitate, ut par erat, et opportuna vobis suppetebat occasio, egissetis: ipsum fortasse gubernium vestris expostulationibus de catholica doctrina et ecclesiae legibus melius edoctum vestrisque precibus permotum capta consilia mutasset. Quid quod Clerum totius Archidioeceseos per epistolam alloquentes ipsa die, qua res regio iussu vobis fuerat enuntiata, *gravissimis ex causis* Archiepiscopum longius abductum, et pastoralis iurisdictionis usu prohibitum significastis? Nonne hoc erat gubernii factum aperte tueri? Verum ista iam taedet longius commemorare. Neque nostri animi est errorem suum agnoscentes novis obiurgationibus persequi. Iterata potius per vos observantiae et obedientiae testificatione confisos iuvat paternae caritatis sollicitudine unumquemque vestrum adhortari per viscera Eius, qui Ecclesiam acquisivit san-

gine suo, ut in causam ipsius, omni humana ratione posthabita, pro viribus incumbatis, atque huic catholicae unitatis centro firmiter adhaerentes, quo Petri vox et auctoritas duxerit, eo gressus unice dirigatis. Recolite, dilecti filii, quae vestri muneris partes esse debeant erga insignem Coloniensem Ecclesiam; idque fideli iugiter ministerio satagite, ut dum ipsa luctu ac moerore conficitur prae desiderio pastoris sui, opportunam in vobis, qui illius senatus estis, capiat consolationem. Ad nos quod attinet, vix dicere possumus, quibus propter eam curis assidue premamur. Hinc eius desolationi tollendae constanter intenti, Ven. Fr. Clementis Augusti reditum denuo reclamare non praetermisimus: et nonnisi voti compotes facti ab huiusmodi postulationibus desistemus. Quam in rem divinam nobis opem benigne adfuturam sperantes, Apostolicam Benedictionem vobis, dilecti filii, amanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 9. Maii 1838.

233.

Breve sub eodem dato ad Vicarium Hüsgen.

Gravissimas inter angustias, in quas coniecti fuimus, ubi primum accepimus, Ven. Fr. Clementem Augustum Archiepiscopum Coloniensem laicae potestatis iussu violenter Sede sua eiectum, atque omni sacrae iurisdictionis usu prohibitum, urgebat inprimis animum Nostrum sollicitudo de ista Catholici gregis parte Pastoris sui solatio praesidioque misere destituta. Quam proinde inspecto circumstantiarum complexu ineundam censuerimus prudentiae viam, pronum tibi fuit, dilecte fili, ex facto ipso coniicere, magisque iam licebit agnoscere ex literis Nostris in rem datis hodierno die universo Capitulo, in quo Decani locum obtines. Ut vero omnis ambiguitatis causa penitus tollatur, et communi quieti ac tranquillitati consultum sit, opportunum arbitramur mentem nostram luculentius explicare. Itaque sinimus te Coloniensis Archidioeceseos procurationem gerere tamquam Vicarium Generalem praedicti Ven. Fr. Clementis Augusti, donec is in sedem suam restituatur, vel alias per

Nos provideri contingat; ita tamen, ut huiusmodi titulum serves ac praeferas in omnibus et singulis, quae eris peracturus; et quoties necessitas adsit quinquennalibus facultatibus utendi, eiusdem Archiepiscopi subdelegationem exprimas. Quae quidem tibi significantes minime dissimulamus, nosmetipsos de hac consilii ratione sequenda vehementer haesitasse. Delatum siquidem est ad hanc Apostolicam Sedem, te eam hactenus administrationis formam tenuisse, unde maxima in praeclarum antistitem tuum prodiret iniuria, et illa plane subverterentur, quae provide ab ipso fuerunt constituta. Huc spectant amoti, uti asseritur, examinatores, quos clericis ad curam animarum prebandis rite Archiepiscopus deputaverat; restituti inter magistros, qui ob suspectam doctrinam ab eiusdem officio fuerant reiecti; nec non assumti ad paroecias vel ad parochorum vicem viri hermesianis principiis addicti. Quo praeterea et alia accedunt, a quibus singulatim percensendis abstinemus. Jam vero si haec omnia ita reapse se haberent, quemadmodum nuntiata sunt, molesta nimis Nobis essent, atque omnino improbanda, cum inter cetera canonica sanctione cautum sit, ne quid, Sede licet vere vacante, innovetur in ecclesiae vel episcopi detrimentum. Hinc dum reddendam Nobis quamprimum rationem de his deque tota administrationis tuae forma a te per has literas exigimus, tibi insuper iniungimus, ut non solum omnimodam subjectionem tuam apostolico iudicio de Hermesii dotrina lato Nobis probes, eamque a catholicis praesertim viris exquiras, qui disciplinas intra fines Archidioeceseos tradunt; verum etiam in mixtarum nuptiarum negotio ab norma, quae in pernotis literis Pii VIII. Praedecessoris Nostri, et in signita per cl. mem. Cardinalem Albanum instructione praescripta est, nullatenus discedas. Habes his, dilecte fili, satis explicatam voluntatem Nostram, cui minime dubitamus te fideliter obtemperaturum. Ceterum spem ultro foventes fore, ut delatis contra te ipsum ea valeas ratione respondere, qua susceptam inde molestiam possimus abiicere: etiam atque etiam in Domino hortamur, ut talem te in obeundo munere exhibeas, qualem vota nostra et tristis istius Ecclesiae

conditio postulant. Interea opportuni coelestis auxilii auspicem Apostolicam benedictionem tibi amanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 9. Maii 1838.

234.

Circulare Vicarii Hüsgen ad Parochos post acceptum Breve, dd. 30. Junii 1838.

Sanctissimi Domini Nostri, Summi Pontificis, Gregorii XVI. paternam de Archidioecesis Coloniensis administratione curam sapientia plenam gratiosissimae literae 9. mensis Maii huius anni ad Venerabile Capitulum Ecclesiae Metropolitanae, et aliae eodem die ad Nos datae patefecerunt. Quum inde a literis 21. Nov. anni praet. a Venerabili Capitulo Metrop. publicatis mandata Apostolica exspectaveritis, Sanctitatis Suae sententiam ac voluntatem summopere venerandam, placito regio 13. Junii huius anni sequuto, Vobiscum communicare, Vener. Fratres, non cunctamur. Ipsa cunctorum animos placabit, dubitationes tollet, singulisque lex erit. Siquidem Sanctissimus Pater declaravit, scriptum illud, quod die 12. Martii huius anni Bruxellis editum et deinceps typis etiam evulgatum nonnullos moverat et anxios reddiderat, a Sancta Sede Apostolica prodire nullatenus potuisse, nec Se dissimulare, ea, quae ibi continentur, omni fere ex parte praeter mentem Suo nomine significatam fuisse prolata; Se nil prorsus demandasse pronunciandum de suscepto per Capitulum Ecclesiae regimine, habitaque Vicarii Capitularis electione; de quibus ab omni ferenda sententia consulto abstinuisset, quemadmodum etiam nunc exinde adducatur abstinere, quod scire satis apteque scrutari nequeat singulas facti circumstantias, unde legitima iuris pendeat definitio: huiusmodi autem quaestione plane seposita pro universali, quo fungatur, Apostolatus munere, respicientem ad spirituale fidelium commodum validamque sacrae iurisdictionis administrationem Se passum esse, illum ipsum Archidioecesi praeesse, qui ceteroquin in ea Vicarii Generalis munus prius gessisset. Quibus praemissis Sua Sanctitas, quae velit servari, his verbis praecepit: „Inter haec vero intelligimus, ad

omnem dubitationem tollendam et ad quietem animarum curandam expedire, ut quod facto hactenus ostendimus, id modo expresse declaremus. Itaque sinimus, dilectum filium, Joannem Hüsgen, istius Capituli decanum, Coloniensis Ecclesiae procurationem obire tamquam Vicarium Generalem Ven. Fr. Clementis Augusti, donec is in suam sedem restituatur, vel alias per Nos provideri contingat." Ex his intelligitis, carissimi Fratres, Sanctissimum Patrem validae administrationi et gestae adhuc et gerendae providisse. Novisse hanc Sanctissimi Patris voluntatem, vobis sufficiet. Itaque ex mandato hoc pro universali Apostolatus munere edito Archidioecesis administrationem obeuntes, hisce mandamus vobis, ut de negotiis gerendis ad Nos tamquam Vicarium Generalem Archiepiscopalem literas detis. Coloniae, 30. Junii 1838.

235. 236.

Instructio, et Circulare Episcopi Monasteriensis ad Parochos quoad matrimonia mixta, dd. 25. et 29. Maii 1838.

a) Quam in tractandis matrimoniis mixtis regulam sequi in posterum debeant Parochi, equidem per literas Nostras encyclicas die 22. Octobr. 1834. ad Decanos rurales et Parochos datas, cum quibus Breve SSmi D. N. fel. record. Pii VIII. de 25. Mart. 1830. ipsis communicavimus, iam exposuimus. Cum vero nihilominus circa rationem, has Nostras literas ipsumque Breve Apostolicum interpretandi, nonnulla dubia orta sint, eisdem pauca addere omnino e re esse existimantes, statuimus per praesentes, quae sequuntur:

1. Parochis quidem interdictum est, ne a personis matrimonia mixta contracturis super nasciturae prolis institutione in religione catholica exigant sponsionem expressam vel scripto dandam; ipsorum tamen erit, omni meliori, quo fieri poterit, modo curare, ut praescriptae in Brevi Apostolico de 25. Mart. 1830. opportunae cautiones huiusmodi matrimoniis praemittantur, inprimis ut coniux catholicus in discrimen fidei suae non adducatur, et proles utriusque

sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educetur.

2. Quodsi re a parochis diligenter explorata, desponsatos hac in parte haesitare, et nihilominus illorum assistentiam expetere contingat, tunc solum praestabunt assistentiam passivam. Patet enim hac ratione, catholicam partem, quae scit, liberorum educationem in arbitrio compartis acatholicae futuram esse, ut in religione acatholica educentur, et nihilominus eiusmodi matrimonium inire statuit, eo ipso inexcusabilem temeritatem prodere, et suam religionem negligere, nec ideo dignam esse, cui Ecclesia suam benedictionem impertiatur.

3. Nec minus Parochis serio commendamus, ut et reliqua omnia, quae laudato Brevi apostolico in causa matrimoniorum mixtorum agenda, docenda, monendaque praecipiuntur, exacte observent et in toto hoc negotio tractando cum religionis studio prudentiam, doctrinam, caritatemque coniungant in patientia et lenitate Christi.

4. Casu, quo parochum haesitare et dubitare contingat, num alicui matrimonio mixto benedicere sibi liceat, vel si quando pars catholica de recusata sibi benedictione nuptiali conqueratur, ad Nos ab illo referendum erit, ut, quomodo procedendum sit, a Nobis statuatur. Monasterii die 25. Maii 1838. Episcopus Monasteriensis Casparus Maximilianus.

---

b) Die beigebogene Instruction haben Wir, wie die Herrn Pfarrer aus derselben ersehen, in der Absicht erlassen, um über den Inhalt und Sinn unseres Rundschreibens vom 22. Octob. 1834. mit welchem Wir ihnen das päpstliche Breve vom 25. März 1830. mitgetheilt haben, wie auch die über das Breve selbst entstandenen Zweifel und Missverständnisse zu beseitigen, und das Verfahren in vorkommenden Fällen gemischter Ehen näher zu bestimmen. Es erübrigt nun noch, den Herrn Pfarrern zu eröffnen, aus welchem Gesichtspuncte Wir bei Ertheilung der darin enthaltenen Vorschriften die Angelegenheit betrachtet haben, wie die ertheilten Vorschriften darnach zu befolgen sind, und was die Herrn Pfarrer noch weiter zu thun haben, wenn bei der Verehelichung

einer katholischen Braut mit einem nicht catholischen Bräutigam eine blosse passive Assistenz geleistet ist.

Durch die Allerhöchste Cabinets-Ordre vom 17. August. 1825, haben des Königs Majestät befohlen, dass auch in den Rheinprovinzen und in Westphalen alle Kinder aus gemischten Ehen ohne Unterschied des Geschlechts in dem Religionsbekenntnisse des Vaters erzogen werden sollen, den Fall ausgenommen, wenn die Aeltern über die religiöse Erziehung der Kinder übereinkommen. Zugleich ist in derselben Cabinets-Ordre erklärt worden, dass die seither von Verlobten dieserhalb eingegangenen Verpflichtungen als unverbindlich anzusehen seyen, und den Geistlichen ist es untersagt worden, von Personen, die eine solche Ehe eingehen wollen, in Betreff der religiösen Erziehung ihrer künftigen Nachkommenschaft ein förmliches Versprechen zu verlangen. Die bedrängte Lage, worin die katholische Geistlichkeit in der Rheinprovinz und in Westphalen durch diese gesetzliche Bestimmung Hinsichts der Beobachtung der die gemischten Ehen betreffenden kanonischen Vorschriften versetzt wurde, veranlasste Se. päpstl. Heiligkeit Pius VIII. auf die von den Diöcesan-Bischöfen im J. 1828. an den Papst Leo XII. gerichteten Vorstellungen, das Breve vom 25. März 1830. zu erlassen, worin diese Veranlassung ausdrücklich angeführt ist, demnächst aber jene gesetzlichen Bestimmungen und namentlich die Forderung des förmlichen Versprechens über die religiöse Erziehung der Kinder stillschweigend übergangen, und über das Verfahren bei gemischten Ehen in den genannten Provinzen die geeigneten Vorschriften ertheilt sind. Insbesondere ist darin die Sicherstellung der katholischen Erziehung der Kinder aus gemischten Ehen zur ausdrücklichen Bedingung gemacht, wenn die kirchliche Einsegnung dieser Ehen geschehen soll. Die Herrn Pfarrer müssen sich daher in vorkommenden Fällen durch zuverlässige, gehörige Bürgschaft gewährende Erklärungen und Versicherungen die erforderliche Gewissheit zu verschaffen suchen. Von einer persönlichen Unterhandlung mit dem nichtkatholischen Theile mag hierbei den Umständen nach abgesehen werden: von einer solchen ist auch in dem

päpstlichen Breve keine Erwähnung geschehen. Bleibt die erforderliche Sicherstellung der katholischen Erziehung der Kinder ungewiss und zweifelhaft, so sind die in der Instruction sub N. 2. und nach Unterschied sub N. 4. ertheilten Vorschriften zu befolgen.

Wenn endlich die in dem Breve und in der Instrnction näher bezeichneten Fälle vorkommen, wo eine bloss passive Assistenz bei der Verehelichung einer kathol. Braut mit einem nichtkatholischen Bräutigam zu leisten ist, so haben die Herrn Pfarrer nach solchergestalt geschlossener Ehe so viel möglich auf geeignetem Wege mit Sanftmuth und christlicher Milde dahin zn wirken, dass die katholische Ehefrau die begangene Übertretung der canonischen Vorschriften aufrichtig und ernstlich bereue, und ihren Verpflichtungen nachkomme, insbesondere nach Kräften und emsig dafür Sorge trage, dass ihre Kinder in der kath. Kirche getauft und erzogen werden. Bleibt auch diese Bemühung ohne Erfolg, so darf der Wöchnerinn die kirchliche Aussegnung, *introductio puerperae post partum in ecclesiam*, wodurch die Kirche die Wöchnerinnen an den Dank, den sie Gott wegen der glücklich überstandenen Gefahren schuldig sind, und an die Pflichten, die ihnen als Mütter für die Erhaltung und sorgfältige Erziehung ihrer Kinder obliegen, erinnern will, nicht gewährt werden. Münster, den 29. Mai 1838. Caspar Maximilian.

---

b) in Provinciis Orientalibus.

237. 238.

Literae pastorales Archiepiscopi Gnesnensis Dunin ad Clerum de mixtis matrimoniis, dd. 30. Januar. et 27. Februar. 1838.

a) Martin v. Dunin etc. Ehrwürdige Priester! Wenn eure vielfachen Anfragen in Ansehung der sogenannten gemischten Ehen bisher ohne Antwort geblieben sind, so ist dieses lediglich aus dem Grunde geschehen, weil ich, da

ich die Verordnungen des weltlichen Gesetzgebers in dieser Beziehung mit den Grundsätzen unserer heil. Kirche im Widerspruche sah, mit allen Kräften dahin zuvor strebte, den Zustand dieser traurigen Collision aufzuheben, zur Schonung der Erzdiöces aber die Last und Schwierigkeit dieses Unternehmens, so wie die Unannehmlichkeiten der persönlichen Blosstellung, wie sich's geziemte, ganz allein übernehmend. Da jedoch die obwaltenden Hindernisse sich bis jetzt nicht haben beseitigen lassen, vielmehr eine neue Kraft gewonnen zu haben scheinen, eure Anfragen dagegen aus beiden Erzdiöcesen immer häufiger werden, so sehe ich mich gezwungen, euch zu informiren, in der gerechten Besorgniss, dass nicht auf mein Gewissen die Missgriffe und Abweichungen von der Lehre der heil. Kirche zurückfallen möchten, welche in der, meiner Leitung anvertrauten Abtheilung des Weinberges Christi, ein leeres Stillschweigen herbeyführen könnte. Ihr werdet wohl einsehen, geliebte Brüder, dass ich, als Hirt und Bischof verpflichtet, mich an die uralten und allgemeinen Grundsätze der kath. Kirche zu halten, über deren Aufrechthaltung ich Kraft meiner Stellung zu wachen habe, eure Anfragen nicht anders beantworten kann, als indem ich mich auf die Grundsätze unserer h. Religion beziehe und euch darauf verweise, welche nur allein im Stande sind, euch eure unablässliche und unumstössliche Pflicht auf's Klarste und Genaueste vor die Augen zu stellen. Obschon diese Grundsätze euch jeder Theolog darbietet, so wird doch eine Erinnerung an dieselben durch eine kurze Darstellung derjenigen Anträge, welche ich durch ein ganzes Jahr theils bei dem Kön. Ministerio geltend zu machen, theils endlich in schuldiger Demuth und Ehrfurcht dem Throne vorzulegen bemüht war, nicht am unrechten Orte seyn.

Als das im J. 1830. in Ansehung der gemischten Ehen gegebene und im J. 1834. in den westlichen Bisthümern der Monarchie promulgirte Breve Pius VIII. vermöge öffentlicher Mittheilung zu unserer Kenntniss kam, uns an unsere Pflicht ermahnte und so häufige Anfragen eurerseits an mich hervorrief, glaubte ich letztere durch eine Bekanntmachung

Die hohe Landesstelle fügt zwar in der obigen Erwiederung bei: „dass noch immer viel Erspriessliches gegen die Hintanhaltung der gemischten Ehen zu erwarten sey, wenn die Seelsorger durch Belehrung und kluges pastorelles Verfahren, ohne gegen die Toleranzgesetze sich zu verstossen, ihren wirksamen katholischen Einfluss auf den Glauben und die fromme Tendenz der kathol. Gemüther zu behaupten wissen werden." Die unterfertigten Seelsorger wollen es keineswegs in Abrede stellen, dass nach den politischen Ansichten und Zwecken der Staaten, in ihren Gesetzgebungen, abgesehen von den Grundsätzen des Christenthums, viel Erspriessliches von den gemischten Ehen zu erwarten seyn möge. Allein die Unterzeichneten glauben, dass in christlichen Staaten, bei Statuirung ihrer Gesetze, auch auf die Vorschriften des Christenthums Rücksicht genommen, und jede Collision zwischen Staat und Kirche vermieden werden sollte. Denn was das Gesetz Gottes verbietet, darf vor dem weltlichen Forum nicht erlaubt und straflos seyn. Dass aber die kathol. Seelsorger durch Belehrung, ohne gegen die Toleranzgesetze zu verstossen, ihren wirksamen Einfluss auf den Glauben und die fromme Tendenz der kathol. Gemüther bei einer zu schliessenden gemischten Ehe behaupten sollen, ist eine unauflösbare Aufgabe, da dergleichen Ehen bloss aus zeitlichen und sinnlichen Absichten geschlossen werden, welche die Toleranzgesetze dem kathol. Glauben zuwider begünstigen, und den kath. Seelsorger in eine offenbare Collision zwischen der Kirche, deren Diener er ist, und dem Staate, als dessen Bürger, versetzen. Denn, wenn

auch der kath. Seelsorger nach den Zwecken des Staates eine gemischte Ehe zulässt, so kann er doch dieselbe nach den Grundsätzen der kathol. Kirche nur unter gewissen Bedingungen gestatten, unter denen die Abwesenheit der Gefahr zum Abfalle vom Glauben des kathol. Theiles, und die kath. Erziehung der Kinder beiderlei Geschlechts, nicht fehlen dürfen, weil der Katholik, dessen Glaube der alleinseligmachende ist, weder sein, noch seiner Kinder Seelenheil der Gefahr, es zu verlieren, preisgeben darf.

Wenn nun von dem kathol. Theile, der eine gemischte Ehe eingehen will, die kath. Erziehung aller seiner zukünftigen Kinder als unabweisliche Bedingniss gefordert wird, und er diese aus dem Grunde verweigert, weil der akatholische Theil eine akathol. Erziehung der Kinder seines Geschlechtes nach dem Toleranzgesetze verlangt, und darauf beharrt, so fragt sich: welches Gesetz nun der kathol. Seelsorger befolgen soll? des Staates, der die religiöse Erziehung nach dem Geschlechte der Ehelente; oder das Gesetz der Kirche, welche die Erziehung der Kinder beiderlei Geschlechts im kathol. Glauben vorschreibt?

Da die religiöse Erziehung der Kinder eine Glaubenssache ist, die als solche in das Bereich der Kirche gehört, welche der Katholik nach dem göttlichen Befehle Christi zu hören verpflichtet ist, (Matth. 18, 17.) so ergiebt sich daraus die Antwort auf obige Frage von selbst, gleich jener Antwort, welche die Apostel dem hohen Rathe zu Jerusalem gaben, als sie, nach dessen vernommenem Verbote, im Namen Jesu nimmer predigen zu dürfen, sprachen: „Ob es recht vor Gott ist, euch mehr zu gehorchen, als Gott? das urtheilet selbst". Und als dieses Verbot wiederholt an sie ergangen war, sagte Petrus, alle menschlichen Drohungen geradezu abweisend: „Man muss Gott mehr gehorchen, als den Menschen."

Hierzu kömmt, dass die Päpste als Oberhäupter der kath. Kirche, Gesetze in Angelegenheiten gemischter Ehen statuirt haben, welche der Katholik zu befolgen im Gewissen verbunden ist; denn um Katholisch zu seyn, muss man auch den Papst als eine von Gott selbst gesetzte Autorität

anerkennen und ehren, und auf seine Aussprüche in Religions- und Kirchensachen achten. Wer aber die Anordnungen des Papstes, als Oberhauptes der kathol. Kirche, nicht achtet, und sich auf diese Weise von demselben trennt, der trennt sich auch von der kath. Kirche, und ist eben darum kein Katholik mehr.

Da die Päpste allzeit die kathol. Erziehung der Kinder beiderlei Geschlechts in einer gemischten Ehe zur *conditio*, *sine qua non* vorgeschrieben, wie es Se. Heiligkeit der jetzt regierende Papst Gregor XVI. neuerdings in dem Breve vom 27. Mai 1832. und in der für die Vermählung Sr. Kön. Hoheit des Herzogs von Orleans, Kronprinzen von Frankreich, mit der protestantischen Prinzessinn Helene von Mecklenburg-Schwerin gewährten Dispensation gethan: so muss sich der kath. Seelsorger, als Diener der kath. Kirche, nach dieser Vorschrift genau halten, folglich eine gemischte Ehe nie zulassen, vor deren Schliessung der kathol. Ehetheil diese Bedingniss nicht eingehen will.

Schliesslich werden die kath. Seelsorger vor dem Antritte ihres Amtes auf das kath. Glaubensbekenntniss des ökumenischen Tridentinischen Concils beeidet und verflichtet, nach den Grundsätzen des kathol. Glaubens zu lehren und zu handeln. Am Schlusse dieses Glaubensbekenntnisses bekennt der zu investirende und dann zu installirende Seelsorger: „Diesem wahren kath. Glauben, ausser welchem Niemand selig werden kann, und den ich freiwillig bekenne und wahrhaft halte, verspreche, gelobe und schwöre ich — unversehrt und unverletzt bis zum letzten Athemzuge des Lebens mit dem Beistande Gottes standhaft beizubehalten, zu bekennen, und dafür, so viel an mir ist, zu sorgen, dass er von meinen Untergebenen, oder denjenigen, über welche mir die Obsorge in einem Amte zukömmt, gehalten, gelehrt und gepredigt werde. So wahr mir Gott helfe und dieses h. Evangelium."

Diesem auf das h. Evangelium geleisteten Eide zufolge, wie können nun die kath. Seelsorger bei jenen Kirchkindern, die eine gemischte Ehe gegen das Verbot der Kirche unbedingt schliessen, dafür sorgen, dass von diesen der

kath. Glaube, ausser welchem Niemand selig werden könne, unverletzt und unversehrt gehalten und gelehrt werde, wenn dieselben in einer gemischten Ehe dem kath. Glauben und der Vorschrift der Kirche zuwider einen Theil ihrer Kinder in einer akath. Confession erziehen zu lassen, durch das Toleranzpatent verpflichtet werden?

Die unterfertigten Seelsorger, welche sich in Bezug auf die gemischten Ehen in einer so peinlichen Lage befinden, wiederholen ihre gehorsamste Bitte: Ein hochw. Amt wolle sie bestens bei Sr. apostol. Majestät vertreten, und ihrem Gewissen die erwünschte Beruhigung erwirken, dass sie ohne Collision zwischen der Kirche Gottes und dem Staate ihrem Berufe gemäss nachkommen, und nach der Ermahnung des h. Apostels Paulus den beschwornen und ihnen anvertrauten Glauben der h. kathol. und apost. Kirche unversehrt und unverletzt bewähren könnten. II. Tim. 1, 14.

249.

Proiectum novi Ordinis disciplinae pro Ecclesiis Protestanticis Provinciae Rhenanae, in Synodo Confluentina a. 1838. elaboratum, in quo etiam de matr. mixtis sermo occurrit.

Zweiter Abschnitt. *§. 6.* Gegendstand der Kirchendisciplin sind nur die zur öffentlichen Kunde gekommenen, Aergerniss gebenden Vergehungen und Laster, und zwar:

1. Solche, durch welche eine Verachtung oder Geringschätzung der evangelischen Kirche an den Tag gelegt und derselben ihre natürliche Erhaltung und Ergänzung entzogen wird. Hierhin gehören:

a) Wenn ein evangelischer Mann vor Schliessung der Ehe das Versprechen gegeben hat, alle in derselben zu hoffenden Kinder in der römisch-katholischen Kirche erziehen zu lassen, oder wenn derselbe nach geschlossener Ehe alle darin erzielten Kinder in der römisch-katholischen Kirche erziehen lässt und dieses durch die Taufe seines ersten Sohnes in der römisch-kathol. Kirche beweist.

§. 7. Die Stufen der Kirchendisciplin sind: 1. Freundliche Vermahnung durch den Pfarrer und zwei Aeltesten

im Hause des Pfarrers oder in der Sacristei, auf Beschluss des Presbyteriums. 2. Vorforderung vor das versammelte Presbyterium mit ernstlichem Verweise und Hinweisung auf die im Falle nicht erfolgender Besserung eintretenden noch bedeutenderen Folgen. 3. Nach Verfluss einer Frist von sechs Wochen nach der zweiten Stufe: a) bei den Vergehen §. 6. 1. a. etc. Verlust des Wahlrechts und des Rechts Kirchenämter zu bekleiden.

---

2. In aliis Regnis, ac Provinciis.

250.

Rescriptum Vicariatus Friburgensis (M. Duc. Badensis) in merito matr. mixti, in quo nulla de educatione prolium catholica, intervenit cautio, dd. 14. Decemb. 1838.

Jeder Seelsorger ist verantwortlich, für seine ihm anvertrauten Seelen zu wachen, dass sie nicht verloren gehen. Des Stadtpfarrers V. in Stockach Pflicht wäre daher gewesen, vor der Eheeinsegnung bei dem katholischen Bräutigam zu erforschen, was er in der Religionserziehung seiner zu verhoffenden Kinder beabsichtige, ihm in Liebe und Offenheit zuzureden, dass er im Gewissen verbunden sei, die Kinder in seiner Religion, die er für die wahre und beseligende halte, erziehen zu lassen, oder er verletze sein Gewissen, sie in eine andere Religion durch seine Schuld zu bringen, also in Irrthum zu führen. Durch derlei Vorstellen hätte er wenigstens gethan, was in seiner Pflicht gelegen wäre. Die Unterlassung ist Pflichtverletzung, Gleichgültigkeit, Lauheit, dem die Bedrohung in Erfüllung gehen könnte, welche dem Bischof von Laodicea wegen der Lauheit zuging. Apoc. III. 16.

Nach dieser Ermahnung haben die Seelsorger in vorkommenden Fällen gemischter Ehen zu handeln, wenn sie ihre Seele salviren wollen. Im geschehenen Falle wird gut sein, wenn der edelbesorgte Pfarrer U. als Freund des geehelichten G. ins Mittel tritt, und ihm die Gewissenssache treulich ans Herz legt, und der Stadtpfarrer V. gelegenheitlich das Möglichste gut zu machen sucht. Freiburg, den 14. Dec. 1838. Dr. v. Vicari.

251.

Rescriptum Ministerii Electoralis Hasso-Cassellani circa copulationem mixtor. matr. dd. 20. Octobr. 1838.

Zur Ausführung der Vorschriften des Ausschreibens des Ministeriums des Innern vom 18. Ang. 1823. über das Verhältniss der evangelischen und der katholischen Kirche in Ansehung der Ministerial-Handlungen, und des, den Behörden bekannt gemachten allerh. Beschlusses vom 3. Januar 1827. wonach bei gemischten Ehen den Verlobten nicht freisteht, bei Eingehung ihrer Ehe vertragsmässige, die Verfügungen jenes Ausschreibens abändernde Bestimmungen über die religiöse Erziehung ihrer Kinder zu treffen, jedoch nachgelassen bleibt, die Einsegnung einer gemischten Ehe in dem Falle, wo dieselbe nach dem genannten Ausschreiben einem katholischen Pfarrer obliegt, dieser aber rücksichtlich der Religionsverschiedenheit der Verlobten ein Bedenken haben würde, von einem inländischen evangelischen Geistlichen ausnahmsweise verrichten zu lassen: wird, mit höchster Genehmigung Sr. Hoheit des Kurprinzen und Mitregenten, angeordnet, dass in Fällen, in welchen ein katholischer Pfarrer die ihm zustehende Einsegnung einer gemischten Ehe der Religionsverschiedenheit wegen verweigern, oder an eine Zusage in Betreff der Erziehung der Kinder beiderlei Geschlechts in der kathol. Religion knüpfen würde, derjenige inländische evangelische Pfarrer die Trauung vornehmen soll, zu dessen Parochie die Braut bis dahin gehört hat, oder sofern der Wohnort der Braut nicht zu einem evangelischen Kirchspiele gehört, welchen die Verlobten sich wählen werden. — Kassel, am 20. Octob. 1838.

252.

Episcopi Suffraganei Dioec. Hildesheimensis resolutio ad quaesita Parochorum de mixtis matrimoniis, dd. 2. Junii 1838.

II. Ad punctum tertium propositum anno superiore de deneganda absolutione peccatoribus publicis et scandalosis,

nisi prius publice satisfaciant et scandalum tollant, in una Synodorum mota est quaestio: „an haec lex etiam valeat de patribus catholicis in matrimonio mixto viventibus, qui liberos suos in religione haeretica curent educari et moniti et de officio suo iugiter edocti de hac sua impia et scandalosa agendi ratione desistere nolint?" hisque adiungebatur: „talibus gravissimi sui officii immemoribus absolutionem sacramentalem esse negandam, omnes erant eiusdem oris et labii." Quam quidem sententiam Nos quoque probamus, dummodo casus, qui non raro contingere possit, excipiatur, quo vir sive mulier prius illicite inito tali matrimonio postea vere poenitentes de culpa commissa doleant, neque tamen id, quod semel illicite coeptum aut pactum est, mutare possint, etiamsi serio velint praestare, quaecunque in eorum potestate posita sint. Istis enim quamvis gravissime lapsis poenitentiam non esse negandam, doctrina et disciplina ecclesiastica omnium temporum satis demonstrat. Ad quaestionem autem huic annexam:" num illis etiam publice neganda sit sacra communio, si cum aliis fidelibus ad eam sumendam depravato animo ad mensam Domini ausi fuerint comparere? „Opiniones parochorum congregatorum relatum est fuisse diversas, aliis affirmantibus, aliis negantibus, atque idcirco sententiam Nostram, quam omnes tamquam normam sequerentur, petendam esse censuerunt. Cui petitioni pro Nostri muneris ratione adnuentes respondemus: Rituale Dioecesanum ex Rituali Romano iisdem verbis statuit:" Arcendi autem sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii — — et alii eiusdem generis peccatores publici, nisi de eorum poenitentia constet et publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat. „Quare quum Rituale istud praescribat, quid Parochis agendum sit, et quum manifestum sit, eos parentes, quorum filii aut filiae ipsis consentientibus, quum tamen impedire possint dummodo velint, in religione acatholica educantur, iure meritoque paccatoribus publicis et

scandalosis accenseri, eo quod communi omnium temporum et locorum principio et praescripto Ecclesiae Catholicae adversentur: ipsis quoque ut absolutio ita eucharistia neganda est. Et quamquam publice ad S. Mensam accedere praesumant, nihilominus arcendi sunt, nisi prius publice satisfecerint, et scandalum, quantum fieri potest, sublatum fuerit. Ceterum eiusmodi matrimoniis mixtis impliciti catholici, qui scandalum publicum tollere possint nec tamen velint, a parochis data occasione praemonendi sunt de absolutione et communione ipsis deneganda, nisi vere poenitentes, ut supra diximus, scandalum publicum pro viribus tollere studeant, suaeque poenitentiae sincerae publica documenta praebeant. Occurrente autem tali casu pastores maxime caveant, ne animo exacerbato egisse videantur, vel signis aut mediis acrioribus utantur, sed ut tali modo procedant, qui aperto documento sit, se nonnisi officii sui impulsu atque paterno affectu duci. — Osnabrugi, die 2. Junii. 1838.

253.

Rescriptum Ministerii Bavarici quoad religiosam educationem prolium ab arbitrio parentum ex toto pendentem, dd. 31. Maii 1838.

I. Nach einer richtigen doctrinellen Auslegung der Bestimmungen in §§. 12—23. des Edicts Beil. 2. zur Verf. Urk. kann es keinem Zweifel unterliegen, dass bei gemischten Ehen den Aeltern das Recht zustehe, sowohl vor und bei Eingehung der Ehe, als auch während der Dauer derselben, nach Gutfinden über die religiöse Erziehung ihrer Kinder vertragsmässige Bestimmungen zu treffen, und die eingegangenen Übereinkünfte im beiderseitigen Einverständnisse zu jeder Zeit wieder abzuändern, so lange die Kinder nicht durch die Communion oder Confirmation in eine bestimmte Kirche eingetreten sind. Es folgt dieses in dem allgemeinen Familienverbande und in der älterlichen Gewalt begründete Recht, für die Bewohner des Königreichs Baiern aus dem besondern Grunde: a) dass die §§. 12—14. der II. Verf. Beil. mit den Bestimmungen des Religionsedicts vom

24. Mai 1809. §. 14—16. Wort für Wort übereinstimmen; hinsichtlich der Bedeutung dieser letztern aber schon aus dem §. 3. der allerhöchsten Entschliessung vom 11 Maii 1815. hervorgeht, dass es nie die Absicht des Gesetzgebers war, die älterlichen Befugnisse zur vertragsmässigen Bestimmung über die religiöse Erziehung der Kinder auf die Zeit vor Eingehung der Ehe zu beschränken, wesshalb bei unveränderter textueller Beibehaltung der erwähnten §§. 14—16. in dem erwähnten (Verf.) Gesetze diese Absicht auch jetzt nicht dem Gesetzgeber unterstellt werden kann; b) dass die von den §§. 14—16. allenfalls abweichenden Bestimmungen der in einzelnen Gebietstheilen bestehenden Civilgesetze in einer Materie keine Gültigkeit mehr behaupten können, welche dem Bereiche des Verfassungsrechtes angehört, und bezüglich deren die Verfassungsgesetze für alle Unterthanen, ohne Unterschied, gleiche Rechte und Verpflichtung begründen, abgesehen davon, dass diese Gesetze, als die spätern, den frühern derogiren; c) dass die beschränkende Bestimmung des §. 13. der II. Verf. Beil. sich nur auf die darin erwähnten Eheverträge, nicht aber auf die in §. 14. neben den Ehepakten als zulässig erklärten „sonstigen Verträge" bezieht.

II. Eben so unzweifelhaft erscheint es in der Hauptsache aus denselben Gründen, und in Gemässheit des §. 20. der II. Verf. Beil. dass das erwähnte Recht der Aeltern auch bezüglich der, durch nachfolgende Ehe legitimirten Kinder zukomme.

München, den 31. Mai 1838.

II. Ex annis 1839. et 1840.

254.

Allocutio Gregorii PP. XVI. in Consistorio dd. 8. Julii 1839. in causa Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis Martini Dunin, sententia Judicii Civilis a munere suo depositi.

Venerabiles Fratres! Officii memores tuendorum Ecclesiae iurium, quod Nobis licet immerentibus divinitus cum Supremo Pontificatu impositum est, reclamavimus hoc ipso in loco IV. Idus Decemb. a. 1837. contra vim illatam Ven. Fratri Clementi Augusto Archiepiscopo Coloniensi, qui scilicet Borussici Gubernii jussu sub custodia militis procul a dilecto grege non aliam ob causam relegatus fuit, nisi quod in mixtarum nuptiarum negotio Ecclesiae Catholicae regulas, quae cum ipsa eius doctrina coniunctae sunt, perfringere recusaverat. Rursus deinde Idibus Septembris anni proximi Apostolicam vocem in Consessu Vestro attollere coacti fuimus ob alia, quae in eodem Borussiae Regno contra iura et libertatem Ecclesiae gesta fuerant, occasione praesertim Ven. Fratris Martini Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis, qui in ipsa illa mixtorum connubiorum causa sacerdotibus suarum dioecesium in memoriam revocaverat catholicam doctrinam et cohaerentis Canonum disciplinae custodiam inculcaverat. Interea vero non praetermisimus agere, prout antea, cum Regio Gubernio, et missis ad illud per eius Administrum seu negotiorum gestorem iteratis expostulationibus, Ecclesiae causam tueri. Sperabamus equidem Serenissimum Regem melioribus utentem consiliis denique permissurum, ut praedictus Coloniensis Archiepiscopus rediret ad Ecclesiam suam, atque ut idem ipse, nec non et memoratus Archiepiscopus Gnesnensis ac Posnaniensis ceterique Catholici Antistites illius Regni in omnibus, quae Religionis sunt, pastorali auctoritate sua Apostolicae huius Sedis ductu libere fruerentur. Sed contra accidit; factum est enim, ut ecclesiasticae libertatis oppressio novis subinde actibus urgeretur, et in negotio illo AEpiscopi Gnes-

nensis et Posnaniensis res eo porro devenit, ut idem Venerabilis Frater, ob suam in disciplina doctrinaque Ecclesiae Catholicae servanda constantiam a laicis Magistratibus, nullum in eiusmodi personam et causam ius habentibus, iudiciali sententia condemnaretur. Decreverunt Regii Judices ea de re inde a postremis diebus mensis Februarii huius anni; verum reclamare antehac noluimus, quia sententia eadem Archiepiscopo nondum denunciata fuerat atque hinc tota illa causa in suspenso adhuc esse videbatur, Nosque ipsi non satis noveramus, quidnam a Judicibus pronunciatum fuisset. Sed facta est tandem ea denunciatio sub finem mensis Aprilis, postquam idem AEpiscopus Regiis literis accersitus Berolinum se contulisset: ac re subinde evulgata, Nos integram quoque ipsius sententiae vim ex certissimis nunciis huc allatis rescivimus. Intelleximus scilicet AEpiscopum trium omnino delictorum apud memoratos Judices accusatum, in illa ipsa sententia liberatum prorsus fuisse tum a crimine laesae Maiestatis tum a crimine excitati ad seditionem populi; de quo quidem utroque vix credibile est, ut prudentissimus ille ac mansuetus Antistes in suspicionem venire potuerit. Ita ex tribus delictis eidem imputatis non aliud supererat, nisi quod in mixtorum connubiorum causa civiles Status Borussici leges (leges nimirum regulis Ecclesiae contrarias) violasse arguebatur. Atque huius delicti nomine iidem Judices AEpiscopum ipsum non modo ad solvendas Processus expensas atque ut detineretur per sex menses in munito aliquo castro, condemnarunt, sed etiam inhabilem declararunt ad munia et officia quaelibet in Regno Borussiae obeunda, et infando praeterea ausu eundem a pastorali et metropolitano munere deposuerunt.

Verba desunt, Ven. Fratres, quibus exsplicare satis valeamus moerorem acerbissimum, quem ex eius rei cognitione hausimus; sed Vobis difficile non erit vim nostri doloris ex ea, quam ipsi Vos experimini, molestia coniicere. Enimvero non agitur tantum de sacra Episcopi persona per traductionem ad laicos Judices utcunque violata, verum et causa, ob quam iudicatus, et poena, quae irrogata illi est, longe graviorem divini Ecclesiae iuris invasionem demonstrat. Nimirum si poe-

nam illam spectetis, AEpiscopus non temporalibus tantum incommodis mulctatus, sed de suo etiam in utraque dioecesi et circa Culmensem Suffraganeam Ecclesiam officio depositus legitur; quasi scilicet sacra potestas, quam Episcopi a Spiritu S. per ministerium nostrum accipiunt, auctoritate possit secularis Magistratus auferri. Si autem ad poenae causam respiciatis, violatio illa civilium de mixto matrimonio legum, ob quam AEpiscopum condemnare voluerunt, non spectabat ullo modo ad civiles nuptiarum eiusmodi effectus, quos ille minime attigerat, quin et se nihil prorsus de iis edicere velle declaraverat, sed tantum ut gravissimis pastoralis muneris obligationibus satisfaceret, atque adeo iustis compulsus conscientiae stimulis, Clerum suae utriusque Dioeceseos datis ad eos literis allocutus fuerat de sanctitate matrimonii, et de religiosis obligationibus catholicorum coniugum, inprimis de prole universa ex divinae legis praescripto ad veram fidem educanda et de cautionibus ab Ecclesia statutis, ut obligationes eaedem serventur; atque hinc sacerdotes, indicta etiam a sacro ministerio suspensione, graviter admonuerat officii sui, ut Catholicis suae quisque Paroeciae eadem illa Dei et Ecclesiae praecepta opportune inculcarent; et quoties Catholicus aliquis matrimonium mixtum absque memoratis cautionibus, in suam scilicet futuraeque prolis spiritualem perniciem inire nihilominus vellet, ut caverent saltem sacerdotes ipsi, ne tales nuptias catholico ritu coniungerent aut illis assensum suum quoquo modo praeberent. Jam vero si Catholico Antistiti liberum in Borussia non sit tueri sanctitatem matrimonii, quod magnum in Christo et in Ecclesia Sacramentum est, nec sacerdotes districte admonere de ratione, quam tenere illos oportet, ut sacrilegum facinus catholicorum illicitas coram Deo et Ecclesia nuptias inire volentium paternis instructionibus et adhortationibus impediant, aut certe ut illorum peccatum suo ipsi facto non approbent; si haec igitur, quae (ut repetere iterum iuvat) non civiles ullos matrimonii effectus, sed tantum catholicam hoc in genere doctrinam fidei ac morum et cohaerentes Canonum sanctiones respiciunt, libera Episcopis in eo Regno non sint: quae tandem erit libertas illa,

quam Serenissimus Rex Catholicae Religioni in ditione sua diversis occasionibus repromisit? Haec Nos utprimum cognovimus, statim subiit animum cogitatio gravissimae obligationis, qua violatum adeo hac in causa Catholicae Religionis Ecclesiaeque Sanctae ius defendere obstringimur. Quare post fusas ad Deum supplices preces et rem universam coram Eo mature perpensam, nonnullis etiam ex Vestro amplissimo Ordine sapientibus et prudentibus Viris ad deliberationem adhibitis, hodie tandem exequimur, quae ex unanimi eorumdem consilio facienda censuimus.

Et primo quidem expostulationes, quas supra memoravimus a Nobis hoc ipso in loco factas ac subinde in publicum editas, enixius nunc in frequenti huius diei Consessu iterantes, reclamamus pariter contra reliqua omnia, quae sive in causa illa Archiepiscopi Gnesnensis ac Posnaniensis sive aliis quibusque occasionibus in Catholicae Religionis detrimentum et contra Ecclesiae, Sanctaeque huius Sedis iura in Borussiae Regno quomodolibet gesta sunt. Deinde querimur nominatim ac vehementer expostulamus de sententia illa, qua praedicti laici Judices sacram memorati AEpiscopi personam in Religionis praesertim causa iudicare, et ecclesiastica etiam depositionis poena mulctare ausi sunt: et auctoritate Nostra Apostolica declaramus atque decernimus, eundem Vener. Fratrem Martinum esse adhuc verum unicumque AEpiscopum Ecclesiarum Gnesnae ac Posnaniae, et ex ea sententia, utpote canonico ac divino ipso iure irrita, nullum omnino ius amisisse; atque hinc ab Ecclesia quidem Culmensi in iis, quae Metropolitanae iurisdictionis sunt, in cunctis vero, quae ad Religionem et Episcopalem auctoritatem pertinent, ab utroque grege suarum dioecesium omnimodam illi, prout antea, obedientiam deberi. Imo Antistitem ipsum ob suum Religionis studium et invictam Episcopalis animi constantiam plurimis merito prosequimur laudibus eique impense gratulamur, quod dignus habitus est pro Nomine Jesu contumeliam pati.

Jam vero mens Nobis erat, hanc reclamationem aliquo etiam novo improbationis nostrae documento confirmare, quod ipsa rei gravitas exposcere videbatur, quum prae-

sertim in irritum usque modo cesserint praecedentes aliae expostulationes tum in causa illa Coloniensis Archiepiscopi, qui procul adhuc a Sede sua detinetur, tum in ipso hoc negotio AEpiscopi Gnesnensis et Posnaniensis. Verum ne festinatione potius ducti quam longanimitate pacatoque consilio usi videamur, et ex justitia ipsa causae nostrae adhuc sperantes, ulteriore illa improbantis animi significatione supersedemus. Atque hanc nacti occasionem profitemur etiam ac palam edicimus, Nos ad ipsam huius diei expostulationem, uti et ad alias, quas antea fecimus, aegre admodum ac reluctante poene animo devenisse, sola scilicet Religionis causa et nostri implendi muneris necessitate compulsos. Itaque nihil optamus magis, quam ut reditu ad Ecclesias suas Antistiti utrique permisso, et impedimentis, quibus exercitium Ecclesiasticae Potestatis constrictum nunc est, tandem in toto Borussiae regno cessantibus, omnis inposterum dissensionis causa tollatur. Et bona equidem, ut supra innunimus, spe sustentamur, fore, ut felix huiusmodi eventus diu exspectandus non sit. Enimvero si Rex Serenissimus excelsa qua est mente, totam rei causam penitius attenderit, facile recognoscet in iis, quae ab utroque Archiepiscopo gesta sunt, nihil haberi, quod ad Religionis negotia non pertineat, ac probe insuper intelliget, quam periculosum Civili etiam ordiui futurum esset, si Catholici suae ditionis magno numero inducerentur ad S. Matris Ecclesiae regulas maxime in tam gravi re contemnendas; nam iidem ipsi, ad contumaciam assuescentes, subinde maiori admodum facilitate Civiles Leges violarent. Ceterum ad civilia ipsa negotia quod attinet, etsi nemo iam nisi per manifestam iniuriam de mente nostra dubitare posset, tamen palam rursus hic protestamur ac declaramus, Nos in solemni hoc actu non aliud habuisse propositum, quam Religionis Ecclesiaeque iura tueri, non autem ut de rebus vere civilibus, quae Regii iuris sunt, quidquam vel minimum attingeremus. Hinc etiam cunctos in Borussico Regno Ecclesiae filios Apostolica Auctoritate admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ut in his quidem, quae supra de matrimonio et de consequentibus coniugum obligationibus

diximus, ac generatim in omnibus, quae ad fidem et mores pertinent, quaeve sacrorum Canonum disciplina statuuntur, obedienter adhaereant S. Matri Ecclesiae, neque ullius unquam temporalis emolumenti spe aut detrimenti metu ab eiusdem communione et obsequio abduci se sinant; verum aliis in rebus, quae civilis sunt ordinis, obtemperent fideliter jussionibus Serenissimi Regis, et avertant omnino aures suas a fallaciis turbulentorum hominum seditiosa docentium, atque adeo Maiestati Suae, iuxta Pauli Apostoli monitum, subditi sint non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ita praeceptis obedient divini Pastorum Principis, qui reddenda docuit, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo; et obmutescere illos facient, qui de Catholicorum fidelitate apud Regiam Maiestatem detrahere audeant.

Haec sunt, quae in gravissimo, quod explicavimus, negotio Vobiscum, Ven. Fratres, hunc in locum congregatis communicanda censuimus. De reliquo ne intermittamus, Ven. Fratres, Misericordiarum Patrem in gemitu et lacrymis per merita Jesu Christi suppliciter obsecrare, ut memoratis Archiepiscopis, nec non Praesulibus ceteris et omni Borussiae Clero fidelique populo perseverantem tribuat in voluntate sua famulatum, atque ut Serenissimum Regem ad praestandam subditis suis plenam Catholicae Religionis libertatem inclinet, denique ut quae inibi adversus Ecclesiae ius cogitata gestaque sunt, in eiusdem bonum convertat.

255.

Episcopi Suffr. Hildesheimensis uberior declaratio de iis, quae quoad matr. mixta a. 1838. praescripsit parochis, dd. 25. Martii 1839. ad eosdem parochos dimissa.

Ignotum esse non potest Venerabili Clero Dioecesis Osnabrugensis, responsum, quod ad quaestionem in una Synodorum propositam a Nobis die 2. Junii anni superioris datum est, malevolorum hominum opera, Nobis omnino insciis et invitis, actis diurnis divulgatum esse, atque eorumdem hominum maligna interpretatione ad excitandam discor-

diam inter diversae religionis cives materiam praebuisse. Praetexunt enim, a vobis data opera et ea intentione in quaestione proposita verbum religionis *haereticae* scriptum esse, ut iis, qui diversam a catholica religionem profiteantur, notam publicae contumeliae inureretis; quae profecto criminatio a mente vestra alienissima fuisse cognoscitur, cum hoc scriptum vestrum ita esse divulgandum nullo modo praenosse et praevidere possetis; sed neque infamiae civilis nota vos ullum civem acatholicum hoc verbo afficere voluisse, inde liquet, quod nihil quaerebatis de alterius religionis cultoribus, sed tantum quomodo vos erga catholicos curae vestrae pastorali commissos secundum leges Ecclesiae Catholicae gerere deberetis in casu proposito, ubi quidem de educatione in doctrina ab Ecclesia Catholica reprobata, non tamen de hominibus huic doctrinae addictis agebatur, quorum neminem haereticum formalem, ut vocant theologi, appellastis aut appellare voluistis. In posterum tamen ad pacem fovendam ab hoc verbo abstinere praestat. Neque Nos, cum agendi rationem ex Rituali Romano et dioecesano vobis praescripsimus, aliud quidquam intendimus, nisi ut legem Ecclesiae Catholicae proponeremus, quae curam animarum sustinentibus observanda sit; verum ne cogitavimus quidem de laedendo honore et fama civili acatholicorum, de quibus sermo non fuit, aut catholicorum, de quibus lex illa loquitur — neque istos ipsos patres catholicos cum illis infamibus, qui turpi libidini indulgent, aut illis, qui per censuras ecclesiasticas prohibentur, comparare voluimus. — Quapropter ubicunque ad discordias tollendas et animorum motus sedandos opus fuerit, hanc nec aliam fuisse mentem Nostram in iis, quae ad vos rescripsimus, declarandi vobis potestatem facimus. — — Quoniam vero, quae nunc contigerunt Nobis et vobis non volentibus, monent, ut quantum fieri potest, salvis religionis et conscientiae legibus, quam cautissime omnia sint evitanda, quae gliscentem suspicionem sinistram et ortam animorum commotionem augere possent, idcirco iis, quae rescripsimus, et male evulgata ac pessime interpretata esse dolemus, haec addere voluimus: indignos illos et in vestra quaestione et in Nostro responso designatos,

qui depravato animo ad sacratissima religionis mysteria cum ceteris catholicis accedentes, arcendi sunt, eos esse intelligendos, qui suum officium religiosum in re gravissima violantes scandalum publicum praebent, idque quamvis a vobis secundum extrema verba rescripti Nostri paternae caritatis affectu admoniti sint, scientes tollere tamen nolunt, cum possint, sed vobis iusta monentibus obsequium detrectant et quasi vi extorquere a vobis volunt sacramentum, quod secundum legem divinam et canones Ecclesiae, cuius ministri estis, sine sacrilegio nec ipsis accipere, nec vobis ministrare licet. In his tamen ipsis aut aliis peccatoribus quacunque de causa publice indignis arcendis a sacra mensa eam rationem observare debetis, ut si eiusmodi publice indigni cum ceteris veniant, hos indignos quidem praetereatis, non ministrantes iis Corpus Domini: nullum tamen verbum iis dicatis neque publice et nominatim eos tunc vel alias in concionibus publicis increpetis. Hac ratione agentes nec muneri vestro deeritis, nec vestra erit culpa, si talis, qui abstinere a sacris possit, dummodo velit, secundum antiquissimam praxim Ecclesiae arceatur a sacris, quae sibi deneganda esse praesciverit, neque is ideo honorem suum civilem et famam aut iura patrisfamilias domestica laesa esse a vobis, iuste conqueri poterit.

256.

Instructio pro Archidioecesi Parisiensi quoad celebrationem matr. mixtorum, iuxta Rituale de an. 1839.

De Sacramento Matrimonii. VIII. de ipsius Matrimonii celebratione. Pag. 373.—140. Quotiescunque impetrata idonea dispensatione, matrimonio iungendae erunt partes, quarum una sit catholica, altera vero acatholica: Parochus accitis duobus saltem testibus a S. Synodo Tridentina requisitis, *mutuum consensum utriusque contrahentis recipiat extra Ecclesiam, absque ulla Ecclesiastica solemnitate, nec Sacerdotali benedictione, nullisque precibus adhibitis.* Si tamen pars catholica postulet, ut SS. Sacrificium pro ipsa deinde offeratur, eius petitioni satisfacere Parochus non recuset. Missa

autem semper dicatur de die aut festo occurrente, et absque ullo etiam minimo, apparatu in matrimoniis usitato.

Pag. 394. Ubi matrimonio iungendae erunt partes, quarum una est acatholica, Parochus ea diligenter observabit, quae supra praescribuntur, (N. 140.), et ipse *sola veste talari indutus*, *sine superpelliceo*, *et stola*, *consensum utriusque contrahentis recipiet*, *sive in sacristia*, *sive in alio decenti loco extra Ecclesiam*, utrumque successive interrogando, ut sequitur: „N. declaras, agnoscis, et iuras coram Deo, et in facie suae Sanctae Ecclesiae, quod in coniugem et legitimam uxorem accipis nunc, isthic praesentem N.? — Promittisne, et iurasne, quod erga illam in omnibus fidelitatem servaturus sis, sicut fidelis maritus coniugi suae tenetur iuxta praeceptum Dei?" Postquam duabus interrogationibus quisque eorum responderit, *nihil amplius addat Parochus.*

Pag. 720. Exemplum petendae dispensationis super differentia Religionis: „Illustr. Domine! Habeo honorem exponendi Illustritati Vestrae, quod N. N. huius Parochiae, catholicam religionem profitens, desideret in coniugem accipere N. N. non catholicam. Motiva, quibus ad incundum hoc coniugium inducitur, sunt: 1. 2. 3. etc. Supplicat itaque Illustr. Vestrae, quatenus ipsi *dispensationem in diversitate religionis* largiri dignetur: *parte non catholica prona existente, ad semet sub fide iurata coram D. Officiali obligandam*, *quod conditiones in simili circumstantia exigi solitas adimpletura sit.*"

Pag. 727. Testimonium de Matrimonio mixto. *Nota. Semper Catholicae partis Parochus debet celebrare matrimonium, prouti hoc dispensatio continet.* „Secunda Maii anno N. *Visa dispensatione super impedimento diversitatis religionis*, viso etiam testimonio Officialis status Civilis N. — ego Parochus subscriptus recepi in Sacristia Ecclesiae huius (vel in aedibus huius Parochiae) mutuum consensum, quem ad ineundum matrimonium sibi invicem dederunt N. N. non Catholicus ex una parte, et N. N. ex altera parte; in praesentia testium N. et N. Actum etc."

257.

Literae Cleri Archidioec. Friburgensis ad Archiepiscopum, ut tum alias ob causas, tum ob mixta matrimonia Synodum Dioecesanam asservet, a. 1840.

Accedunt, Reverendissime Archiepiscope, unanimis Archidioeceseos Tuae Clerus, Decani, Parochi, omnesque qui mira Dei providentia vocati sunt et coordinati ad pascendum gregem Tibi a Domino Jesu Christo commissum, petentes aliquid a Te. Magnum est, quod petimus, atque dignum; maximum vero et dignissimum, imo summum, si a Te concessum habuerimus, sancti muneris Tui donum. (*Post enarrata plura de lamentabili Ecclesiae statu, eiusque cumprimis sub dominatu Principum servitute et miseria, ita prosequuntur:*) Verum enimvero sunt et alia non pauca eaque gravia, in quibus anxia mens nostra haeret, et quae res ecclesiasticas perniciosa in praesenti concutiunt perturbatione. Quae inter inprimis numeramus infausta illa de matrimoniis mixtis, quorum adhuc sub indice lis est, dissidia et exinde periclitatam progeneratarum prolium in catholica fide educationem; quam ob rem non minus Episcopos Catholicos inter et Principes Protestanticos pax turbata auditur, quam et inter utrumque religionem diversam profitentem populum lapis lapidem terit, dum de iisdem cogitandi eaquo tractandi vel inter ipsos animarum pastores maxima, quam ignorare non possumus, praevalescere solet diversitas, atque leges e contrario non raro positae se invicem de medio tollere minantur et animos partes in adversas trahere deprehenduntur. — — Quamobrem dolorem nostrum his de rebus ecclesiasticis Tibi quam devotissime patefecimus, et piam hanc petitionem nostram, ut quam primo, quo fieri sapientiae Tuae possibile videtur, tempore Synodum Dioecesanam iuxta Sacros Canones celebrare digneris, in manus Tuas paternas deponere ausi sumus. Qua tandem celebrata Synodo, Archidioeceseos nostrae pacem et tranquillitatem restitutum, et fidelium animarum salutem promotum, nostraeque pastorali curae

subventum iri speramus, et omnis tum plebs christiana glorificabit Dominum in opere, quod operatus est in nobis, et salvos faciet Dominus servos suos, sperantes in eum, mittetque auxilinm de Sancto, et de Sion tuebitur nos; erit nobis turris fortitudinis a facie inimici; est enim adiutorium in nomine Domini, qui fecit coelum et terram, quique nobiscum erit omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

258.

Responsum Archiepiscopi Friburgensis ad petitum Cleri circa celebrandam Synodum, dd. 21. Febr. 1840.

Nos Ignatius Demeter etc. Literas vestras, quas de celebranda Synodo Dioecesana ad Nos dedistis, accepimus, et ea, quam rei gravitas exigit, attentione iterum iterumque legimus. In causa tanti momenti ne ex Nostra solum sententia aliquid ageremus, consultum Nobis visum est, petitionem vestram primum Senatui Nostro Archiepiscopali proponere. Accipite iam responsum, quod, re graviter perpensa, ex unanimi Senatus Nostri consensu paterno vobis animo impertimur. — — — In eo fratres carissimi, quod synodum dioecesanam praesenti hoc tempore Archidioecesi Nostrae existimetis exoptabilem, adeoque protinus a Nobis convocandam, non possumus non sententiam oppositam sequi. Duo enim potissimum obiecta sunt, quae ex iudicio vestro Synodi Dioecesanae debeant commendare convocationem: Ecclesia sclicet pressa, et mixtae confessionis coniugia. Verum re accuratius perpensa, neminem vestrum, fratres carissimi, fugiet, quaestiones istas non Badenses esse, sed Germanicas, adeoque non Synodo aliqua dioecesana, nec provinciali etiam, sed Nationali tantum solvendas. Quin imo timendum sit, ne forte collisionibus, quae modo per Germaniam vigent, triste aliquod ex Synodo Dioecesana accedat incrementum. Quare dum petitum vestrum, quod Synodum dioecesanam rogat, negamus, simul ut concilium nationale germanicum convocetur, in votis fervidissimis habemus, firmiter fidentes fore, ut Ecclesiae Catholicae gravamina ibi iusta discussione ponderentur atque tollantur.

— — Habemus Scripturae S. praecepta, habemus Conciliorum atque Antistitum Eccl. decreta atque canones, omnes mirifice in id intendentes, ut populi christiani fidem, ut vitae morumque sanctitatem, ut status clericalis gravitatem atque auctoritatem promoveant. — Incumbite, fratres dilectissimi, sine intermissione studiis sacris, induite fidem vivam, colite caritatem non fictam, vitaeque in omnibus integritatem. Exemplar estote fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in castitate. Attendite lectioni, exhortationi, doctrinae. Invigilate inprimis iuventuti, educantes illam pro viribus vestris in timore Domini ac vitae sanctitatae — etc.

259.

Literae Episcoporum Americae ex Concilio Provinciali ad Archiepiscopos Coloniensem et Posnaniensem dd. 20. Maii 1840.

Venerabilibus in Christo Fratribus, inclytisque Fidei Confessoribus *Clementi Augusto ex Lib. Bar. de Droste ex Vischering Coloniensi*, et *Martino a Dunin Posnaniensi et Gnesnensi* Archiepiscopis, Baltimorensis Provinciae Metropolitanus et Suffraganei, Episcopique omnes Baltimori in Concilio congregati: Salutem, gratiam, laudem, honorem et gloriam! Unius eiusdemque mystici corporis membra, uno eodemque spiritu acti, unius eiusdemque capitis vivifico influxu copulati, non potuimus, quamvis longo terrae marisque spatio separati, quaecunque passi estis, inclyti Confessores, non sentire. Charitate enim Christi nos urgente, flendum erat cum flentibus, gaudendum cum gaudentibus. Vestrorum praeclare gestorum fama ad nos usque pervenit. Audivimus potentium in Vos et in Ecclesiam inimica consilia, calumnias, minas, persecutiones, exilia, carceres. Audivimus Episcopalis animi robur invictum, constantiam, fidem. Audivimus dignam Apostolorum successoribus mitissimam patientiam, prudentissimam sapientiam. Audivimus, et mirati sumus. Mirum profecto nostris hisce temporibus, quae tantis laudibus extolluntur ob excultos mores, politiores artes,

altiores scientias, liberalioresque disciplinas, mirandum in regionibus Evangelii luce illustratis, mirandum sub Principibus Religionem Christianam profitentibus persecutorum secula, insidias et saevitiem revixisse. Sed Deo, qui se Ecclesiae suae usque in consummationem seculi affuturum promisit, benigniter sapienterque providente, Constantiis, Valentibus et Julianis nostrorum temporum novos Athanasios et Basilios opposuit, qui pro muro essent Ecclesiae suae, et avitam fidem patrumque instituta jura et leges tuerentur. Flevimus quidem super contritione filiae populi nostri, flevimus super dispersos lapides sanctuarii, lacrimas fudimus super oves pastoribus orbatas, flevimus: sed et gaudio superabundavimus in tribulatione nostra, gavisi sumus de Christi Confessorum perseverantia, de martyrum constantia, et de fidei athletarum victoria. Eia Confessores, martyres, athletae Christi, eia! Qui pro vobis, qui vobiscum legitime certavit, ipse vos coronabit. Ne dedignemini testimonium amoris, admirationis et reverentiae, quod ex corde promunt Vestrum amantissimi in Christo fratres in Provinciali Concilio congregati. Baltimori die 20. Maii 1840.

260.

Literae encyclicae ad Clerum Gnesnensem et Posnaniensem datae post reditum Archiepiscopi Martini Dunin ad gremium suae Dioeceseos, dd. 27. Augusti 1840.

Martinus Dunin etc. Res, quae circa matrimonia Catholicorum cum Acatholicis versatur, recentissimis hisce diebus quem qualemque apud nos habuerit exitum, et quo potissimum dissensio illa, quae inter leges, disciplinamque Ecclesiae nostrae, et iura praescriptaque Regni interest, perducta fuerit, nemo sane Vestrum ignorat, fratres in Christo dilectissimi. Dolebatis Nobiscum et abductionem Nostram extra fines Archidioecesium, quibus Divina Gratia praesumus, et deplorandam orbitatem, non Vestram solum, sed et fidelium, quorum curam geritis spiritualem. At quamvis maxi-

ma fuerit acerbitas tristitiaque Nostra, non solum non deficiebamus animo, sperantes fore, ut Deus, qui numquam deest iis, qui tribulato sunt corde, afferat solatium animae Nostrae, imo vero et in rei ipsius natura, et in conscientia Nostra purissima confidentes, numquam dubitabamus, futurum esse, ut Suae Regiae Maiestatis Clementia facultatem ad Vos revertendi Nobis concedat. Accidit reipsa quod optabamus atque sperabamus tantopere. Non solum enim Rex noster Clementissimus, cuius subsecutum interea obitum religiosissimo dolemus, proxime in eo erat, ut Nos orbatis Pastore suo ovibus quamprimum restitueret, sed etiam qui Illi successit Filius, Rex, qui nunc Nobis praeest, Serenissimus, nihil praetermisit, quo afflictioni tristitiaeque Nostrae finem imponeret optatissimum. Et revera Maiestas Sua Regia datis iam inde sub die 29. Julii a. c. ad Nos literis clementissimis, licentiam ad Vos redeundi Nobis liberalissime concessit. Cum esset in optatis, quantocyus et ea, quae muneris Nostri sunt, in medio Vestrum peragere, et Vestra iucundissima Nobis societate perfrui, acceleravimus cursum, dieque Transfigurationi Domini Nostri Jesu Christi sacrata in Ecclesia Nostra Archicathedrali Posnaniensi comparuimus, in qua etiam, iusta pietatis officia persolventes, gratias Deo Omnipotenti pro liberatione incolumitateque Nostra retulimus, et Suae Regiae Maiestati, cuius benevoli piique erga Nos animi numquam immemores erimus, Eiusque Augustae Domui universae cuncta bona prosperaque a Deo Omnipotenti apprecati sumus. Quibus peractis facere simul non possumus, fratres in Christo dilectissimi, quin Vos, qui Nostri in vinea Domini adiutores, sociique et moeroris et solatii estis, moneamus paterne, atque sub conscientia obligemus, ut receptis hisce literis Nostris, si illud nondum persolveritis, proxima die Dominica vel alias festiva peracto Sacro Missae Sacrificio, hymnum S. Ambrosii, qui a verbis „Te Deum laudamus" incipit, pro gratiarum actione decantetis. Insuper adhortabimini fideles Christi, ut Suae Regiae Maiestati Serenissimae omnia bona prosperaque Nobiscum a Deo apprecantes, in adimplendis officiis suis erga Eandem et ob religionem et ob puram er-

ga Deum conscientiam vigiles vereque subditos se se exhibeant, curentque quam maxime, ut per opera, ad quae obligantur, maiore in dies benevolentia atque liberalitate Suae Regiae Maiestatis Clementissimae digni inveniri mereantur.

Cum vero subsecuto reditu Nostro cessaverint causae, ob quas durante absentia Nostra nonnullas circa administrationem Archidioecesium facultates Consistoriis Nostris limitandas esse existimavimus, iam certiores Vos facere properamus, has ipsas limitationes nunc penitus sublatas, atque cum universam administrationem tum iurisdictionem, quae circa iudicia spiritualia versatur, in priorem conditionem a Nobis restitutas esse. Quia vero fieri non potuit, quin aliqua exinde vel Vobis ipsis, vel quibus praeestis parochianis emanaverint incommoda: curabitis quamprimum, quantum Vestri officii est, eadem e medio tollere, et ubi necesse fuerit, opem Vestram praestare libentissime. Hoc etiam respectu adhortamur Vos paterne, ut si alicubi pax concordiaque inter parochianos Vestros et ceteros Christianos labefactatae fuerint, easdem ea, qua par est, ratione restituere non negligatis. In omnibus vero caritatem persequentes, quidquid iustum et aequum sit, quidquid Religioni Nostrae sanctissimae consonum, sive erga parochianos vestros, sive erga ceteros Christianos, et praestetis ipsi, et iis, quorum cura Vobis demandata est, commendetis praestandum. Habeatis simul prae oculis, ut deposita omni invidia, et quidquid dedeceat veros Christi Domini sectatores, sic erga aliter credentes Vos geratis, sicque gerant se parochiani Vestri, ut Regis Nostri Humanissimi atque Liberalissimi desideriis alacri obtemperantes animo, ne in minimis offendatis, vel agatis aliquid, quod suspicionem iniqui atque malevoli animi Vobis parere possit.

Ad rem, quae eventus, cuius meminimus, causam dederit, sive ad controversiam de mixtis connubiis propius accedendo, hoc, quod sequitur, praecipimus Vobis observandum. Quandoquidem lege civili prohibitum Vobis est, in occurrentibus eiusmodi connubiis praescriptas ab Ecclesia nostra conditiones tum quoad educationem prolis, quae spera-

tur, catholicam, tum quoad pericula, quae parti catholicae imminent, a neosponsis postulare, illaeque etiamsi factae atque acceptatae fuerint, nullam vim nullumque robur habere declaratae sunt: proinde ad evitandas difficultates et molestias, quas hac ipsa lege persistente Vobis excitare possitis, et consulendo legi praxique Ecclesiae nostrae, nihil agatis ipsi, quo illa ex parte eiusdem Ecclesiae approbare videamini. Quocirca certos vos reddere non praetermittimus, iuxta declarationem Suae Regiae Maiestatis Serenissimae Nobiscum communicatam, et iuxta praescriptum legis civilis (Part. 2. Tit. 11. §. 442.) *omnino integrum et minime prohibitum Vobis esse, omnem eiusmodi matrimoniis, prout indicavimus, denegare assistentiam, omnemque actum religiosum, neminique fas esse, ob eorum denegationem Vos ad reddendam rationem de motivis, quae prosecuti estis, quodammodo provocare.* Insuper notum Vobis facimus, Nos assentiente Sua Regia Maiestate Serenissima, quamprimum fieri poterit, Sanctae Sedi Apostolicae relaturos esse, quam respectu connubiorum, de quibus diximus, rationem procedendi Vobis praescribendam duximus.

Quae cum Vobis observare mandamus, supervacaneum esse ducimus, Vos multis exhortari verbis, ut in hac officii Vestri parte prudentes vigilesque Vos exhibeatis, utque potissimum in erudiendis et catechisandis parochianis Vestris, et praesertim in educanda iuventute catholica, cuius patres estis spirituales, memores exempli Salvatoris nostri, omnem impendatis sollicitudinem, satagentes vel maxime, ut parochiani Vestri perspecta cognitaque, quoad fieri poterit, religione Catholica, non solum ad praecepta eiusdem vitam componant suam, verum etiam, ut et Ecclesiae suae, cuius filii sunt, in omnibus obtemperare assuescant. Quod si perfeceritis religiosissime, speramus, futurum esse, ut multas evitetis molestias, quae cum circa plures alias obligationes, tum circa connubia mixta, hucusque saepe saepius Vobis evenerant. Deus autem, a quo bona cuncta procedunt, augeat in Vobis gratiam suam, faciatque Vos abundare in omnibus, quae ad incrementum Civitatis Christianae, ad

Vestram, eorumque qui Vos audiunt salutem promovendam inserviant. Quod etiam ut iunctis viribus praestetis, documentum Nostri erga Vos amoris, pastoralem Nostram benedictionem Vobis peramanter impertimur. Datum Posnaniae ad Ecclesiam Nostram Metropolitanam die 27. Augusti 1840. Martinus, Archiepiscopus. Walkowski, Secretarius.

MONUMENTA

AD HISTORIAM MATR. MIXTORUM

IN HUNGARIA, TRANSSILVANIA, ET AUSTRIA.

Monumenta ad Epocham I. quae usque an. 1780. procurrit.

261.

Statuta Protestantium circa copulationem matrimoniorum cum Catholicis, in Canonibus seu articulis maioribus an. 1577.

Art. 24. Compares copulentur, desertores et desertrices (religionis) non copulentur.

Art. 26. Quicunque contra ecclesiae articulos dispares illegitime copulant, depositione et excommunicatione puniantur.

Art. 45. Qui autem reiiciunt verbum Dei et religionis Christianae fundamentum, nec audire sermonem Dei volunt, his sacramentum baptismi, et coenae non administretur — nolite sanctum dare canibus. Hos etiam copulari a ministris prohibemus.

Art. 54. Sicut nulla lucis cum tenebris participatio, fideli cum infideli I Cor. 10, 11. II Cor. 6. ita sacris ritibus et sepulturae impiorum et hypocritarum Ministros adesse nolumus, quia scriptum est: sine ut mortui sepeliant suos mortuos. Et quicunque corpus, fundamentum doctrinae, verbum Dei contemnunt, et non audiunt: illis nec sacramentorum administratione, nec copulandi ritu ministrari permittimus, ut dicitur: nolite sanctum dare canibus. Si non receperint vos, exite. Matth. VII. 10.

262.

Statutum Helveticae Confessioni addictorum adversus matrimonia mixta, in Synodo Komjathina an. 1626.

Can. 40. Ne puellae fideles infidelibus coniungantur. Notum est ex SS. Literis, olim divinitus vetita huiusmodi

coniugia imparia, ne scilicet alterutra persona in vera religione corrumperetur, et ad impietatem vel infidelitatem seduceretur; ideoque neque haereticis damnatis, neque Judaeis, neque ethnicis catholicas dandas puellas statuimus, ne iugum cum infidelibus ducamus. Si vero contra interdictum hoc fecerint Parentes scientes et volentes, censurae canonicae obnoxii sunto.

263.

Reversales pro favore Augustanae Confessionis occasione matrimonii mixti inter Stephanum Vesseléný, et Catharinam Dersffy, de 5. Decembr. 1604.

Nos Georgius Thurzó de Bethlenfalva etc. etc. memoriae commendamus tenore praesentium siguificantes quibus expedit universis: quod Magnificus Dominus Stephanus Vesseléný etc. coram nobis personaliter constitutus matura et exacta animi deliberatione intra se praehabita, ad conditiones infrascriptas per Generosum ac Magnificum D. Nicolaum Dersffy de Zerdahely — sibi in negotio sacri matrimonii, cum Magnifica virgine Catharina Dersffy, filia utpote eiusdem D. Nicolai Dersffy unica et carissima feliciter auspicati propositas sponte et libere accedendo, iisdem per omnia consensit et subscripsit, seque eas in omnibus punctis et clausulis sub fidei, honoris et humanitatis amissione observare velle, strictissimo iureiurando, in negotio praesertim religionis, in ipsa copula, coram nobis solenniter praestito, adfirmavit et promisit. Ac *primo* quidem, quod eandem virginem Catharinam sibi desponsatam in fide et religione ipsius, quam a dulcissimis progenitoribus suis hausit et imbibit, et quae Augustana Confessione continetur, nullo unquam tempore impediturus sit; quin imo id effecturus, ut Praedicatorem Evangelicum continuo habeat, ipsum audiat, et sacramenta incorrupta ab eo percipiat; post decessum vero ex hac mortali vita eiusdem Domini Dersffy, quod ubique in bonis eiusdem Domini Dersffy in praenominatam filiam suam devolvendis Augustanae Confessionis Concionatores toleraturus et intertenturus sit; quodsi

vero id non praestaret, verum qualemcunque statum praesentem Religionis immutaret, vel vero si praedicta filia etiam ad Pontificios descisceret, extunc in casu tali non in eandem filiam haeredesque ipsius, verum in alios consangvineos talia dicti Domini Nicolai Dersffy bona de simplici et plano condescendere et devolvi debeant, ac possint. — — In quorum omnium maius robur ac testimonium literas hasce nostras etc. Actum et datum in Curia Tepla die quinta mensis Decembris anno millesimo sexcentesimo quarto.

264.

Opinio Cardinali Archiepiscopo Strigoniensi Leopoldo a Kollonich exhibita super quaestione de mixtis matrimoniis, a. 1696.

Quaestio: „Utrum Praelatus possit et debeat inhibere, ne Parochi suae dioeceseos assistant matrimoniis, quae contrahuntur inter personas, unam catholicam et alteram acatholicam cum tali expressa vel tacita conditione: ut una pars prolium educetur catholice, altera vero acatholice?"

Respondetur *affirmative*. Quia talia matrimonia prorsus sunt impia, nulloque casu licita. Ita communiter Theologi, ex quibus P. Perez de matrim. dist. 36. sect. 2. n. 6. sic scribit: De pactis vero, quae in istis coniugiis ineuntur, ut quaedam proles nasciturae Fidei Catholicae, aliae haeresi adhaereant, certum est, esse prorsus impia et irrita, tum contra Jus Eccles. *Cap. Ex Literis de Conv. Infid.* tum contra ius divinum, quoniam parvulis usu rationis carentibus cura Parentum ministrare et praebere debet remedia ad salutem necessaria, adeoque proles instruendae sunt in fide, et religione catholica. Atqui Parochus non potest licite assistere matrimoniis manifeste illicitis et impiis. Ergo Praelatus poterit, imo et tenetur inhibere assistentiam talibus matrimoniis.

Nec obstat 1. quod hactenus consuetudo et usus fuerit, permittere Parochis facultatem assistendi taliter contrahendis matrimoniis; quia hic usus fuit abusus, et consuetudo haec non tollit malitiam et rationem peccati talis

contractus. Nec 2. quod periculum sit, ne personae taliter contrahere volentes, si non impetrent assistentiam Parochi proprii, recurrant ad praedicantes, et per eosdem curent se copulari. Quia Catholicae parti inculcandum esset, tale matrimonium non tantum illicitum esse, sed etiam fore invalidum ex defectu assistentiae proprii Parochi. Praedicantes vero graviter essent puniendi, quod praesumant alienorum Parochianorum matrimoniis assistere; cuiusmodi poena esset amotio ex illa conditione, in qua antea fuit; vel comminatio privationis exercitii in tali loco, quandoquidem cum hac conditione est illis concessum diaetaliter exercitium acatholicum, ne se immisceant rebus parochialibus Parochorum Catholicorum circa eorumdem Parochianos.

265.

Decretum Commissionis Regiae Schemnicziensis contra apostatas, et de prolibus e mixto matrimonio genitis catholice educandis, dd. 8. Febr. 1703.

§. 2. Ut praelibatae Sacratissimae Majestatis Resolutioni, atque Excelsae Camerae Aulicae ordinationi pro debito satisfiat, serio praecipitur: ne apostatas a Romana Catholica Ecclesia impunes patiantur, sive ad hanc Civitatem Schemniczienscm iidem spectent, sive Montano subsint Judicio; in quo partes suas antelatus Magistratus Civicus, aut D. Montium Praefectus accuratissime pro conscientia adimplebit; neque patientur, ut Catholicorum parentum proles a Lutheranis pervertantur, sed in huius delicti reos gravissime animadvertent, agentque pro voluntate Caesareo — Regia, ut disparis religionis coniugii proles eam partem sequantur, quae Catholica fuerit. — — Ex Commissione C. R. Schemniczii die 8. Februar. 1703. Thomas Handler, m.p.

266.

Repraesentatio Cardinalis Primatis Augusti Ducis Saxoniae ad Regem de excessibus Acatholicorum, et in specie de mixtis matrimoniis, dd. 15. Februarii 1714.

Allerdurchlauchtigster etc. Nachdem Ew. Majestät mir unlängst die *Mandata Visitatoria* sowohl für mein Erzbisthum

Gran, als mein Bischofthum Raab, allergnädigst haben ertheilen lassen; so habe ich auch sogleich durch meine Archidiaconos in diesen beiden Diöcesen die Visitation vorzunehmen verordnet; erachte dahero meiner allerunterthänigsten Schuldigkeit gemäss zu sein, Ew. Majestät hiervon eine ausführliche Relation abzustatten. — 2. Stehe ich anbei in der grossen Gefahr und Sorge, dass noch viele Pfarrer werden gar davongehen, und ihre Pfarreien verlassen, weil die Lutherischen und Kalvinischen Praedicanten sich an vielen Örtern, und fast überall eingedrungen, und zwar an solchen Örtern, die ihnen nicht articulariter erlaubet, und an welchen Örtern solche Praedicanten auch anté rebellionem usque ad diem initii rebellionis nie gewesen, auch sogar ein jedweder Edelmann und Armalist in ihren Häusern Praedicanten halten, allwohin dann alle umliegende Dörfer, welche lutherisch oder kalvinisch sein, hinlaufen, sich allda copuliren, ihre Kinder taufen, und auch ihre Leute durch solche Praedicantes begraben lassen; durch welches alles denen armen katholischen Pfarrern die stola, und also ihr Stück Brod, wovon sie leben müssen, entzogen wird. Und ob ich gleich durch meine Archidiaconos sothane Praedicanten habe ermahnen lassen, dass sie sollten die gehorsame parition denen kais. und kön. ergangenen mandatis leisten, und sich denjenigen accomodiren, was letzlich bei der geschehenen Pacification der ungarischen Rebellion war stipuliret und von Ew. Maj. ratificirt und confirmirt worden: an allem diesen kehren sich dennoch solche Praedicanten nicht, sondern bleiben alle Zeit obstinat.

Diesem allem nun, Allergnädigster Kaiser, König, und Herr, kann gar leicht abgeholfen werden, wenn Ew. Maj. abermals ein geschärftes Mandatum sowohl an mich, als an alle Comitate auf das Neue ergehen lassen wollten, dass ich sowohl bei dem Clero, als auch die Comitate unter sich strictissime darüber halten sollten, was die Befehle, so von Ew. Maj. glorwürdigsten Herrn Bruders Majestät, als auch von Ihro Majestät der gewesenen Regentin in puncto Religionis ergangen, und was die darauf erfolgte von Ew. Maj. ratificirte Pacification wegen des Religionswesens in sich halten

ihnen. — — Durch welches alles ich zu Gott die Hoffnung habe, dass unserer katholischen Religion viel würde geholfen werden, auch die Akatholischen sich in keinem Stück darüber beklagen und beschweren können, indem man sie in denjenigen Örtern nicht perturbiret, wegen ihres exercitii Religionis, wo sie articulariter angewiesen, und wo sie *die initii rebellionis* gewesen. Hierbei ist auch vonnöthen, dass Ew. Maj. Befehl mir zukomme, wie ich mich sowohl, als auch die andern ungarische Herren Bischöfe sich hierbei zu verhalten haben, wann in denjenigen Örtern, wo denen Unkatholischen ihr freies exercitium Religionis eingeräumet, sich der numerus deren Prädicanten vermehre, wie auch diejenigen zu strafen seien, welche von unserer Religion abfallen, und lutherisch oder kalvinisch werden. Ingleich auch, *wann eine katholische Person, eine andere unkatholische heirathet, ob nicht sowohl die männlichen als weiblichen Kinder katholisch erzogen werden;* denn die Zeit her viele Kinder ohne ihre Fehler periklitiret haben, wann entweder ihr Vater oder ihre Mutter, so katholisch gewesen, gestorben, oder anderer Theil hernach solche Kinder hinwegnahm und lutherisch oder kalvinisch haben erziehen lassen, auch wohl gar desswegen solche aus Ew. Maj. Erbkönigreich Ungarn und andern Erbländern in fremde Länder verschicket.

Wien, am 15. Febr. 1714. Cardinal von Sachsen. m. p.

267.

Circulare Consistorii Strigoniensis ad Parochos de non copulandis personis mixtae religionis, nisi reversales scriptas dent, dd. 28. Julii 1715.

Ex speciali mandato Suae Eminentissimae Serenitatis Domini Archi-Praelati Nostri benigni occasione hodiernae Sessionis Consistorialis determinatum est pro bono vitae ecclesiasticae et muniorum pastorali curae suae incumbentium, denique ardentiori zelo promovendi cultus divini, et propagatione S. Rom. Catholicae unius solius salvificae fidei: quatenus unusquisque DD. Parochorum catechiset populum — — praesertim in locis haeresi infectis, plebeos haereticos fervorenti adhortatione, nobiles autem subinde affabilitate, et non

asperis verbis ad amplectendam veram fidem R. Catholicam disponere satagat. Sponsum item et sponsam ex rudioribus et minus gravitatem Sacramenti matrimonialis intelligentibus ante copulam de punctis fidei examinet cum brevi doctrinae Christianae declaratione; *Sponsam Catholicam cum haeretico non copulet, nisi rationabilis et gravis causa intervenerit, et tunc etiam erga sufficientem cautionem scripto dandam, quod videlicet in fide et religione catholica non turbabit, proles omnes in fide Catholica educari permittet, nec eandem ad haeresim disponet, aut quoquomodo impediet, cum grave periculum sit, ob potentiam maritalem et sexus muliebris imbecillitatem, perversionis.*

268.

Eiusdem Consistorii in eodem merito Circulare, dd. 18. Septembr. 1716.

— — Matrimonia Catholicorum cum Acatholicis (praesertim ubi vir acatholicus est) bonis, quantum fieri potest, modis dissuadeant, et si dissuaderi non possunt, antequam pars acatholica se *sub certo vinculo in scriptis* exprimendo obliget, quod partem catholicam in Fide orthodoxa imperturbatam relinquere, proles vero utriusque sexus in eadem fide et religione educare velit, eadem matrimonia contrahi non permittant.

269.

Reversales occasione matrimonii inter Gothofredum Wernhard Aug. Conf. et Josepham Vorigin R. C. in Archidioecesi Strigoniensi initi, de 22. Septemb. 1716.

Infrascriptus per praesentes recognosco, quod posteaquam per Suam Eminentissimam Serenitatem Cardinalitiam Christianum Augustum Ducem Saxoniae veluti Archiepiscopum Strigoniensem mediante benigno suo Mandato eatenus publicato, *ne nimirum diversae religionis personae copulentur, nisi pars Acatholica de non turbando uxorem in Fide sua RCatholica, deque educandis in eadem utriusque sexus prolibus praestet reversales*, eidem Mandato ex parte mei

quoque satisfactum iri satagens, sub vinculo quippe trecentorum florenorum in casu contravenienti ex bonis meis ubicunque reperibilibus per A. R. D. Plebanum Baziniensem desumendorum, uxorem meam Josepham Vorigin, alias R. Catholicam in fide sua numquam et nullatenus turbaturum, prolesque ex ea descendentes in fide R. Cath. educaturum, et neque illam neque illas ad fidem meam (etsi illam mori, meque aliam meae fidei ducere contingeret) coacturum, omnimode appromitto, et spondeo, meque sub praeattacta poena obligatum reddo. Bazinii, die 22. Sept. 1716. Gothofredus Wernhard. m. p.

270.

Epistola Parochorum Scepusiensis Montani Districtus ad Primatem pro manutenendo statuto de non copulandis Sponsis mixtae religionis, dd. 17. Martii 1736.

Celsissime etc. Ducti exemplo adiacentium nobis locorum (uti est Rosnavia, Jolsva, Jaszovia, ac utrumque Metzenséff), Decanatus huius Montani Parochi, pro bono itidem et lucro animarum id ipsum fore videntes, ab annis circiter 20. Catholicum cum lutherana, aut e contra, matrimonio non iungi statuerunt. Quod ipsum in tantum profecit, ut potiora et praecipuiora loca Decanatus huius se constitutioni huic absque ulla ambiguitate submiserint. Quinimo licet duriores haeretici se initio opponere niterentur, modo tamen et ipsi bene constitutum esse agnoscunt. Quia vero Illmus Dnus Praepositus noster (non obstante, quod hanc nostram constitutionem in Canonica Visitatione simili casu approbasset, insuper et hoc anno a toto hocce Decanatu pro manutentione humillime requisitus fuisset) hoc in passu et in Vagendriszl quoad simile matrimonium dispensavit, et similiter ad copulandum catholicum cum lutherana Parochum Krompachiensem sub poena amissionis beneficii coëgit: praesentibus Decanatus hicce Montanus Szomolnokini in Domino congregatus apud Suam Celsitudinem — refugium quaerit, demississime pro manutentione constitutionis huius supplicando, ut eadem nobis benigne concedatur ultronee. Et

quia nos indignos benignissimo responso Suae Celsitudinis aestimamus, ea de ratione, nisi prohibitorio mandato a Sua Celsitudine arceamur, cum lucrum animarum promovere, et violationem praeceptorum Ecclesiae, ac tricas matrimoniales unice ob diversitatem fidei provenientes, evitare velimus, in eadem constitutione persistere cogitamus; maxime cum id ipsum supra nominata vicina loca, absque offensa tum Sacratissimae Maiestatis, tum Suae Celsitudinis practicare videamus. Et his nos altissimis gratiis etc. Parochi districtus Oppidorum montanorum in Scepusio. Szomolnok, die 17. Mart. 1736.

271.

Rescriptum Principis Theodori Lubomirszky Capitanei Scepusiensis quoad Protestantes, et signanter mixta matrimonia, dd. 9. Januar. 1728.

Theodorus etc. Universis et singulis —— tenore praesentium significamus: Quod Nos, licet quidem ante annos aliquot iustis rationibus ducti, singulari Decreto, meros Catholicos ad obeundos Magistratus eligendos destinassemus: nunc tamen perspecta subditorum Nostrorum Augustanae Confessioni addictorum erga Nos illibata fidelitate, et promta ad quaevis mandata permoti obedientia, eos quoque pariter omnium Magistratualium officiorum — capaces declarandos esse duximus, sicut hisce praesentibus declaramus, dantes et concedentes omnium Oppidorum Communitatibus libertatem (absque tamen evidenti, quod absit, personarum Catholicarum contemtu, si aptae ad similia invenirentur munia) cuiuscunque e gremio sui sine discrimine Religionis vel Catholici vel Acatholici Iudicis aut Comitis eligendi, dummodo sit fidelis, sobrius, moderatus, minime factiosus, et ita compositus, in quo nihil desideretur, quod honestae vitae, bonis moribus, integritati iudiciorum, immunitati Ecclesiarum Catholicarum, quas salvas et illaesas pro principali volumus, praeiudicet, quinimo reassumimus ante lata per Nos et Commissarios Nostros, uti signanter Podolisciana Decreta, serio demandantes, universis XIII. Oppidorum incolis, utriusque sexus: *primario*, ut saltem pro concio-

nibus diebus Dominicis ad Ecclesias Parochiales Catholicas sub poenis arbitrariis Fisco Nostro et Ecclesiis adiudicandis — compareant. *Secundario* autem, siquidem Nobis constant multi et ausus et abusus in dominio Nostro singulari reprehensione digni, quod multae proles ex Catholicis Parentibus, nescitur qua seductione, in crimen apostasiae labuntur: ideo nunc et in futurum existentes Magistratus severe admonemus, ut tales ad suas privatas domus non patiantur admitti, satis superque contenti, quod ipsimet in sua religione tolerentur. — — *Circa matrimonia in dispari cultu contrahenda hoc fixum perpetuumque volumus, ut similes contrahentes circa copulationem authentica assecuratione coram Parocho vel Vicario loci se obstringant, non alio in fide educandam prolem praeterquam vera Romano Catholica.*

Datum Igloviae, die 9. Jaunar. 1728.

272.

Opinio Commissionis Religionariae Art. 30. an. 1715. exmissae circa mixta matrimonia, dd. 21. Jun. 1722.

XIII. Cum Religio Catholica sola haereditaria sit in hocce Regno Apostolico, multoque (nulla comparatione admissa) eminentior professione Acatholicorum; mirari non debent Acatholici, si diversae religionis sponsos Parochi Catholici copulent, aut ex diversae religionis matrimonio proles in Catholica fide educentur; imo e converso Praedicantes in similibus contra praerogativam et iurisdictionem Plebanorum excederent, cum tamen scire debeant professionem ipsorum tali cum conditione primi illius toties repetiti Viennensis Articuli admissam esse, ne ipsi in progressu sui exercitii praeiudicent Catholicae Religioni, non vero Catholicam Religionem taliter limitatam et restrictam esse, quae per praetensam etiam tolerantiam veluti avita et haereditaria numquam in quaestionem sumta, sicut in statu suo relicta fuit, ita reformari nullo modo posset.

273.a.

Resolutio Caroli VI. Imp. et Regis quoad matr. mixta, de 21. Martii 1731.

Resolutionis conceptus primus: VII. Ut disparis Religionis homines tam in articularibus, quam non articularibus locis praecise coram Parocho loci Catholico matrimonium inire possint, admitti; peculiariter nihilominus et privatim medio Dioecesanorum eo instruendi erunt Parochi, ut si ad peculiarem transactionem super eo, ut omnes proles ex tali matrimonio suscipiendae in Catholica Fide educentur, ineundam contrahentes disponi nequirent, adminus illius, qui orthodoxam religionem profitetur, sexus proles in eadem orthodoxa religione educentur.

273.b.

Eiusdem Resolutionis conceptus posterior, sub quo reipsa emanavit:

Carolus etc. Reverendissimi etc. Demisse relata sunt Nobis Acta Commissionis Art. 30. a. 1715. denotatae, quae nimirum anno 1721. in Libera et Regia Civitate Nostra Pestiensi inchoata, anno vero sequente in altera Libera et R. Civ. Nostra Posoniensi reassumta, et terminata fuit; rite proinde ponderatis ac discussis materiis in eiusmodi actis specifice ac uberius deductis, benigne visum fuit Nobis hac vice sequentem eatenus clementer impertiri resolutionem. —VII. Ut disparis Religionis homines tam in articularibus, quam non articularibus locis praecise coram Parocho loci Catholico matrimonium inire possint, admitti. — Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae, die 21. Martii 1731.

274.

Opinio Consistorii Strigoniensis circa matrimonia mixtae religionis, post Resolutionem Carolinam anni 1731. Primati depromta.

Celsissime etc. Negotium matrimoniorum inter Catholicos ex una, parte vero ex altera acatholicos contrahendorum medio benignarum ad Nos datarum literarum in con-

formitate Resolutionis Carolinae anno 1731. editae, signanter puncti VII. eiusdem sequentis tenoris: „Ut disparis religionis homines tam in locis articularibus, quam non articularibus praecise coram Parocho loci Catholico matrimonium inire possint, admitti" aequanimitati Nostrae tractandum et accomodandum paterne committere dignata est Celsitudo Vestra. Huiusmodi benignae commissioni pro obligatione Nostra satisfacere cupientes, verba et sensum dicti puncti VII. animo et mente saepius revolventes, nullatenus in eo videre, aut ex illo inferre, imo nec inferri posse reperimus, quod Jurisdictio Ecclesiae Catholicae viso etiam eo, quod certissimum periculum perversionis parti catholicae contrahenti ex tali matrimonio immineat, contrahere volentibus assistentiam praebere sit obligata; multo minus tali in casu, quo contrahere volentes paciscuntur, ut proles diversi sexus in diversa religione Parentum educarentur. Siquidem matrimonia talia naturae et divinae legi repugnarent, ita quidem, ut etsi ob rationes publici gravissimas et extraordinarias ac nullatenus aliter superabiles permitti, et dissimulari a Principe Terrae possint, in se tamen etiam tunc damnata, et impia maneant, et qui ea contrahunt, gravissimae Dei offensae se involvant, tamquam naturalis et divinae legis praevaricatores, nulla omnino ratione publici Status, aut consuetudine immemoriali, nec vi et potentia eos a peccato excusare valente. Imo si quispiam cum tali matrimonio Regnum sibi aut alteri lucrari, vel iam habitum ab interitu conservare quiret, tamen sine gravissima Dei offensa, et damnatione animae suae id facere non posset. Haec veritas Catholica est, ac sensus omnium Doctorum Catholicorum. Veritati huic Catholicae accedit altera aeque evidens, videlicet quod Potestas spiritualis et ministerium Cleri in Ecclesia Catholica, Episcoporum utpote et aliorum ab illis participantium Curatorum non ab homine, sed a Deo ordinata, instituta, et collata sit, ita, ut in veritate cum Doctore Gentium dicere possimus, imo debeamus, quod legatione pro Christo fungamur, et Ministri Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei simus, ac a Spiritu S. in medio populi ideo positi stemus, ut iisdem invigilemus, rationem

Summo Pastori et Capiti nostro de illis olim reddituri. Qualiter ergo, amabo, convenire poterit huic potestati nostrae de coelo datae, et ministerio tam sancto a Deo unice in salutem animarum instituto, ac in eum, et non alium finem impendendo: ut matrimoniis diversae religionis hominum promiscue assistere, illis formam ad validitatem necessariam atque adeo substantialem addere, etiam tunc, dum certum adest periculum de perversione partis catholicae, imo dum etiam expresse a contrahentibus cavetur, ut proles ex tali matrimonio nasciturae, si diversi sexus fuerint, diversae quoque religionis parentes in fide sequantur, possimus imo debeamus contra iustissimos remorsus et dictamina conscientiarum nostrarum: cum talia matrimonia, ut iam dictum, damnata, sacrilega, legi naturae ac divinae repugnantia, nullaque ratione publici Status, et consuetudine etiam immemoriali a peccato excusabilia ab omnibus Doctoribus Catholicis teneantur et doceantur? Et ideo licet a Catholicis Principibus terrae ob inevitabilem necessitatem tamquam inimpedibilia dissimulari possint, praecipi tamen ob qualemcunque necessitatem aut utilitatem sine gravissima Dei offensa et damnatione nequeunt; quae enim Potestas Catholica alicui haeresim, et per illam servitutem peccati, ac per consequens damnationem aeternam praecipere posset ac vellet? quae ex iam dictis matrimoniis manifeste sequuntur. Nos ergo Ministri Christi, dispensatores mysteriorum Dei, qui pro Christo legatione fungimur, contractus tales matrimoniales, medio quorum animae, pro quibus Christus mortuus est, nos vero de muneris nostri obligatione strictam reddituri sumus rationem, officio et authoritate nostra solennisabimus, validos reddemus? cum praeter intrinsecam indignitatem et malitiam talium contractuum ac manifestum et lethale peccatum contrahentium, in fideli populo ex tali concursu nostro grave scandalum oriatur; dum enim hoc a nobis populus fieri videt, in contractus tales tamque damnabiles et periculosos, quidcunque in contrarium verbis dicamus, victus cupiditate carnis et temporali emolumento, coeco impetu ruet, sicque etiam facto nostro ad illos ineundos inducetur.

Ex quibus clarum evadit, in circumstantiis his, in quibus vivimus, non aliter cum personis diversae religionis matrimonium contrahere volentibus agendum disponi posse, quam ut cuique Curato intimemus, ut dum ad assistendum diversae religionis Sponsis matrimonium contrahere volentibus requisitus fuerit, primum et ante omnia pro capacitate sua et doctrina a Deo sibi data contrahere volentes catechisare, partem quidem catholicam de periculo aeternae damnationis, quod sibi et prolibus ex tali matrimonio imminet, serio edocere, acatholicam vero, ut ab errore resipisceret, adhortari, fidemque orthodoxam appositis pro re nata verbis rationibus et argumentis amplectendam suadere adlaboret; his tamen nihil conducentibus assistentiam difficiliorem reddat, et tantisper etiam deneget, et si post haec quoque instare non cessaverint, inclinatione personarum aliisque ad rem conducentibus circumstantiis accurate examinatis, si nullum periculum perversionis partis catholicae, aut educationis in errore haeretico prolium timeri possit, acceptis Reversalibus a contrahere volentibus de non pervertenda parte catholica, et prolibus utriusque sexus in orthodoxa fide educandis matrimonio eorum assistatur, et ritu catholico copulentur non tamen prius, quam negotium genuine et circumstantialiter Officio Vicariali perscripserit, ac inde resolutionem acceperit.

Ubi vero omnibus perpensis certum appareret imminere periculum perversionis partis catholicae contrahere cupientis, aut in haeresi educandarum prolium, neque praemissae Reversales haberi possent: assistentia denegetur, prouti, et quidem a fortiori tunc, dum pactum intercedere inter partes manifeste observaretur, de educandis in diversa religione sexus diversi prolibus. Sic enim pastorale ministerium nostrum in aedificationem, et non in ruinam animarum institutum impollutum, conscientias quoque nostras mundas servabimus, sed et benignis Piissimi Caroli Imperatoris Resolutionibus, quantum in nobis, et libertate conscientiarum nostrarum situm est, pro homagiali obligatione nostra morem geremus. Nam praeceptum rigorosum contra rationem et sanctitatem ministerii, libertatemque conscientiarum nostrarum a Catholicis-

simo Principe nobis impositum esse, asserere nullatenus praesumimus, verum hoc solum voluisse illum declarare in humilitate censemus, quod, quemadmodum ob rationem publici Status damnata et iam superius exposita connubia invitus licet contrahi admittat, et non mandet, ita matrimoniis illis Catholicos Parochos ob eandem rationem publici Status assistere tantum sinat (salvis ceteroquin eorum conscientiis), sed non iubeat. Sensus hic quam conformis et connaturalis sit verbis benignae Resolutionis Carolinae in puncto VII. comprehensis, verba ipsa ostendunt, sed nec substratum ipsum aliud suadet. Obiiciat licet quis, „quod substrati huius natura adesse praeceptum in Resolutione Carolina stringens Parochos Catholicos etiam in casibus iam supra insinuatis diversae religionis sponsis assistere, clare evincat, siquidem si Parochus Catholicus taliter contrahere volentibus non adstiterit, vel pars catholica praevie pervertetur, fine eo, ut acatholicus Minister citra laesionem Resolutionis Regiae matrimonio illius assistere valeat, vel parte catholica manente in fide sua, nubere tamen acatholico volente, necessitas imponetur Ministro acatholico impune diversae religionis sponsis contra Resolutionem R. assistendi: ad quae antevertenda videtur certius adesse in Resolutione Carolina praeceptum obligans Parochos Catholicos ad assistendum diversae religionis sponsis etiam tunc, dum moraliter certum apparet periculum perversionis partis catholicae contrahentis et educationis prolium in haeresi, aut dum cum pacto prolium diversi sexus in diversa religione educandarum matrimonium attentatur." — Verum haec nihil evincunt, imo retorquetur argumentum: nam sicut quidam frigidi Catholici pervertuntur propter denegatam assistentiam a Parocho Catholico, ut coram Ministro acatholico contrahere possint, aut perversi sunt: ita multi acatholici, ut Catholicis iungi valerent, fidem Catholicam amplectuntur, et amplexi sunt, docente advoluto cathalogo. Et aliunde pars, quae ob denegatam a Parocho Catholico assistentiam fine libere contrahendi coram acatholico Ministro pervertitur, illa etsi catholica coram Catholico Parocho cum parte acatholica contraxisset, et certius in matrimonio apostatasset,

prout centeni et centeni praecipue sexus sequioris iam in matrimonio constituti fidem catholicam abiurarunt, docente hoc ipsum producto sub ⁒. — Deinde quaerimus, cur permittitur pars catholica contrahere cum parte acatholica volens propter matrimonium tale impune perverti, si aliter coniungi nequeat? Certe nec divina nec humana lege hoc ipsi integrum est. Divina et naturali lege certe non, quia matrimonium Catholici aut catholicae cum parte acatholica certo cum periculo perversionis partis catholicae, multo magis cum pacto de prolibus diversi sexus in diversa religione educandis initum, de sensu omnium Catholicorum Doctorum, ut iam diximus, impium et damnabile est, nec ulla ratione Status publici, aut commodo vel incommodo partium contrahentium a peccato et damnatione excusari potest. Taliter ergo contrahens Catholicus sacrilege et impie agit, qualiter ergo impune abibit, qualiter iure naturae aut divino illud praetendere posset? Quid ergo, manebit in celibatu pars catholica, si compartem catholicam acquirere nequibit, et diversae religionis parti nubere non licebit? Certe ita, nec mirum cuiquam hoc videatur, aut a veritate alienum; nam sicut ex eo, quod mulier fortunam nubendi usque ad aetatem adultam non habeat, nec se habituram facile speret, imo nec certo iam sperare possit, non acquirit ius se prostituendi, et si fecerit, coram Deo et mundo peccatrix reputatur, et est, et iustissime punitur: ita nec persona catholica ius acquirit propter matrimonium cum damnato a lege divina et natura pacto contrahendum impune fidem orthodoxam deserendi, etsi alias nubere nequeat, et si deseruerit, peccat, et iuste punitur et debet puniri. Et quemadmodum parti catholicae propter matrimonium praecipue cum apposito pacto de prolibus in diversa religione educandis cum parte acatholica contrahendum ius non tribuitur fidem orthodoxam impune deserendi, etsi aliter nubere nequeat: ita eadem lege naturae et divina ius non datur Acatholico partem catholicam libere propter matrimonium tale seducendi. Imo lex Patriae nostrae in hoc ipsi palam resistit, quia de dictamine illius, signanter Art. 1. a. 1608. quilibet Acatholicus in patria solum toleratur, ut in se libere

possit manere talis, qualis est, absque praeiudicio tamen Religionis Catholicae. Cum autem manifestum praeiudicium sit, personas catholicas in matrimonium cum certa earum perversione accipere, aut ex sangvine Catholico nascituras proles interposito catenus pacto in damnato errore educare, vitaque aeterna privare, ideo id a Catholicis tamquam tolerati nec lege Patria expetere possunt.

Nec iuvat dicere, non gratis petere Acatholicos sexus sui proles in errore et dogmate suo educandas, licet ex comparte catholica natas, cum ipsi vicissim ex se genitas sexus Catholicae partis in fide Catholica educandas offerant; quia pars acatholica in matrimonio existens ipsamet sub poena aeternae damnationis lege divina et naturae fidem orthodoxam amplecti et ad veram Christi Ecclesiam, extra quam nulla salus, redire obligatur; obligatur utique eadem lege ex se natas proles etiam in fide salvifica educare, cum ergo prolem sexus compartis suae catholicae in fide catholica educari permittit, et paciscitur, facit, quod lege Dei et naturae sub poena aeternae damnationis facere obligatur; quo ergo iure a parte catholica potest expetere, et praetendere, ut sexus sui proles in damnato suo errore educari permittatur, et qualiter potest sine offensa Dei in pactum deduci, ut pars catholica legem Dei et naturae praevaricando prolem ex se natam cedat aeternae damnationi in errore educandam, propterea, quod compars eius acatholica, aliunde lege Dei et naturae ad id obligata, prolem alterius sexus in fide salvifica educandam cedat? Claudicat ergo manifeste contractus hic, imo a via salutis penitus deflectit: in quo scilicet pro prole ad exigentiam legis Dei et naturae fidei Catholicae et saluti cessa, altera contra legem Dei et naturae errori et damnationi aeternae ceditur et addicitur.

Sed dicet hic Statista: utut sit, eo tamen iam deducta res est, quod ratio Status publici matrimonia talia a Principe permittenda velit. Verum etiamsi quis in medio Regni huius constitutus circumstantias, genium, et convictum populi diversae religionis optime perspecta habeat, non tamen observabit facile necessitatem adesse, sacrilega haec connubia im-

pune et promiscue permittendi. Ast sit ita, quod ratio Status publici Principi eadem toleranda imponat: interim numquam ratio illa Status in tantum invalescere potest, ut taliter contrahentes a lethali culpa absolvat, aut Principem Catholicum authoriset ad praecipiendum matrimonium tale alicui in particulari sine gravi Dei offensa ineundum; siquidem matrimonium tale et contractus semper et ab intrinseco scelus est: quomodo ergo cogi posset Minister Christi, dispensator mysteriorum Dei, ex cuius manu animae curae suae commissae olim requirentur ,(qualis est quilibet Curatus Catholicus) contractum omni lege damnatum atque adeo nullatenus cohonestabilem ministerio et assistentia sua solennisare, validare, sicque facto suo innocenti populo de eo quasi libero imponere, assequi profecto nequimus.

Quid ergo fiet, si ad assistendum taliter contrahentibus Parochi Catholici cogi nequiverint, nec sponte facere voluerint, nisi Acatholici Ministri ad assistendum licitentur? hoc autem videretur fore maius malum, quam si Catholici Parochi assisterent; sic enim tam accurate contractus de educandis in diversa religione diversi sexus prolibus nec celebrarentur nec observarentur, cum tamen ex duobus malis minus eligendum esset? Sane optandum foret, quod, sicut Parochos Catholicos ratio ministerii sui, et sanctitas officii, ac vocationis in conscientia prohibet a tali assistentia, ita potestas laica Acatholicos Ministros numquam licentiaret ad illam praestandam. Interim parum aut prorsus nihil interest, quantum ad securitatem educationis prolium diversi sexus in religione diversa, sive Parochi Catholici, seu Acatholici Ministri tali damnato contractu affectis matrimoniis assistant; siquidem experientia sangvineis profecto lacrymis deflenda docti simus, millies et millies contractibus coram Parochis Catholicis de non pervertenda parte catholica datis derogatum esse; si ergo ipsa pars contrahens Catholica seducta contractui de se non pervertenda dato stare a parte acatholica permissa non est, non obstante eo, quod coram Parochis Catholicis contraxerint: quid aliud de prolibus quoque (dato licet coram Parocho Catholico de illis in fide Catholica educandis contractu) sperare possimus a talibus, quos nobis

toties illusisse, fidem datam violasse, experti sumus, et aliunde Deo infideles etiam credimus et noscimus. Sed demus, quod in aliquo casu particulari melius provideretur dicto contractui, si Catholicus Parochus assisteret: inde tamen non sequitur, quod per hoc Catholicus Parochus ad assistendum in conscientia liber evadat, aut quod ad id cogi possit, multo minus, quod ad impediendum nefors maius malum ex adverso emergens, facere hoc in conscientia obligetur. Quia etiam in casu illo adhuc contractus et matrimonium est sacrilegum, contrahentesque sacrilegi et graviter Deum offendentes.

275.

Circulare Vicarii Strigoniensis ad Parochos de copulatione Sponsorum mixtae religionis, dd. 15. Januar. 1743.

— — Parem quoque vigilantiam necesse est adhibere, ne deinceps matrimoniis Catholicorum cum haereticis assistatur, non obstante etiam Decreto Caesareo-Regio eatenus emanato, priusquam nempe eiurata haeresi pars altera fidem catholicam amplectatur. Longa quippe experientia exploratum habetur, proles ex eiusmodi matrimonio susceptas iuxta exigentiam dicti Decreti in Fide Catholica non modo non educari, verum ad pravitatem haereticam etiam contra Reversales de se dari solitas abduci, idque non sine periculo perversionis ipsius quoque compartis saepe iam cum effectu secutae. — Quia vero reperientur aliqui forte, qui non modo propriae conscientiae vocibus obsurdescant, sed etiam constitutioni Pontificiae primum, dein vero et huic meae parere negligant: hinc noverint tales in se debita poenarum districtione animadversum iri. In quem finem Dom. Vestram hortor et impense moneo, ut creditae sibi provinciae sedulo invigilet, atque si quoad praemissa defectum aliquem in aliquo fratrum observaverit, eundem mihi, nisi praemonitus resipiscat, sub amissione officii sui deferre cogatur. Ut autem horum omnium notitia ad successores quoque Parochos pervenire possit, volo, ut tam Bulla Pontificia, quam etiam

Circulares meae cum consueta authenticatione descriptae inter Acta Parochialia diligenter asserventur. In reliquo. Tyrnaviae, die 15. Januar 1743.

276.—279.

Resolutio Regia ad praecavendam apostasiam a Fide R.Catholica, in qua etiam de matrimoniis mixtis, dd. 2. Januarii 1749.

a) 276.

Votum Commissionis Religionariae circa mixta matrimonia.

— — Causa frequentis apostasiae sunt: connubia disparis religionis, praesertim dum maritus catholicus uxori acatholicae, aut e converso, studio complacendi per damnabiles contractus se obligat, quod prolium acatholicam educationem impedire nolit; vel praeter eiusmodi contractum ex conniventia acatholicam vel plane indifferentem in fide educationem prolium suarum patitur. Proximum quidem esset quoad hoc remedium: simplex inhibitio ineundi in posterum inter diversae religionis homines matrimonii; si tamen tolerari in futurum quoque matrimonia talia deberent, non sub alia conditione admittenda, quam *ut omnes proles in Catholica fide educentur, contractus vero in contrarium sive hactenus initi, sive quandocunque et sub quibuscunque conditionibus ineundi ipso facto pro nullis habeantur.*

b) 277.

Opinio Cancellariae R. H. dd. 24. Octobr. 1748.

Neque Cancellaria haec diffiteri potest, multum Religioni Catholicae obesse huiusmodi diversae religionis personarum matrimonia, in quibus saepe contingit, maxime si mulier catholica viro acatholico nubat, quod non solum proles omnes in haeresi educentur, sed ipsae quoque mulieres maritis complacendi studio pervertantur; practicabile tamen esse non videt, ut stante hac binarum Augustanae et Helveticae Confessionum in Regno tolerantia, et populi Catholici cum Acatholico commixtione, huiusmodi matrimonia generaliter

prohiberi sine magno strepitu possint; illud tamen et ad Religionis augmentum, devitandamque apostasiam multum conduceret, et practicabile fore videretur: si, toleratis diversae religionis matrimoniis, statueretur; ut haec secus contrahi non possint, quam ea cum expressa conditione: *quod omnes indiscriminatim seu masculae seu foeminae proles in fide catholica educari debeant;* nam praeterquam quod contractus, quibus caveri solet, ut mares patrem, foeminae autem proles matrem in religione sequantur, contra naturam et caritatem parentum prolibus suis non temporalia solum, sed etiam multoque magis spiritualia bona et velle et providere obligatorum existant, etiam Catholicae conscientiae penitus repugnant: qua enim ratione pars chatolica, quae omnes acatholicos aeternae damnationi subiectos credere debet, salva conscientia sua consentire in id possit, ut proles sua in haeresi educanda ad damnationem aeternam properet, profecto non videri. Quod ipsum licet etiam ex parte acatholicorum pugnare videatur, cum nihilominus liberum ipsis sit cum hac vel illa persona matrimonium contrahere, neque ad ducendam catholicam ullus cogatur, dominantis praeterea Religionis semper potior ratio sit habenda: idcirco censeretur, ut Majestas Vestra SSma toleratis diversae religionis matrimoniis contractus praemissos in futurum clementissime prohiberi facere dignetur.

c) 278.

Votum Conferentiae Ministerialis, dd. 19. Decemb. 1748.

Optaret quidem Conferentia hoc quoque medium augmentandae Religionis secundare, nisi graves in contrarium occurrentes rationes dissuaderent; nam id ipsum Resolutioni Regiae a. 1731. super actis Commissionis Pestiensis impertitae contrariaretur, et effectus eius absque notabiliore strepitu vix consequi posse speraretur; sed etiamsi effectus subsequeretur, metuendum tamen esset, ne exemplo hoc vicini Principes Acatholici incitati, simile quid in Provinciis suis in diminutionem Catholicorum ibidem degentium statuant, unde plus detrimenti Religioni Catholicae in aliis Provinciis

inferri posset, quam hic utilitatis accederet. Unde Conferentia haec existimaret: *ut punctum hoc simpliciter omittatur, et quemadmodum hactenus, ita in posterum quoque Dioecesanorum et Parochorum industriae, si quid eatenus in particulari utiliter mediis placidioribus operari possint, relinquatur.*

d) 279.

Resolutio Regia dd. 2. Januar. 1749.

Maria Theresia etc. Intuitu formandi contra apostatas processus, dictandaeque huic crimini tam frequenter in hoc Hungariae Regno occurrenti poenae, nec non ponendi eidem pro futuro remedii, demissam Fidelitatum Vestrarum opinionem una cum elaborata eatenus per Commissionem in materia Religionis ordinatam idea, benigne percepimus, quam secundum universa eiusdem puncta referri Nobis facientes, pro generali hac in parte in posterum et usque ulteriorem benignam dispositionem Nostram servanda norma sequentia resolvimus:

VII. Parochi bono modo, non coactive, Parentes eo disponere adlaborabunt, ut proles ex diversae religionis matrimoniis susceptae, ritu Catholico educentur, desuperque *Reversales* porrigant: Dioecesanis duntaxat, et medio horum Parochis pro debita observatione; circa orphanos vero, ut in fide Catholica educentur, Magistratibus, Dioecesanis item et medio horum Parochis Consilium hoc Locumtenentiale diligentem curam habendam serio iniunget.

VIII. Parentes Catholici sub gravissima animadversione a mittendis ad scholas acatholicorum prolibus, Ludimagistri vero acatholicorum sub mulcta 12. flor. ab ipsis desumenda, et in casu ulterioris contraventionis duplicanda a recipiendis eiusmodi catholicis prolibus inhibendi.

Viennae, 2. Januarii 1749. Maria Theresia. m. p.

280.

Statutum Agriensis Episcopi Francisci C. Barkóczy de mixtis matrimoniis, dd. 17. Martii 1749.

Part. I. Cap. 1. §. 7. — — Inter diversarum religionum asseclas matrimonia contrahi in futurum quoque non

admittantur, ubi usus iste laudabilis hactenus viguit; alibi autem, quantum bona modalitate et sine strepitu fieri potest, satagant Parochi propter periculum animarum, ne similia matrimonia, postquam ea Ecclesia Catholica omni fere aetate reprobavit, contrahantur, vel saltem procurent, ut *sufficiens* a contrahentibus praestetur *cautio* de prolibus utriusque sexus catholice educandis, idque sub vinculo pecuniario in casu contraventionis infallibiliter desumendo.

281.

Eiusdem Episcopi Agriensis decretum eodem in merito, dd. 22. Aprilis 1749.

— Talibus, qui diversam religionem sequentes matrimonia in posterum inire volent, per expressum declaretur: ut, si voti sui compotes fieri volunt, ad exigentiam puncti VII (Resol. R.) et iuxta praescriptum Statutorum Dioeces. P. I. Cap. I. §. 7. *securas Reversales* de prolibus ritu Catholico educandis per Vice-Arhi-Diaconum mihi praevie mittant.

282.

Commissa Visitationis Canonicae pro Archidiaconatu Gömöriensi, Primatis Nicolai C. Csáky, a. 1753.

8. Occasione, qua diversae religionis Sponsi semet pro matrimonio insinuabunt, sequentem normam inviolabiliter observet Parochus: ante cetera compartem acatholicam argumentis e Scriptura Sacra, et Doctrina Ecclesiae ac Patrum desumtis, uti et propositione irreparabilium animae damnorum ad conversionem excitet, et motivis spiritualibus adducere mansuete et zelose adlaboret; quodsi tamen per aliquod tempus iuxta prudentem suam discretionem pro exigentia circumstantiarum determinandum cum tali nihil profecerit, tunc alteri Catholicae parti pericula et ruinas ac indecentem Catholico homine contractum ob oculos proponat, eique salutaribus motivis et instructione spirituali matrimonium tale dissuadeat. Tum vero, si cum neutra parte catechisanda et adhortanda optatum consequatur effectum,

interposita adhuc mora, et intentione ipsorum per dilationem nonnihil suspensa, tandem negotium hoc Officio Nostro Vicariali perscribat, sed cum informatione ex visis omnibus circumstantiis capienda, an spes sit, quod pars catholica et nasciturae proles in tali matrimonio non pervertentur; quibus praemissis, quid ultro agendum sit, resolutionem ex Officio Nostro Vicariali praestoletur.

9. Si tamen ex indultu Nostro, vel Officii Nostri Vicarialis contingeret partem catholicam cum acatholica iungi matrimonio cum promissione, omnes proles ex tali matrimonio nascituras educandi in vera fide catholica: attendat Parochus, ut quamprimum tales proles Sacramentalis Confessionis capaces exstiterint, easdem ad eandem peragendam adurgeat, et si non aliter, etiam implorato auxilio Magistratuali vel dominali effectuet. Quodsi vero contingeret, (quod Deus avertat) partem catholicam post initum tale matrimonium a vera fide catholica deficere, aut proles suas in vera fide non educare, statim talem Officio Nostro Vicariali denunciet.

283.

Repraesentatio Primatis Nicolai C. Csáky ad Thronum Regium contra matr. mixta occasione casus particularis dimissa, dd. 16. Martii. 1754.

E benigno Maj. Vestrae SSmae mandato sub dd. diei 8. curr. ad me clementer inviato querimoniam B. Simonis Ladislai Révay statum coniugalem cum Nob. Justina Lehoczky Aug. Confessioni addicta inire volentis, ex ratione tamen disparitatis religionis hactenus impediti, perdemisse intellexi. Nota mihi quidem est clementissima Resolutio Carolina in eo, ut disparis religionis homines praecise coram Catholico Parocho matrimonium inire possint, emanata; verum et una animarum ruinas, plurima item mala ex eiusmodi connubiis promanasse, ac in dies pramanare dolenter experiri debeo. Experior quippe, quisnam effectus diversae religionis coniugia subsequatur, ubi disparis religionis coniuncti homines non obstantibus tot benignis C. R. inhibitionibus atque de educatione prolium in orthodoxa fide ex se datis reversalibus, non modo datam fidem frangere, proles utriusque sexus

in haeresi educare, aut eo in Patria non succedente, ad exteras Provincias educandas tradere; verum nonnumquam ex ipsis etiam coniugibus partem catholicam occoecando a vera fide sua dimovere, et ad dogmata acatholicorum deflectere consuecuerunt. Cui malo nos Episcopi, quorum vocationis est, haeresim ex hoc Apostolico Regno si non penitus tollere, saltem imminutioni eius studere, nitimur quidem pro viribus nostris obviare, desciscentes et oberrantes oves processibus etiam mediantibus ad ovile Christi reducere; sed variis sub coloribus obsistente et invalescente haeresi, vix unquam nobis optatum effectum assequi licet. Atque hinc est, Clementissima Domina, quod iusta commiseratione innocentium animarum et fidefragio Acatholicorum motus, per Dioecesim curae meae creditam talismodi disparis religionis ineundis matrimoniis, quantum in me est, obsistere studeam. Quarum rationum intuitu utinam querulantem quoque praefatum Baronem ab intento suo removere potuissem! plurium abinde sumendum exemplum antevertissem; cuius tamen praesentaneae voluntati, *modo et sponsa de educandis utriusque sexus prolibus in fide Romana, scripto suo caveat*, ad exigentiam benigni eatenus interventi Maj. Vestrae mandati, obicem quidem, sicut non possum, ita nec ponam: vehementer nihilominus metuo, ne idem Baro et eius exemplo plures alii successivis temporibus apud thronum Majestatis Vestrae contra se demisse querulandi necessitatem Episcopis imponant.

284.

Instructio Primatis Nicolai C. Csáky data Vicario Scepusiensi de qualiter copulandis mixtae religionis personis, dd. 27. Junii 1754.

Resolutio Regia de copulandis diversae religionis personis emanata non est eo sensu interpretanda, ut eiusmodi personae, citra omnes Reversales de educandis in orthodoxa fide utriusque sexus prolibus, statim et simpliciter copulari debeant; sed ut animarum Pastores tales personas suavi modalitate primum ad amplectendam Religionem Catholicam, tum hoc non succedente, saltem ad dandas *ex se* de edu-

candis in fide salvifica utriusque sexus prolibus Reversales, non quidem impulsivis mediis, sed solidis argumentis suaviter disponant. Qui ipse modo praevio expositus Resolutionis R. sensus non debet Statui Seculari, tanto minus illis, qui professione fidei a nobis dissident, notus et publicus fieri, sed debet duntaxat pro privata notitia, et directione Curionum deservire. Hinc quemadmodum factum Illmae Dom. Vestrae in eo probo, quod N. N. cum N. N. penes datas ex se authenticas de educandis in Romana Fide utriusque sexus prolibus Reversales, ad antevertenda maiora mala, matrimonialiter copulari fecerit: ita Parochos quoque curae suae creditos in eo, qualiter oblatis eiusmodi circumstantiis eisdem procedendum sit, in praemissis privatim instruendos commendo. Posonii, 27. Jun. 1754.

285.

Resolutio Regia quoad mixtae religionis coniugia, et prolium educationem religionariam, dd. 30. Aug. 1756.

SSmam Caes. Regiam Maiestatem displicenter sane intellexisse, quod impii Parentes Catholici eo prolapsi sint, ut proles suas ex disparis religionis matrimonio progenitas aut in fide orthodoxa educare, aut deviantes ad eandem reducere non conentur; tametsi ex antecedaneis benignis Resolutionibus Regiis nota sit ipsis benigna intentio et voluntas Regia, ut verus Cultus Divinus omnimode propagetur, et hoc fine circa prolium a Parentibus ab utrinque Catholicis aut disparis religionis progenitarum in fide orthodoxa educationem, deviantium vero ad eandem reductionem omnis possibilis cura per Magistratus Jurisdictionatos, et Parentes Catholicos adhibeatur.

Fine proinde praededucto Altefata Sacra C. R. Maiestas clementer resolvere dignata est: *Primo*, ut contra Parentes illos, quorum uterque Catholicus est, proles tamen eorumdem iam sunt perversae, aut in damnato adhuc persistunt indifferentismo, *Actio Fiscalis* Magistratualis erigatur, servatisque de iure servandis, sententia feratur, et ante publicationem Consilio huic Loc. Regio, et abhinc Suae Maie-

stati SSmae submittatur. Non secus *secundo*, contra eos, qui *Reversales* dederunt, ad earumdem implementum procedatur, et ad tenorem reversalium debito iuris ordine convicti puniantur, proles autem adhucdum indifferentes, ut in fide Catholica educentur, instruanturque, iam perversae autem in conformitate Ideae a. 1749. elargitae reducantur: tam Parochi, quam et locorum Magistratus omnem sollicitam per iteratas clementissimas Resolutiones Regias eatenus emanatas eisdem impositam curam, et sollicitudinem sunt impensuri. *Tertio*, in casu vero illo, quo Parentes diversae sint religionis, proles tamen utriusque sexus in acatholicismo educantur, aut iam sunt educatae: in conformitate idealis Resolutionis ex favore *dominantis Religionis* tum quoad educationem, tum reductionem Magistratus Jurisdictionati, et locorum Dioecesani sibi incumbentia sunt acturi. Ac *quarto*, Magistratus Jurisdictionati circa proles in indifferentismo constitutas salutaribus et efficacibus mediis ad orthodoxam fidem disponendas Parochis eatenus circa ipsam modalitatem iam instructis omnem debitam et necessariam praebere teneantur assistentiam.

Quatenus autem in futurum quoque similium perversionum antevertatur occasio, benigne vult Sua Maiestas SSma: *primo*, ut non modo Parentes Catholici a mittendis ad Oratoria Acatholicorum prolibus suis, sed et Ministri et Praedicantes ab omni earumdem prolium seductione quam severissime, et sub comminatione erigendae contra eosdem in casu praevaricationis Actore Magistratuali Actionis inhibeantur. *Secundo*, ne Catholicorum proles a fide orthodoxa deflectant, taliterque malitiam suam in effectum deducere valeant, Locorum Magistratus suam eatenus efficaciter sunt interposituri authoritatem. *Tertio* denique et ultimo, ut Parentes Catholici proles suas ipsimet circa quintum et sextum aetatis annum Parochis eatenus operaturis erudiendas statuere, et ubi Parochi indicaverint, etiam ad Confessionem Sacramentalem peragendam adducere teneantur.

Praedeductam proinde Resolutionem R. accurate omnino et exacte observare, et effectuare, observarique et effectuari facere, ac omnes eatenus occursuros obices, et im-

pedimenta solerter, impartialiter, ac omni cum sollicitudine antevertere, et ad consequendum salutarium harum dispositionum prosperum et optatum successum cum Dioecesano et Parochis locorum mutuam operam locare, hisque debitam et necessariam assistentiam praebere — noverint Praet. Dom. Vestrae. Datum ex Consilio R. etc. Posonii, dio 30. Augusti 1756. celebrato. Comitatui Hevesiensi.

286.

Epistola Encyclica Episcopi Weszprimiensis Martini Biró ad Clerum, ope cuius Resolutio R. quoad mixta connubia 30. Aug. 1756. emanata publicatur et instructio accomoda subnectitur, dd. 23. Novemb. 1756.

Nos Martinus Biró etc. Ex ratione etiam Dei benedictione in hoc Mariano-Apostolico Hungariae Regno praedominantis Romanae Apost. Cath. Religionis medio Exc. Consilii L. Regii, hanc ex subinsertis punctis constantem benignam C. R. Resolutionem, mandatum, et ordinationem, novissimis hisce diebus, intimo pastoralis animi solatio percipientes, Vobis, Dilectissimi, in partem curae et sollicitudinis Nostrae vocatis non modo communicamus, verum etiam in vero, et genuino eiusdem sensu de puncto ad punctum — praesentibus inserentes, per Misericordiam Dei, et animarum pretio magno Christi nempe quasi Agni immaculati sangvine redemtarum salutem vos obtestamur, ut omni meliori modo, zeloque prudenti et discreto, atque in lenitate ac mansuetudine Christi, omni tamen cum fervore, attentione et solertia ita operemini, ut desideratus benignae huius Apostolico-Regiae voluntatis, sanctaeque et salutaris intentionis quamprimum et quam optime sequatur effectus. (*Sequitur Resolutio Regia.*)

Pie recordamini, Dilectissimi, qualesnam dispositiones, et respective statuta ac constitutiones statim in exordio pastoralis Officii Nostri (imo praevie etiam, dum adhuc Vicarius Generalis Capitularis essemus, anno 1744. die 1. Dec.) in hac Dioecesi Weszprimiensi tam de contrahendis diversae religionis personarum matrimoniis (vid. tract. 12.

libri: *Angyali társaságnak szövetsége* de matrim.) ea interdicendo; quam de prolibus utriusque sexus ex eiusmodi matrimoniis progenitis easdem ad gremium S. Matris Ecclesiae, unde innocenter exciderunt, omni possibili modo reduci intendendo, Vobis dederimus. Quomodo item Ministros Acatholicos, ne, si alterutra pars catholica esset, sponsos in matrimonium coniungere, neve Catholicos ad Oratoria sua, minus autem ad panationem, seu, ut vocant, coenam, sed nec disparis religionis coniuges, maxime autem ad partem catholicam spectantes proles admittere, minime autem seducere praesumerent, per totam dioecesim inhibuerimus, in praevaricatores debito juris ordine subinde animadvertendo. Quomodo tandem indifferentismum maxime eotum vigentem illum, quo puellae indiscriminatim usque statum nubilitatis sine ulla certa religione educatae, dum nuberent, etiam ex Catholicis parentibus natae, religionem Sponsi acatholici sequebantur, detestati simus, huiusmodi proles et parentes opportune et importune, in omni patientia et doctrina arguendo, nonnullasque personas taliter cum gratia Dei ad agnitionem veritatis reducendo. Quae ut impiorum parentum, frigidiorumque Catholicorum cordibus magis imprimi, homines in timore et disciplina Domini contineri, haecque et similia facilius resciri, et caveri possent, id etiam constitueramus: ut talismodi defectus vel excessus, ne dicam malitiae hominum puncta quoque et quaesita seu rubricas generalis Canonicae Visitationis Dioecesis istius ingrederentur, hoc modo: „In hac vel illa parochia, matre aut filiali, singillative et viritim, quot sunt hospites coniugati catholici? quot eorum utriusque sexus proles? et tota familia domestica? quot vidui et viduae? quot impuberes et celibes? quot item capaces et quot incapaces Confessionis? quot disparis religionis coniugati, et quot eorum proles utriusque sexus? quot renegati seu apostatae stricte tales? quot confirmati, ac tandem quot ad fidem Catholicam conversi? His omnibus inter reliqua vigore benigni Mandati Regii Visitatorii, cum concursu Officialis Magistratualis per omnes omnino Dioecesis istius Districtus Archidiaconales investigatis, connotatis, et libro cuiuslibet Districtus inscriptis, autumamus, quod quemadmodum cir-

culariter omnibus et singulis animarum in hac Dioecesi curam gerentibus paterne commisimus, ut nempe quivis et singulus statum et numerum animarum sua sub cura existentium cum praeattacta classificatione Vice-Archidiaconi quidem sui Districtus, Parochi vero suae Ecclesiae Matriculae, aut alteri specialiter in hunc finem destinato libro inscriberent, taliterque vultum pecoris sui, seu omnes oves suas noscere, easque nominatim vocare possent, paternis suasionibus, commissisque et iussis Nostris devote et fideliter obtemperaveritis, feceritisque satis. Si ita, ad omnia praededucta commissa facile responderi, benignaque haec C. R. Resolutio in praemissis feliciter effectui mandari potest. Quodsi autem huiusmodi connotationis, et inscriptionis ex quacunque ratione omissio contigisset: tam Parochi antiquiores (qui pro hac incuria et negligentia gravem reprehensionem et animadversionem per Vice-Archidiaconos sibi exaggerandam merentur), quam iuniores, medio quippe tempore ad noviter erectas parochias promoti ad Districtualem suum Vice-Archidiaconum, ab eodem superius circumscriptum animarum parochiae suae statum descripturi, recurrere, vel si neque apud illos maxime noviter institutos Vice-Archidiaconos haberi posset, semet hic apud Nos, ex libris Canonicae Visitationis districtualibus Nobis per eosdem relatis id ipsum habituri, insinuare debebunt.

Interim quia sub sole nihil esset stabile, omniaque continuae vicissitudini, et mutationi obnoxiarentur (omnes enim morimur et sicut aquae dilabimur) consequenter status etiam animarum omnium in eodem statu stabiliter haud permaneret, adeoque in statu illo, in quo animae connotatae et descriptae erant, minime subsisteret, plena tamen eiusdem cognitio ad effectum benignae huius C. R. Resolutionis apprime necessaria foret; licet omni quidem tempore maximo, quo possumus, zelo, pietate et industria in id ipsum conniti et cooperari debeamus; pro uberiori tamen praescriptorum omnium notitia et facilitatione, uti praementionato anno 1744. suaseramus, praeter et extra alia tempora, opportunissimum esse censeremus tempus Epiphaniae Domini, seu benedictionis domuum: cum enim tunc temporis quivis

Parochus loca suae iurisdictionis vicatim et domatim perambulare soleat, eotum et in illis circumstantiis, maxime autem cum assistentia Magistratuali atque etiam dominali eatenus si necesse fuerit expetenda, praescripta omnia perfacile resciri, connotari, ac tandem pro effectuatione benignae istius Resolutionis R. Magistratui Jurisdictionato referri possunt, imo debent.

Porro, ad pleniorem adhuc et faciliorem in se, et in prolibus a veritate aberrantium cognitionem, diebus Dominicis, et Festivis e Cathedra haec ipsa benigna C. R. dispositio publicari, Christi fidelibus energice denunciari, ac pro gravitate rei omnium conscientia ea cum obligatione conveniri debet, ut quemcunque et ubicunque intra vel etiam extra ambitum huius Dioecesis, in particulari autem in hac, cui subsunt, matre vel filiali Parochia de haeresi suspectum, et in specie disparis religionis coniugatos, utriusque sexus eorum proles ex huiusmodi matrimonio vel parentibus ab utrinque Catholicis, sed iam emortuis natos utriusque sexus sive indifferenter educatos, sive iam perversos, praecipue autem renegatos seu apostatas stricte tales, aut quomodocunque et in quacunque aetate a fide Catholica deflectentes, prout quis noverit, nomine et cognominetenus vobis qua spirituali patri suo sincere et conscientiose revelare teneantur. Vos autem rescitos et connotatos omnes et singulos cum specificatione et circumscriptione loci, unde et ubi sunt, sexus item et aetatis, nominis et cognominis expressione medio districtualis Vice-Archidiaconi vestri Nobis genuine transscribere noveritis, et nec intermittatis. Eatis ergo, Dilectissimi, fidelemque Christi populum vobiscum ducatis de virtute in virtutem, eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

Sümeghini, die 23. Nov. 1756. Martinus Biró, Episcopus.

287.

Resolutio Regia circa educationem religionariam prolium e mixtis coniugiis, et de exigendis Reversalibus, dd. 29. Januar. 1761.

Siquidem in pluribus casibus appareat, quod iam non tantum in prolium a disparis religionis parentibus progeni-

tarum in fide orthodoxa debita educatione sufficiens cura et sollicitudo non adhibeatur, quin potins eaedem ad Oratoria et Scholas iam Augustanae, iam Helveticae Confessioni addictorum promiscue mittantur, taliterque partim in reali Acatholicismo, partim vero in damnato indifferentismo educentur; verum etiam ipsae Personae Catholicae res orthodoxae fidei negligenter et segniter agant, et nec Ecclesias Romano Catholicorum frequentent, ac aliis quoque Ecclesiae praeceptis aperte et impune contraveniant; non contravenirent autem, si ipsi loci Parochi obligationi suae pastorali exactius satisfacientes eiusmodi frigidis et langvidis Catholicis Parochianis, eorumdemque prolium convenienti educationi solerter et attente invigilarent; qualiter porro debitam prolium cumprimis in orthodoxa fide educationem ac in genere eiusdem orthodoxae fidei incrementum et augmentum pro solita sua in Deum pietate Sacra Caes. Reg. Maiestas sibi cordi continuo sumat, ex compluribus benignis Rescriptis medio Consilii huius R. L. sibi intimatis Exc. Vestram ubertim iam percepisse non ambigitur: atque hinc Eidem in continuationem illorum de benigno altefatae CR. Maiestatis Jussu intimat Consilium hoc R. L. quatenus Eadem aqud Dioecesis sibi concreditae Curiones efficaciter disponere, eosdemque serio monere, et hortari non intermittat, quo videlicet ipsi qua exemplo, qua verbi divini zelosa praedicatione ipsum quidem Romano-Catholicum populum in verae fidei principiis debite erudire, et omnimode firmare, Acatholicum autem populum et cumprimis proles in Acatholicismo aut damnato illo indifferentismo educatas suavi, ac quavis alia ad id modalitate ad orthodoxam fidem reducere contendant, ac ut taliter reductae in eadem fide constanter perseverent, et nec iterum seduci possint, omnem possibilem vigilantiam, et attentionem pro incumbente etiam sibi pastorali munere adhibeant; ipsi porro Archi- vel Vice-Archidiaconi tempore visitationis omnem sollicitudinem eo impendant, investigentque: an et qualiter res Catholica in hac aut illa Parochia agatur, et promoveatur, qualiave media hunc in finem per Parochum adhibeantur? demum comperiendos nefors defectus et errores pro bono orthodoxae fidei

instantanee sufferant, et emendent; *praeterea ubi disparis religionis matrimonia contrahuntur, solitarum de educandis in orthodoxa religione, quam Sponsus vel sponsa profitetur, utriusque sexus quantum licet prolibus Reversalium literarum extradationis omnimodam rationem habeant, exacte harum observationi et effectuationi perquam sollicite invigilent.* Datum ex Consilio R. L. Posonii, die 29. Januar. 1761. Episcopo Agriensi.

288.

Resolutio Regia circa Judicatum causarum matrimonialium, dum Sponsi sunt diversae religionis, dd. 31. Aug. 1761.

Sacra Sua Caes. Regia et Apostolica Maiestas benigne resolvere, declarareque dignatur, quod per Acatholicos in causis ipsorum matrimonialibus coram Consistoriis Episcopalibus, et Foris Ecclesiasticis vertentibus allegari solita in anno 1731. elargita benigna Resolutio, in terminis innuens: Causas matrimoniales Acatholicorum iuxta eorum principia iudicandas esse, de illo casu, ubi pars utraque ab orthodoxa fide aliena est, intelligenda veniat, minime vero ubi res inter Sponsum et Sponsam disparis religionis, Catholicum quippe et Acatholicam personas vertitur, favore dominantis Religionis locum obtineat. Quemadmodum igitur hanc ben. explanativam Resolutionem CRegiam, iuxta etiam usum eatenus iam passim in Regno observatum, altefata Sua CR. Maiestas pro ulteriori normativa directione Consilio huic R. L. clementer perscipsit, ac una apud Consistoria Episcopalia eo rem dirigendam benigne praecepit, quo in eiusmodi causis cum multa discretione agatur, et circumspecte procedatur: ita quo de huiusmodi benigna ordinatione CR. Agriensis quoque Dioecesis Consistorium edoceri, conformiterque ad benigna Jussa Regia in eo simul, ut in eiusmodi causis cum multa discretione agat, et circumspecte procedat, instrui possit, praedeclaratam ben. Resolutionem Celsitudini Vestrae officiose significandam habuit Consilium hoc R. L. Datum Posonii, die 31. Aug. 1761. Episcopo Agriensi, nominato AEpiscopo Strigoniensi.

289.—300.

Resolutiones Regiae ex annis 1767. et 1768. circa Reversales, cum votis et opinione Dicasteriorum, et Episcoporum eatenus praevie auditorum.

a) 289.

Resolutio de 7. Martii 1767. ope cuius de usu referri iubetur, qui circa educationem religionariam prolium e matr. mixtis viget.

— — „Referat Mihi Cancellaria: an proles ex matrimoniis diversae religionis natas Catholica in Religione educandas esse, lege quadam in Hungaria statutum sit, aut, lex nulla existat, quisnam in hoc genere servetur usus, aut quid porro de eiusmodi prolium educatione Religionis ratio exposcat?"

b) 290.

Responsum, et votum Cancellariae de 11. Maii 1767.

— Proles ex diversae religionis parentibus natas in vera orthodoxa fide educari debere, hactenus quidem nulla Patriae lege sancitum est: verum Majestas Vestra sub 2. Januar. 1749. clementer resolvere dignata est: quo Parochi bono modo, non coactive Parentes eo disponere adlaborent, ut proles ex diversae religionis matrimoniis susceptae ritu Catholico educentur, desuperque Reversales porrigant; non secus a. 1756. die 13. Julii. *(citatur tenor huius Resolutionis, per Consilium sub 30. Aug. 1756. currentatae)*. Ad ampliandum porro Regnum Dei et incrementum Religionis orthodoxae, totque innocentium huius generis prolium procurandam salutem, *optandum* equidem esset, *ut nulla* huiusmodi *disparis Religionis matrimonia inirentur*, aut inire volentes saltem ad *Reversales* de educandis utriusque, vel alterutrius sexus in fide Catholica prolibus positive stringi possent; cum tamen in Hungaria Catholici Acatholicis permixtim cohabitent, ex ratione etiam Publici, reflexe ad exteros Principes Acatholicos potissimum in modernis criticis rerum circumstantiis non videri consultum fore, ut absque

queruloso Acatholicorum publico motu, seu ineunda diversae religionis personarum matrimonia pro hic et nunc simpliciter inhiberentur, seu etiam ad dandas Reversales positive stringerentur: sed, his mediis ad feliciora tempora relictis, satius esset, ut dehinc quoque penes praevias Resolutiones tam ex parte Parochorum et Dioecesanorum, quam et Magistratuum Jurisdictionatorum placidioribus modis et discrete procederetur.

c) 291.

Resolutio Regia a. 1767. qua negotium hoc adhuc uberius discuti praecipitur.

Cum in Regno meo Hungariae permitti non possit, ut liberi in Indifferentismo, adeoque in nulla plane Religione educentur, hinc Cancellaria per viam Consilii a Commissione in materia Religionis ordinata informationem petet: qua ratione malo huic remedium ferri, et an non res eo inviari possit, „ut liberi a Parentibus diversae religionis nati, postquam annos discretionis ingressi, cognitionemque Religionis adepti sunt, ad unam vel alteram se profiteri teneantur?" ac desuper Cancellaria mihi propositionem submittet.

d) 292.

Opinio Commissionis Religionariae, mense Augusto 1767. praestita.

Ab experientia, et ex quotidianis fere querelarum casibus, Magistratualibus investigationibus, ac demum ipsis etiam Fiscalibus Processibus isthuc repraesentatis evidenter conficitur, observaturque, *praecipuam* abominabilis huius Indifferentismi causam in ipsa disparis cultus seu religionis matrimonia, quae de facto in Regno isthoc libere contrahuntur, referri debere, infaustosque hos esse talismodi matrimoniorum exitus; ac proinde profundissima in humilitate existimat obsequentissima Commissio isthaec, malo huic haud secus ulla ratione satis obviari posse, quam si SSma Maiestas C. Regia Apostolica huiusmodi matrimonia mixta, ab Ecclesia perpetuo damnata, pro futuro contrahenda non indulgeret, verum studio et vigilantiae Episcoporum, Dioe-

cesanorum, quo matrimonia huiusmodi sensim abolerentur, clementissime relinqueret. Tametsi enim constet, Catholicos inter et Acatholicos matrimonia tractu temporis vim ubique gentium obtinuisse, ac nisi quid aliud obstet, pro validis reputari; ea attamen non duntaxat vetustissimi Ecclesiae Canones abhorrent, ut patet ex Conc. Gen. Chalcedonensi Act. XV. cap. 14. — Conc. Carthag. III. can. 12. — Eliberit. can. 11. 16. 17. — atque Agathensi can. 67. verum haec tamquam cum aperto propriae, proliumque perversionis periculo adminus plerumque coniuncta, finique matrimonii adversantia, ordinarie *Jus* quoque *Naturale* haud obscure vetat. Cum namque in omni societate ad obtinendum propositum communem scopum unione voluntatum, viriumque, quae ad illum tendant, mutuo quodam adiutorio opus sit, quemadmodum in coniugali societate, quae omnium arctissima est, ipsamque individuam vitae consuetudinem in se continet, constans talismodi amoris et amicitiae vinculum ad mutuum illud sibi per coniuges praestandum adiutorium summe necessarium est: ita naturale est, ut omnis rixarum et querelarum ansa, dissensionumque fomes (qualis certe diversitas religionis inter coniuges esset) a societate isthac matrimoniali abesse debeat. Ideo recte Ambrosius lib. 2. de Abraham Cap. 9: „quomodo potest congruere charitas, si discrepat fides" — et Lezanavar. Consult. 43. nr. 17: „quomodo quies et tranquillitas inter Catholicum et Acatholicum consistere possit, cum fere necesse sit inter eos lites, iurgia, et altercationes de fidei religione, ieiunio, cibis vetitis, festis diebus, veneratione Sanctorum, et cultu imaginum quotidie suboriri, nec terminari posse sine aliquo odio, vel malevolentia unius erga alium". — Sunt quoque mixta haec matrimonia cum manifesto coniugis Catholici, et prolium perversionis periculo in commune coniuncta, docentibus hoc ipsum praelaudato Ambrosio, tum Stephano IV. ad Regem Francorum apud Baronium Tom. IX. Annal. a. 770. prout et Conc. Provinc. Burdicalensi de an. 1583. can. 15. — Et quia matrimonii finis principalis esset, non solum procreatio, verum etiam, quoniam haec inutilis secus foret, nisi etiam proles educetur, recta quoque nasciturae sobolis educatio; at-

que hinc naturalis Parentibus incumbat obligatio liberos, et quidem mutuo adiutorio tam in corpore, quam in anima perficiendi, adeoque eos ante omnia cumprimis in Religione instituendi, illisque vel maxime quoad salutem aeternam providendi: evidens est, hoc quoque ex capite matrimonia talia ipsi quoque Juri Naturali repugnare, praesertim si, ut fieri plerumque amat, quodve saltem tacite ordinarie appositum censetur, his pactum de parte prolium in haeresi educanda adiiciatur; prout etiam omnes Doctores eiusmodi pacta, quibus id agitur, ut medietas prolium seu masculae patris, altera medietas seu foemellae matris fidem sequantur, tamquam impia, abominanda, ac irrita, et contra bonum prolis spirituale tendentia detestantur.

Ast quamvis fortasse matrimonia ista per adiectum pactum, seu reversales de prolibus utriusque sexus catholico dogmate imbuendis cohonestentur, quod ipsum utique Clementissimas quoque Resolutiones C. Regias talismodi matrimonia indulgentes pro scopo habuisse ex iisdem idealibus benignis Resolutionibus clare elicitur; haud attamen vel accessu talismodi pacti omne perversionis periculum praeclusum esse in dies occurrentia exempla palam faciunt; videlicet nequidquam constitutis catenus tot salutaribus benignis ordinationibus, et sanctionibus poenalibus, quam saepissime videre est, a Parentibus Acatholicis datam a se fidem diversis artibus et moliminibus eludi, licenterque violari. Ac ceteroquin etiam verendum semper est, ne soboles unius parentis lue paulatim tabescat, velut optime Van Espen Part. 2. Tit. 13. Cap. 8. n. 9. Enimvero quam constantes firmique in Deo fideliter colendo futuri sunt tenelli filii, quorum aures tot execrationibus et convitiis in orthodoxam Religionem ab alterutro parente iactis quotidie odtunduntur? quomodo poterunt in religiosa Legum Ecclesiasticarum observantia educari, atque adolescere, quas vident ab haeretico parente semper sperni, et conculcari? quo pacto Christi Servatoris, Sanctorumque Imaginibus debitum deferent honorem, dum sciunt earumdem cultores ab altero ex parentibus idololatras haberi? qua ratione S. Ecclesiae ritibus assuescent, quos domi audiunt superstitionis damnari?

Religionis matrimonia ad Episcopum Dioecesanum, cuius fori alioquin est, et causas matrimoniales etiam Acatholicorum ex benigna quoque Resolutione R. discutere et iudicare, clementer relegarentur, qui profecto occurrente tali utut extraordinario multumque raro casu, in quo praedeclarata perversionum, perpetuarumque dissensionum pericula evanescant, gravisque emergeret causa, ac eae occurrerent circumstantiae, in quibus coniugium tale Catholici cum Acatholica vel vicissim admitti interesset, contractum matrimonialem haud impediet, imo ut servatis de iure servandis inter tales celebretur, procurabit.

Quod autem mixta illa matrimonia adusque iam contracta, procreatasque ex his aut porro procreandas proles respicit: ut gravis error ille, quod proles in haeresi instruantur, aut vero quod detestabilius esset, potissimum foeminei sexus usque annos nubiles absque ullius religionis professione in Indifferentismo damnata consuetudine educentur, corrigatur, et eliminetur: praeter et ultra ea, quae iam per crebriores Resolutiones Regias circa antevertendam consimilium perversionum occasionem ordinata essent, insuper sequentia benignissime resolvenda ac circulariter disponenda esse, opinatur Commissio isthaec. Quippe

1. Ut Parentes utrinque aut parte ab una Catholici proles suas adminus ab anno aetatis septimo usque 15. inclusive ad Catecheses per Parochos locorum statis temporibus quam diligentissime instituendas sub gravi animadversione per competentem Magistratum erga fiendam eatenus Parochi insinuationem e vestigio ac irremissibiliter infligenda, inomisse mittere teneantur, finemque in hunc, argumento etiam benignae Resolutionis circa excessus Thuróczriensium de 12. Mart. 1754. interventae, expost Parochi Catholici ubivis locorum specialem librum sive Matriculam, in qua omnium animarum Confessionis capacium in sua Parochia existentium nomina et cognomina exponantur, ac aetas quoque adnotetur, rite confectum teneant, ut exinde dein exacte observare cognoscereque possint, quaenam proles a catecheticis illis institutionibus nefors subtrahantur, ac dein tam Parentes ad satisfaciendum praedeclaratae obligationi

suae, quam et proles praemissam aetatem attingentes ad frequentandas, catecheses, ac dein ubi congruum iudicaretur, ad peragendam Sacramentalem quoque Confessionem urgere possint. Quo autem Parochi Catholici huicce pastorali muneri suo ad amussim satisfaciant, Domini Dioecesani medio denominandorum ad id hominum suorum loca dioecesi suae ingremiata quotannis sedulo visitari curent, hi porro visitationem peragentes dioecesani homines matriculas praevio modo per praedictos Parochos rite conficiendas sibi exhiberi, quin imo ipsas quoque proles praesertim alterutro tantum parente Catholico natas sibi statui faciant, eas de hausto in doctrina Christiana orthodoxaeque fidei principiis fructu examinent, qualiterve praesenti ordinationi satisfiat, omni cum sedulitate investigent, ac dein antelati Domini Dioecesani facta sibi super praemissis genuina relatione pro comperto congruam medelam ponant, omniquc conatu enitantur, ut haecce dispositio quam exactissime observetur.

2. Ut non modo praerepetiti Parentes a mittendis ad Oratoria, aut Scholas Acatholicorum prolibus suis sub gravissima poena, sed et Ministri seu Praedicantes prout et Ludirectores Acatholici ab iisdem prolibus scienter ad Oratoria aut Scholas suas admittendis atque ab omni earum instructione et seductione sub infallibiliter subsecuturae cassationis suae poena inhibeantur et deterreantur. Et siquidem

3. Saepenumero eveniret, ut vel maxime in Lib. Reg. Civitatibus, et Oppidis Privilegiatis proles in teneriori adhuc aetate per parentes ad opificia applicentur, atque ita e patria potestate et educatione in opificum talium, ad quos darentur, curam et vigilantiam transeant, apud quos dein in rebus fidei plerumque neglecti, ad damnatum subinde deflectant indifferentismum; ex eo obsequentissime arbitraremur universa in Regno hocce existentia Contubernia suis viis eo instruenda esse, ut omnes et singuli opifices tyrones suos ad frequentandas sine ulla intermissione catecheses adstringant, neque ullus ad sodalitium, quam nonnisi prius in orthodoxa religione bene instructus, desuperque per Parochum loci [illegible]atus fuerit, ac postquam de hausto

per eum sufficiunti exinde fructu ex testimonio modofati Parochi constiterit, admittatur.

4. Quoniam crebrius observaretur, quod minorennes proles potissimum ab egenis parentibus per cognatos aliosque acatholicos accepti ad servitia propria eorum, aut condiscenda opificia applicentur, quin ipsimet etiam parentes saepius egestate, vel aliter impediti exercitium educationis, ipsamque intertentionem prolium aliis permittere necessitentur, dein vero eaedem per acatholicos hos cognatos aut heros suos in sectae suae doctrina et falsis hisce dogmatibus imbuantur, educenturque; capropter detectos talismodi pessimi generis seductores quam severissime irremissibiliter puniendos, omnemque talium indagationi operam per locorum Magistratus impendendam humillime censeremus.

Ceterum ut liberi a parentibus diversae religionis nati, postquam annos discretionis ingressi, cognitionemque religionis adepti sunt, ad unam vel alteram se profiteri teneantur: obsequentissima Commissio isthaec illud ab orthodoxae Religionis principiis alienum esse comperit, cum ita ipso facto talium prolium haeretica quoque educatio approbaretur, siquidem ita nonnullae proles saltem disiunctive, si nempe hoc illae praeeligant, ad amplectendum profitendumque haereticum dogma adstringerentur.

e) 293.

Votum Cancellariae eodem in merito, dd. 18. Nov. 1767.

Justam quidem agnoscit (Cancellaria) Commissionis Religionariae in eo observationem, quod non obstantibus tot salutaribus et severissimis circa orthodoxam educationem prolium emanatis clementissimis Resolutionibus, plurimae tam ex Catholicis, sed potissimum ex disparis religionis parentibus progenitae proles, teste quotidiana experientia, partim in damnato Indifferentismo educentur, partim vero seu conniventia parentum, seu fors etiam negligentia quorumdam Parochorum, seu demum variis artibus Acatholicorum in haeresim prolabantur; nec illud diffitetur Cancel-

30 *

laria, quod tantorum malorum causa praecipue mixtis et disparis religionis matrimoniis, quae in Hungaria communia sunt, attribui debeat; unde etiam optandum sane esset, ut nulla huiusmodi disparis religionis matrimonia unquam inirentur, aut saltem inire volentes indiscriminatim ad dandas Reversales positive stringi possent. Cum nihilominus in Regno Hungariae Catholici Acatholicis communiter permixtim conviverent, sed et mixtae religionis matrimonia, utut ex his progenitae proles in una parte periculo perversionis obnoxiarentur, ex alia tamen parte plures etiam in salvifica orthodoxa fide educarentur, per harum accessionem ad augmentum Religionis Catholicae non parum occasionis tribuerent: hinc cum ideo, tum vero maxime ex ratione Status publici potissimum in modernis rerum circumstantiis non videtur consultum fore, ut absque sensibili publico animorum motu seu ineunda diversae religionis matrimonia pro hic et nunc simpliciter inhiberentur, seu ad dandas Reversales positive stringerentur, seu denique ut disparis religionis matrimonia admittenda vel deneganda Episcoporum arbitrio et iudicio, velut in servanda discretione non in omnibus aequali, submitterentur.

Illud porro principium, ut liberi a parentibus diversae religionis nati et annos discretionis attingentes ad unam vel alteram religionem se determinare teneantur, seu ad sistendum Indifferentismum illum, qui intra ambitum Regni Hungariae invaluit, seu ad augmentum ipsius etiam Religionis Catholicae omnino minus congruum medium esse censetur. Nam Indifferentismus ille, qui in Hungaria usuvenit, non est de genere illorum vitiorum, quibus nonnulli salutis suae penitus incurii irretiti nullam prorsus religionem determinatam profiteri volunt; sed in eo praecise Indifferentismus iste consistit, quod potissimum puellae profiteri hanc vel illam religionem intra nubiles annos fine illo differant, ut si fortuna nubendi Sponso Catholico vel Acatholico se ipsis offerat, in statu indifferenti positae Religionem Sponsi sui possint tutius amplecti, et hac etiam ratione Sponso suo complacere. Enimvero nulla necessitas videtur esse, proles annos discre-

tionis attingentes ad hanc vel illam religionem amplectendam cogendi, quae praesertim ex mixto matrimonio natae alioquin suapte propendent in Acatholicam religionem amplectendam, et si suo arbitrio relinquantur, reipsa etiam hanc prae Catholica Religione ultronee profiterentur; quod quemadmodum incremento Catholicae Religionis summe damnosum foret, ita praeattactum principium ad sistendum praevio modo deductum Indifferentismum nihil prorsus conduceret, quin potius plurimis eiusmodi liberis ad Acatholicismum liberius deflectendi viam aperiret.

Sequentia ad salutarem effectum obtinendum absque omni perturbatione Status publici, aut etiam iusta quorumcunque formanda querimonia pro futuro statuenda censentur: 1. Ut in casu, quo Catholicus personae acatholicae matrimonio iungi cuperet, Parochus Catholicus Sponsam ad amplectendam fidem orthodoxam omni suavi modo disponere studeat; quod si nulla ratione assequi posset, Sponsus, qui mulieris caput, et domus principalis gubernator esse reputatur, ante copulationem authenticas Reversales de educandis in Fide orthodoxa utriusque sexus prolibus dare obligetur, sine quibus alias matrimonialiter copulari non possit. Ex adverso 2. ut in casu illo, quo Sponsus Acatholicus personae catholicae iungi matrimonialiter cuperet, aeque quidem Parochus Catholicus Sponsum ad amplectendam fidem orthodoxam, aut saltem dandas Reversales de educatione catholica prolium disponat; secus Sponsus ante copulationem teneatur quidem dare reversales sed non de utriusque sexus prolibus in Fide Cath. educandis, ast solum de non turbanda cumprimis in Fide Catholica coniuge sua, tum demum de educandis in Religione orthodoxa illis duntaxat prolibus, quae sexum et religionem matris sequentur. Cum autem huiusmodi Reversales Episcopi, et Parochi acceptare religioni sibi ducerent, hinc in eum casum Sponsus Acatholicus Reversales Comitatui exhibeat, desuperque testimonium Comitatus Parocho producat, Parochus porro Sponsum cum Sponsa copulet.

f) 294.

Reflexiones quoad educationem religionariam prolium e mixtis connubiis, nomine Regio cum Archi- et Episcopis Colocensi, Vaciensi, Agriensi, Quinque-ecclesiensi, et Nitriensi, dd. 28. Dec. 1767. communicatae.

Es kommet auf die zweifache Frage hauptsächlich an: 1. Ob künftig die Heirathen zwischen den Katholischen und Akatholischen Personen in Ungarn zu gestatten, und was für Mittel dabey zu gebrauchen, damit die Kinder in der alleinseligmachenden katholischen Religion erzogen werden mögen. 2. Wie es mit den von derlei Ehen vermischter Religion abschon erzeugten Kindern gehalten werden solle?

Ad 1-um. Würde das Verbot derlei vermischten Ehen in mehrfältigem Betracht allzu vielen Bedenken unterliegen. In Siebenbürgen ist vor ungefähr zwölf Jahren ein allgemeines Gesetz ergangen, dass derlei Ehen zweierlei Religionen nicht anderst, als mit Erlaubniss des Katholischen Bischofs gestattet werden sollen; durch einen besondern Auftrag wurde zugleich der Bischof dahin angewiesen, dass er diese Erlaubniss nicht anderst, als wann der akatholische Theil einen Revers, die Kinder beiderlei Geschlechts in der katholischen Religion erziehen zu lassen, ausstellet, ertheilen solle. Diese Anordnung dürfte also auf gleiche Art auch in Ungarn festzustellen seyn. Das Gebot, dass die Verehelichungen ohne Erlaubniss des Bischofs nicht zu gestatten, ist in den Canonischen Rechten gegründet; der Revers aber, welcher ohne eine hierwegen kundmachende Anordnung durch die Geistlichkeit abgefordert wird, enthält in sich keinen unbedingten Zwang, und würde also auch den Acatholicis zu einiger Beschwerde den Anlass nicht geben können.

Bei alldem aber scheinen diesem Antrage einige anderweite Bedenken in *linea religionis* sowohl, als in *linea politica* entgegen zu stehen.

In *linea religionis*: weil in Verfolg derselben die Ehen zwischen den Catholicis, und Acatholicis weit seltsamer, als

dermalen sich ergeben würden, wodurch dem katholischen Theile die Gelegenheit entginge, manche unter den Acatholicis zu dem wahren Glauben zu bekehren; wo hingegen diese die nemliche Gelegenheit bei derlei Ehen nicht finden, den katholischen Theil von seinem Glauben abtrünnig zu machen, weil beide Theile die Verwirkung der auf das Laster der Apostasie verhängten Strafen besorgen müssten. — Die weitere üble Folge aber könnnte vielleicht in dem bestehen, dass die Acatholici, da sie sich künftig nur blos unter ihren Glaubensgenossen verehelichen könnten, in ihrem Irrthum noch weit verstockter werden, und wenn auch einige derer auf Bekehrungs-Gedanken geriethen, von deren Ausführung um so leichter wiederum abzubringen seyn würden.

In *linea politica*: weil diese Anordnung, da durch selbe manche Heirathen verhindert würden, der Population einen merklichen Abbruch machen könnte; auch überhaupt die Absonderung des akatholischen Theiles, der ohnehin gleichsam einen besondern statum in statu ausmacht, ein grosses politisches Übel ist, dem nicht besser, als durch die Beförderung der Heirathen zwischen beiderlei Religions-Verwandten abgeholfen werden kann; endlich aber weil diese Anordnung, wenn sie auch nur in particulari an die Bischöfe erlassen würde, dennoch nicht unbekannt bleiben dürfte, dahero dann die weitere Frage entsteht: ob es nicht besser gerathen sein dürfte, anstatt des oben berührten Antrags die anderweite Vorsehung zu ergreifen, dass nemlich derlei vermischte Ehen ohne den besagten Revers gestattet, die Erziehung der Kinder aber ohne Unterschied des Geschlechts aus dem Grundsatze der patriae potestatis nach der väterlichen Religion eingerichtet würde, so, dass, wo der Vater der katholischen Religion zugethan ist, auch die Kinder beiderlei Geschlechts in dieser Religion erzogen, dahingegen wo der Vater von der akatholischen, die Mutter der katholischen Religion wäre, den Kindern in gleicher Art die Erziehung in der akatholischen Religion gegeben werden sollte; es wäre dann, dass durch besondere Pacta ein anderweites bei der Verehelichung ausgemacht, oder die Kinder mit öffentlicher oder stillschweigender Zulassung des Vaters schon wirklich

in der katholischen Religion erzogen worden wären. Es würde sodann derlei akatholisch erzogenen Kindern, wenn sie die annos discretionis erreichet, allzeit noch frei stehen, zur alleinseligmachenden katholischen Religion sich zu wenden, wozu sie aber wider Willen nicht mehr gezwungen werden könnten; der Eifer und die Obsicht der Bischöfe, und bestellten Seelenhirten würde dazu den besten Vorschub geben, wenn diese auf derlei von katholischen Müttern erzeugte Kinder ihre vorzügliche Sorgfalt zuwenden, denselben die wahre principia religionis beizubringen, und hierunter ihre schwere Pflichten zu erfüllen sich bestreben.

Ad 2-um: stellen sich in Rücksicht auf die Religion sowohl, als in anderweit politischem Betracht mehrere erhebliche Bedenken dar, dass die Erziehung der aus den vermischten Ehen allschon erzeugten Kinder in Indifferentismo keineswegs gestattet werden mag, und scheinet noch allzeit räthlicher zu sein, dass auch wegen dieser als schon gebornen Kinder die berührte in potestate patria sich gründende Vorsehung von nun an eingeführet, folglich die Erziehung lediglich nach der väterlichen Religion eingerichtet würde. Vielleicht könnte endlich auch die gesetzmässige Verfügung für dermalen, und das Künftige überhaupt dahin getroffen werden, dass die Kinder männlichen Geschlechts in der Religion des Vaters, jene des weiblichen aber in der Religion der Mutter erzogen werden sollen.

g) 295.

Opinio Archiepiscopi Colocensis, Josephi Com. a Batthyán. 1768.

Quantum Ecclesia abominata semper fuerit Catholicorum quaecunque cum haereticis consortia: plane liquet ex Epist. II. Joannis, in qua v. 10. et 11. discipulos suos in hunc modum admonuit: „Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis, qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis" et insuper ex Epist. ad Titum cap. 3. v. 10. „haereticum hominem post unam et secundam correptionem

devita". Unde factum est, ut a temporibus Apostolorum, usque ad tempora Concilii Constantiensis per mille scilicet quadringentos, et quatuordecim annos Catholicis persuasum fuerit, a quorumlibet haereticorum amico etiam colloquio omnino abstinendum esse, unica duntaxat admonendi eos occasione et causa excepta, quatenus nimirum mutata sententia piam et unice salvificam fidem sectari vellent.

A tempore *C. Constantiensis*, editique in eo, atque a Martino V. approbati Canonis „Ad evitanda" fuit nonnihil relaxata, atque etiam in hodiernum diem perdurat Ecclesiae disciplina in eo, quod pertinet ad *conversandum* iis cum haereticis, qui tolerantur, et expresse denunciati non sunt tamquam vitandi. Cum enim misera temporum subsequentium conditione ita secum ferente multis in provinciis haereses aut dominentur, aut grassentur impune, duram Catholici subeunt necessitatem cum haereticis conversandi et familiariter agendi. Relaxata, inquam, fuit Ecclesiae disciplina in eo, quod pertinet ad *conversandum*, seu quod idem est, in mere civilibus et officiosis communicandum; quod enim pertinet ad res sacras et divinas, perdurat hodiedum tam Apostolicorum Canonum 45. quam Laodicenae Syn. 9. et 30. quarti item Carthaginensis Canonis 72. praeceptum: ut adeo non debeant arbitrari Catholici, fas sibi esse indistincte cum haereticis, quamvis non expresse denunciatis, in rebus etiam sacris et divinis communicandi.

In divinis porro cum haereticis communicant Catholici, qui sese cum iisdem matrimonio coniungunt. Cum enim matrimonium unum sit ex septem Ecclesiae Sacramentis a Christo Domino institutis: idem est matrimonium cum haeretico contrahere, ac unum idemque Sacramentum una cum eodem vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint talis Sacramenti Ministri, quod magis communiter opinantur Scholastici; vel saltem percipere, si scilicet, quod alii praesertim ex recentioribus Theologis autumant, illius Minister sit solus Sacerdos. Inde factum est, quod Ecclesia iisdem fere legibus, quibus Christianis interdixit, ne connubia inirent cum infidelibus, Catholicos pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deterruerit. (*Citan-*

tur Canones Conciliorum, et decreta Summ. Pontif. usque Benedictum XIV.)

Ex quibus omnibus debite, ut oportet, consideratis clare deducitur, matrimonia illa, quae inter partes contrahuntur, quarum altera catholica sit, altera haeresim profiteatur, omnino *illicita* esse; nihilominus et illud confitendum est, posse interdum tales circumstantias occurrere, quibus huiusmodi matrimonia licita esse possint. Cum autem quaeritur, quaenam sint eae circumstantiae, quae licita reddant huiusmodi coniugia, non desunt, qui ea permissa contendant iis in locis, in quibus notabilis populi pars ex haereticis constituitur, dummodo a catholica parte perversionis periculum absit, et gravis aliqua vel privata vel publica causa intercedat: cuiusmodi ab eis reputatur publicae pacis studium, si nimirum ea turbari posse prospiciatur intestino aliquo bello inter Catholicos et haereticos excitando, ubi illi animum alienum ostenderent a contrahendis matrimoniis cum haereticis. Alii haec matrimonia pluribus in locis licita fore asserunt in vim consuetudinis, quam Summis Pontificibus notam, neque ab eisdem (ut ipsi quidem aiunt) improbatam, verae dispensationi acquivalere affirmant. Alii demum considerantes, ad hoc, ut huiusmodi matrimonia licita sint, Ecclesiasticae authoritatis interventu opus esse, ne vel penes simplicem Parochum, vel penes ipsos, quorum negotium agitur, arbitrium sit iudicandi de sufficientia illius causae, quae contraheutem ad ineundum matrimonium inducat, Superioris Ecclesiastici nomine localem etiam Episcopum comprehendunt. Atque his siue dubio ex rationibus Episcopi illi quicunque, qui forsitan matrimoniis mixtae religionis aut positive consenserunt, aut alicubi terrarum ad ea contrahenda facultatem etiam aliquando sunt impertiti, inclinati fuerunt; muneris sui partibus satisfecisse rati, si tam a coniuge catholica, quam nascitura utriusque sexus sobole maxima illa pericula, quae ex praefatis nuptiis imminere sibi persuaserant, expetitis super catholica prolium educatione Reversalibus, avertissent. Sed vero, si interdictum, quo fit, ut matrimonia haec sint illicita, prouti esse superius remonstratum, ex Conc. Gen. Chalcedonensis lege,

aliisque contrariis SS. Canonum sanctionibus originem habet: facili negotio perspicere est, huiuscemodi matrimonia licita aliter evadere non posse, praeterquam ex vi dispensationis a Romano Pontifice obtentae, et quidem exclusis Episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint. Videantur huius illationis rationes gravissimae apud *Henricum a S. Ignatio* in Ethica amoris, seu Theologia Sanctorum Tom. 3. lib. 8. p. 2. Cap. 36. in quo suo opere easdem et fuse et solide deducit. Legatur etiam *Natalis Alexander* Theol. Dogm. et Mor. Tom. 2. Art. 8. in regulis ad praxim spectantibus reg. 10. ubi celeberrimus hic Doctor, et Gallus, adeoque non ignarus Episcopalis iuris amplificator, demonstrat: quod hac in re contrariam aliquam consuetudinem opponere, nihil adstipuletur, quoties non adsit positiva Pontificia dispensatio, quae sane ex sola Pontificum Romanorum scientia et tolerantia deduci nullo pacto potest. Sit itaque, bona omnium venia, conclusum, Pontificiae auctoritati iniuriam fieri ab eis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam, et alteram haereticam licite contrahantur; cuius si intervenerit auctoritas, cum in eiusmodi dispensatione concedenda neque divinum neque naturale ius ullatenus laedatur, sed ecclesiastico iuri tantummodo derogetur, nullam sane causam vel rationem reperire erit, cur matrimonium iam in vim eiusmodi dispensationis contractum pro illicito aut peccaminoso habendum sit, praesertim ubi exclusum sit a fideli perversionis periculum, quod semper excludendum non ambigitur, cuique rei per conditiones apponendas consulitur, ubi etiam opportune cautum sit, ut S. Religio in liberis sive maribus sive foeminis ex eodem matrimonio suscipiendis servetur, suscepto item a catholica persona onere curandi, ut haereticam partem ad orthodoxam religionem amplectendam perducat, iis rationibus adhibitis, quas aptiores et opportuniores existimaverit; ac praeterea intercedente gravi aliqua et plerumque publica causa, quae si deficiat, etiamsi ceterae supra memoratae adsint conditiones, teste Benedicto XIV. Summo Pontifice in opere de Syn. Dioec. dispensatio antedicta nequaquam im-

pertiri solet. (*Proponuntur exempla petitarum per Episcopos a Sede Apostolica dispensationum.*) — Nec valet sive consuetudinem, sive tacitum Pontificis consensum ad infirmandum ius illud, adeoque facta nonnullorum, dispensatiónes huiusmodi absque praevio ad Sedem Apostolicam recursu concedentium, legitimanda excusandaque in medium proferre. Consuetudo enim, cui a Superiore perpetuo reclamatur, quaeve ab eodem ut corruptela potius reprobatur, facta vero, quae quoties ad notitiam deveniunt, acerbissime redarguuntur, nihil novi iuris formare possunt. Ita se res habet in casu nostro. Nam praeter iam superius fuse adducta, Clemens PP. XI. in Congregatione S. Officii coram se habita die 14. Junii a. 1710. mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum haereticum celebrandis, nisi abiuratio haeresis reipsa praecessisset: Theologos autem, qui contra huiusmod praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit. Idem fecisse complures Pontifices Clementis XI. Praedecessores, longius demonstrat Benedictus PP. XIV. in Bulla sua „Magnae Nobis admirationis" ad Poloniae Regni Primatem et Episcopos a. 1748. data. Idem ipse etiam fecit tum in declaratione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda, tum in paulo ante memorata Bulla, in qua saepius repetit, et per expressum declarat: „aperte constare in omnibus etiam illis casibus, in quibus facultates, aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro matrimoniis a Catholico viro aut muliere cum haeretica foemina aut viro contrahendis, eandem Apostolicam Sedem huiusmodi matrimonia, nisi haeresis abiuratio praecedat, et semper improbasse ac damnasse, et nunc quoque abominari ac detestari." Eandem Apostolicae Sedis licentiam huiusmodi matrimoniorum mixtae religionis, atque etiam impedimentorum nefors ea occasione expositorum dispensationem „rarissime et plerumque pro matrimoniis inter Principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente, factam esse; insuper adiectas semper fuisse opportunas cau-

telas, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate educaretur."

At de facto forsitan complures Episcopi eiusmodi mixtae religionis matrimonia ineundi facultatem concesserunt? Respondetur, id Episcopos illos vel ex conscientiosa persuasione illa, quod exactis a contrahentibus Reversalibus literis de non turbanda catholica coniuge, et educandis in salvifica orthodoxa religione sexus utriusque prolibus, periculum fidei tam Catholico coniugi, quam nasciturae soboli anteverterint, adeoque iustissimo Ecclesiae ea matrimonia interdicentis praecepto rationem ademerint, fecisse; aut certe placitis paucorum illorum auctorum, scientiam et tolerantiam Ecclesiae quoad loca, in quibus haeretici non denunciati vitandi cum Catholicis permixti convivunt, perperam, uti ex praemissis liquet, allegantium inclinatos fuisse; aut, quod forsitan de eorum quibusdam sentire licet, specialem Apostolicae Sedis licentiam ad hoc indulgendum habuerunt. Si aliter dispensaverunt in matrimonio inter duos adhuc in haeresi permanentes, dicit in simili facto Benedictus XIV. in Const. „Ad tuas manus" die 8. Aug. 1748. ad Primatem et Episcopos Poloniae emanata, perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt.

Fueruntne ergo matrimonia mixtae religionis hucusque contracta peccaminosa, impia, et gravissime illicita, licet forsitan Episcoporum aliqui in particularibus casibus consensum suum adiecerint, atque eo etiam non obstante, quod per expetitas reversales de non turbando in fide sua catholico coniuge, deque educanda in elementis orthodoxae fidei nascitura utriusque sexus sobole partis catholicae et prolium indemnitati Episcopi prospexerint, dispensationes eorumdem illicitae? Respondetur, deduci ex praemissis, utrumque omnino illicitum, et graviter peccaminosum exstitisse, nisi alterutri bona fide, si tamen eam quaqua ratione habe-

re potuerunt, aut speciali ad dispensandum Sedis Apostolicae facultate, quam forsitan habuissent, non excusentur.

Erunt igitur matrimonia antelata omnia etiam invalida? Hoc neutiquam dici potest, imo ex praxi Ecclesiae, quae huiusmodi matrimonia, licet semper impia, sacrilega, atque maxime illicita tenuerit, numquam tamen irrita esse declaravit, dicendum est prorsus contrarium. Apposita in hanc rem sunt verba saepius laudatae declarationis Benedictinae super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta, Tom. 1. Bullarii eiusdem N. 34. comprehensae.

Ast Reges Hungariae forsitan Episcopis Regnorum suorum hanc dispensandi in matrimoniis mixtae religionis facultatem concesserunt, cum in compluribus eorumdem rescriptis, varias circa matrimonia eiusmodi dispositiones identidem fecerint, praecipientes iam matrimoniorum etiam diversae religionis causas in foris Ecclesiasticis revideri et examinari debere, iam vero prognatas ex eiusmodi diversae religionis connubiis proles neque in damnato indifferentismo, neque in alia, quam RCatholica Religione educandas esse? Respondetur, ex benignis dispositionibus antelatis consequentiam paulo ante memoratam omnino perperam deduci. Religiosissimi etenim Hungariae Principes, atque S. Matris Ecclesiae observantissimi, concessionis in consequentia adductae nullum habent in Rescriptis suis vestigium; aut proferat aliquis Rescriptum eiusmodi, in quo matrimoniorum mixtae religionis antelatorum coniungendorum aut facultas vel consilium adsit, aut praeceptum. Eo nimirum duntaxat collimarunt laudati generis altissima Rescripta, ut matrimonia antelata, eorumdem legalitate in conscientiis Episcoporum reposita, augusta quadam prudentia, ne maiora forsitan mala enascantur, dissimulent ac taceant; regia et laudabili tamen providentia orthodoxam religionem, eiusdemque disciplinam in parte catholica, et prognatis utriusque sexus prolibus indemnem praestet. Quod in eiusmodi casu S. Mater Ecclesia prorsus aequaliter facit, quae etiam in aliquibus locis matrimonia inter catholicum et haereticam, vel haereticum et catholicam perperam licet contracta tolerat tamen, et non vindi-

cat, cum per se ipsam impedire non semper possit, nec in tempore, quaecunque per orbem aguntur, scire valeat.

Istis pro fundamento sequentium resolutionum praemissis, iam propius ad propositum veniendum est, et ad particularia reflexionum subsequentium descendendum.

1. Benignam talem Regis Hungariae dispositionem, eo tendentem, ut mixtae religionis matrimonia simpliciter in posterum interdicantur, sensui universalis Ecclesiae apprime conformem, ambabus manibus acceptabilem, et maximopere expetibilem futuram: imo circumstantiis tam disciplinae in praemissis fusius deductae, quam etiam periculorum ex talibus connubiis sponte profluentium atque inferius deducendorum exigentibus, inhibitionem antelatam plane necessariam fore: neque in Republica Christiano — et Catholico-Politica omnino novam esse; legimus enim de Ludovico XIV. Gallorum Rege, quod is iam an. 1680. mense Novembri publica declaratione sua prohibuerit: ne in posterum Catholici matrimonii foedere cum haereticis iungerentur, declaratis nullis, et irritis eiusmodi coniugiis, atque filiis inde natis spuriis et illegitimis, qui in bonis paternis succedere non valeant.

2. Quoad ea huiusmodi generis matrimonia, quae hucusque contracta fuerunt, quantum prolium educationem spectat, expeditas, et prout confiditur, etiam datas reversales ad apicem observandas venire. Id enim firmissime tenendum est, pactis quibuscumque, si ea contra Deum, Religionem, fidelitatem erga Principem, et bonos mores non sint, strictissimam obligationem induci: qualia certe non sunt pacta casus propositi, imo vero iuri naturali, divino positivo, et edicto Principis per Rescriptum eatenus emanatum publicato ex asse conformia, atque ad salutem proximi, de quo Deus unicuique mandavit, summopere necessaria.

3. Postquam et argumento publicae municipalis legis in Corpore Juris Hungarici clausae, et Edictorum Regiorum, atque operationum longa iam annorum serie in praxim deductorum, Religionis negotium in Hungaria Sacratissimo Terrae Principi reservatum sit: existimatur, praedicti generis mixtae religionis matrimoniorum inhibitionem et con-

stanti Ecclesiae Catholicae disciplinae ex asse conformem, et dominanti in Regno Religioni atque unice salvificae fidei in sua integritate mirifice conservatoriam, nullis plane difficultatibus, et considerationibus in obversum, aut certe facillimo negotio et laudabilissime superabilibus obnoxiam esse.

4. Jam in fundamentalibus praemissis demonstratum est, Ecclesiam orthodoxam a matrimoniis mixtae religionis constanter abhorruisse, Conciliorum tam generalium quam particularium decretis sacrisque Canonibus connubia eiusmodi severissime interdicta fuisse, matrimoniales hoc in passu dispensationes ab Apostolica Sede inprimis rarissime, et (extra Summos Principes) numquam aliter, quam si coniux heterodoxus haeresim prius effective abiuret, concessas exstitisse, dispensationes istiusmodi ad Sedem Apostolicam privative spectasse, id tam Principes quam Episcopos agnovisse, adeoque Episcopis, quorum potestas ad relaxandam Ecclesiae universalis disciplinam in Conciliis generalibus eorumdemque sacris canonibus stabilitam continuaque annorum serie observatam, semet haud extendere potest, inconsulta Apostolica Sede aliter operari fas neutiquam esse; hinc Sacratissimos quoque Hungariae Principes quoad dispositiones circa mixtae religionis matrimonia in eorumdem rescriptis contentas, provisorio duntaxat modo operatos fuisse, atque matrimoniorum saepius fati generis legalitate et liceitate aut supposita, aut certe, quod credibilius est, in conscientiis Episcoporum reposita, ordinationibus antelatis fidei duntaxat partis orthodoxae, atque innocentum prolium indemnitati consuluisse. Ex quibus omnibus consequitur: a) provisoriam antelatorum Principum dispositionem neutiquam universalis legis instar qua nimirum matrimonia mixtae religionis indiscriminatim iniri aut permittantur, aut certe iubeantur, interpretari posse; sed ad hoc optime valere, ut eorum legalitate etiam praesupposita, ad procurandam tamen orthodoxae religionis et prolium indemnitatem non aliter adhuc praehabita eorum licentia, penes quos dispensandi facultas est, ad eiusmodi coniunctionem procedatur, quam exactis praevie reversalibus literis de non turbanda parte catholica, deque sobolis utriusque sexus ex matrimonio

nasciturae in catholica religione educatione. b) Episcopos pro libitu suo, et potestatis ipsorum placito, huiusmodi matrimoniis ineundis dispensationem et facultatem neutiquam impertiri posse, nisi aut singulis particularibus vicibus, aut semel pro semper ab Apostolica Sede auctoritatem id faciendi indipiscantur; c) hanc eos vix ea ne vix quidem impetraturos, aliter vero numquam accepturos, quam ea sub conditione, ut et pars acatholica haeresim se abiuraturam spondeat, et praeterea de non turbanda catholica parte, prolibusque ex tali connubio suscipiendis in orthodoxa religione educandis praevie cavere debeat.

5. Si reflexio in favorem matrimoniorum mixtae religionis adducta aliquid valeat, ex motivo eiusdem concludi plane deberet, permittendum etiam esse, imo suadendum Catholicis, ut matrimoniali foedere cum Judaeis et Turcis quoque, atque quibuscunque infidelibus coniungantur, contra id, quod Aeterna Sapientia per os Apostoli Pauli II. Cor. VI. „nolite iugum ducere cum infidelibus" faciendum vetuit; nam concesso eiusmodi connubio, adesset nonnumquam coniugi catholico occasio, infidelem consortem ad orthodoxam religionem perducendi, nullum autem aut certe exiguum periculum immineret parti catholicae ad Mahometismum, aut Judaismum deficiendi. Sed et praeterea rarissimi sunt casus conversionum ex matrimoniorum occasione factarum, et cum quamplurimis illis casibus apostasiarum ex simili occasione enatarum, quibus tamen ultimis his temporibus providentissima sane Regia dispositio, poenas in apostatas decernens, ex parte sua laudabiliter obviavit, neutiquam conferendi. Et quot sunt mixtae religionis matrimonia, in quibus pars acatholica in errore suo semper perseverat? quot item sunt, in quibus pars catholica, metu quidem poenae in apostatas latae, a publice deserendo dogmate suo abstinet, in mente tamen et animo vel haeretica est, vel certe indifferens? quot sunt mixtae religionis matrimonia rixis et contentionibus plena, quae in Religionis causa ardentiores semper sunt, et frequentiores? quot sunt eiusmodi matrimonia, in quibus coniux acatholicus catholicae pietatis exercitiis, observationi videlicet festorum, ieiuniorum,

et reliquorum huiusmodi, quae consors catholica obire teneretur, impedimenta ponit? quomodo inter dispares devotione potest esse coniugii communis caritas? „Cum sancto sanctus eris, (sed revera et citius et facilius) cum perverso perverteris. Qui cum uxore est, teste Paulo Apostolo, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est, quae autem nupta est, similiter cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro." Non habent proinde facultatem sine impedimento apostolos et missionarios agendi. Arbitretur iam aequanimis quisque, an propter paucas Caecilias, et Chlotildes (de quibus sanctissimis mulieribus, quod infideles maritos suos ad veram Religionem converterint, historiis fidedignis proditum habemus), an propter dubiam et nndam aliquorum coniugum conversionis spem alterari relaxarique debeat certissima, religiosissimaque orthodoxae Ecclesiae disciplina, secundum quam matrimoniis huiusmodi coniungendis propter ampliorem maiorum malorum metum ubi ubi potuit, semper obstitit, et adhuc contrariari Sedes Apostolica pro re nata non intermittit? Sed et illud ex aequo considerandum est, quod spes, quae stantibus etiam eiusmodi matrimoniis pro conversione acatholici coniugis affulget, admodum exigua sit; unius enim coniugis rationes, persuasiones, preces, quotusquisque est, qui parentum, catervaeque cognatorum filii aut sangvine iuncti conversionem probro sibi ducentium precibus et factionibus non postponat? eorumdem atque etiam sectae suae Ministrorum hortatus et impedimenta effugiat? atque horum intuitu, illud etiam, quod propter Deum, propriam salutem, affectuosis coniugis precibus propositam, facere deberet, ex respectu humano praestare non intermittat? Parum certe consultum esset orthodoxae Religionis propagationi, si incrementi hac, quam semper Ecclesia improbavit, ratione procurandi defectus eidem quaqua ratione obsisteret. Legimus quidem tam Apostolos, quam eorumdem successores, viros omnis ordinis apostolicos Jesu Christi fidem ubivis terrarum, ac gentium propagasse, complures gentiles ac haereticos convertisse, et coniuges etiam ex infidelitate conversos, quoties absque iniuria Creatoris fieri poterat, altera consorte etiam

in idololatria permanente, ab invicem non separasse; nullibi autem deprehendimus antelatae propagationis obtentu fidelibus aut christianis suasisse, ut effectus facilius feliciusve procurandi causa cum iisdem, quorum conversioni incumbebant, connubiis miscerentur. Hodiedum Catholici Episcopi, ceterique animarum curatores, et orthodoxae fidei zelatores, opitulante Domino, eorumque conatus gratiis suis misericorditer secundante, plurimas errantes oviculas ad caulam Jesu Christi, et gremium S. Matris Ecclesiae reducunt, atque si qui talium matrimonio etiam coniuncti sint, altera licet coniuge in errore suo permanente, impune et licite ad invicem convivere sinunt; sed vix erit reperire eorumdem aliquem, qui in animum suum inducat, libera matrimoniorum mixtae religionis ineundorum permissione ad hunc finem uti, aut incrementum sperare, sibi fas esse.

6. Reflexio ex linea *politica* facta pari ratione svaderet Catholicorum cum infidelibus connubiorum concessionem; dein, si aut familiarum suae cuiusque religionis ad invicem copulatarum defectus in Republica esse, aut per concessionem matrimoniorum diversae religionis coniugum ad invicem ineundorum maior, quam per suae cuiusque religioni addictorum copulationes, hominum in republica politica multiplicatio futura cum fundamento sperari valeret: sustineri forsitan posset reflexio intra lineam politicam, asseverans mixtae eiusmodi religionis coniugiorum interdicto, terrarum, quae habitationi colonorum opportunae et tamen vacuae sunt, impopulationi impedimentum, et remoram poni: sed postquam et humani generis atque familiarum suae cuiusque religionis ad invicem copulatarum defectus non scitur, et per concessionem matrimoniorum diversae religionis ad invicem ineundorum maior hominum in republica multiplicatio, quam per suae cuiusque religioni addictorum copulationes, cum fundamento sperari non valeat: coniici omnino non potest, qualinam ratione interdictum antelatae impopulationi, alioquin modis licitis procurandae promovendaeque obsistat? Et certe concessione antelata secuta nec foecundiores evadent utriusque praememoratae religionis asseclae, nec id procurabitur, ut qui in propria religione eiusdem religionis con-

sortem habere non potest, alterius religionis coniugem habere debeat. At id saltem procurabitur, ut si propriae religionis consortem habere non possit, habeat alienam? id quidem supposita matrimoniorum mixtae religionis concessione procurari potest, sed ad promotionem impopulationis necessarium prorsus non est, quod omnis facile perspiciet, cui hominum utriusque ordinis religioni addictorum Dei, naturae, et pacis beneficio adaucta copia cognita est.

7. Nondum convenit inter Naturae scriptores atque politicos, an *Status in Statu* adeo execrabile monstrum sit, quale illud ex odio Religionis Catholicae Puffendorfius, et Heineccius heterodoxi depingere conati sunt, qui quavis data occasione non desinunt criminari: „Ecclesiam Catholicam esse iuri naturae adversam, hierarchiam eius esse monstruosum statum in statu, quae ubi admittatur, ibi impossibile esse rempublicam stare." Qui de Imperio et Sacerdotio rectius sentiunt, magnificam proememoratorum impudentiam constanter et amplissima experientia explodunt, fide et notitia publica, atque historica interpellata demonstrantes: a) florentissimam Romanorum Monarchiam, cum Constantinus et Theodosius, uterque Magnus, Hierarchiae Ecclesiae se cum toto Imperio suo subiecerunt, non periisse, b) Francorum Imperium sua erga orthodoxam Ecclesiam aubiectione non modo exstinctum non esse, sed imperatoriae Maiestatis splendore in Carolo M. adauctum, c) Germanici Regni eiusque populorum libertatem, a variis Regibus varie graviterque tentatam, orthodoxae potissimum Ecclesiae constantia olim fuisse servatam, d) Graecorum Orientale Imperium stetisse, quamdiu Status in Statu, idest, Ecclesiae Catholicae obedientia in illo Imperio permansit, et primum facto obedientiae divertio in peius ruisse, e) Hispaniae, Americae, Poloniae, aliaqua Regna Status esse neutiquam desinere, licet in illis Sacerdotes omnes et Episcopi a potestate Romani Pontificis in Religionis rebus dependeant, f) denique omnes, etiam non Catholicos, Principes, qui in sua ditione Catholicos esse permittunt, una etiam permittere, ut iidem sive Sacerdotes sint sive laici, in sacris ab Hierarchia Ecclesiae adeoque Romano Pontifice dependeant; et

id quidem necessario, quia si non penderent, Catholici non essent; nec tamen quemquam horum Principum esse, qui statum hunc in statu exitialem sibi persuadeat, quemadmodum sibi persuasisse visi sunt Heineccius et Puffendorfius. Atque haec quidem tametsi per occasionem duntaxat dicta esse oporteat, ad tollendam tamen reflexionis difficultatem in tantum opportuna censentur, in quantum demonstrant, quod facta etiam in omnem casum totali Acatholicorum a Catholicis in Regno Hungariae separatione, Acatholici Regni antelati tamquam status in statu adeoque quoad hoc, abominandum in Statu Politico monstrum neutiquam considerari possint. Ratio est, quia et hierarchia propria carent, et status vel potius religionis ipsorum negotia plurimis sapientissimis aeque ac providentissimis supremorum Terrae Principum Edictis Regali Audientiae reservata sunt.

8. In connubiis mixtae religionis, etiamsi ea quo casu permitterentur, ita attendendum est ad iura *patriae potestatis*, ut divinum et ecclesiasticum ius, quo pars catholica stante etiam huiusmodi matrimonio alligata manet, non simpliciter negligantur. Pars enim catholica contrahens sive vir sit sive mulier, manet in Ecclesia, adeoque est de eiusdem foro: habet igitur Ecclesia ius compellendi ipsam, ut prolibus suis de ea fide atque educatione prospiciat, ex qua proles antelatae remedia saluti spirituali necessaria adipiscantur. „Unus autem est Deus, una fides, unum baptisma" Ephes. IV. 5. una, inquam, fides, idest, salvifica, quam pars catholica propriam non esse, nisi contra conscientiam agere velit, credere non potest. Sustinere igitur absque gravi conscientiae suae remorsu, adeoque continuo mortalis peccati reatu numquam poterit pars catholica, etiamsi mulier duntaxat illa fuerit, ut proles suas extra eam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, educari aspiciat. Id enim omnes Catholici cum S. Athanasio in Symbolo fidei credimus firmissime, et confitemur quod „nisi quisque fidem Catholicam integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit." Ex his tamen nemo metuat, iura patriae potestatis detrimentum aliquod subitura. Semper namque manebunt proles etiamsi in catholica religione edu-

catae fuerint, patriae potestati quoad illos effectus, quos eidem Jus Civile attribuit, obnoxiae. Habebit itaque Pater ex patria potestate in liberos etiam catholice educandos non quidem amplius ius vitae et necis, aut ius in necessitate eosdem oppignorandi, et vendendi, quod olim ex lege Romulaea ipsi competebat, sed post Hadriani *l. 5. ff. ad leg. Pomp. de patr. et Constantini l. un. lod. qui parent. vel lib. occid.* amplius non competit: habebit, inquam, ex patria potestate in liberos etiam catholice educandos potestatem eosdem corrigendi, castigandi, ac si excessuum et flagitiorum qualitas exegerit, etiam incarcerandi, liberis suis impuberibus in testamento tutorem dandi, illatam eisdem iniuriam remittendi, bona eorum adventitia ipsis etiam invitis administrandi, liberorum acquisitiones iuxta reformationem Justiniani Imp. secundum peculiorum distinctionem acquirendi, filium ne in causa etiam propria sine consensu patris contra alium in iudicio stare possit inhibendi, liberos suos iure Quiritum vindicandi etc. Hi sunt et non alii, nec plures patriae potestatis effectus iure civili eidem attributi, qui omnino in suo sano, et legitimo sensu consistere possunt in patre respectu prolium suarum vel impuberum vel nondum emancipatarum etiamsi has propter extrinsecam gravissimam rationem patriae potestati in matrimoniis mixtae religionis necessario supervenientem et non minus obligantem in Catholica religione educari oporteat.

9. Id sine dubio verum est, quod prolibus sive in indifferentismo, sive in acatholicismo educandis non tollatur libertas, ut, postquam ad annos discretionis pervenerint, orthodoxam atque unice salvificam religionem amplectantur. Sed et illud certissimum esse debet, quod prolium istiusmodi conversio non tam facile sperari possit. „Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu — adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea". Sensibus et libertati, quibus propter regnum coelorum vim inferri oportet, longe magis favent acatholicorum, quam catholicorum principia et religio! facilius quisque eam sive artem sive scientiam profitetur, cui a teneris assuevit! Et licet consideretur, nihil omnino operae atque industriae praetermissuros

tam Ecclesiarum Dei Antistites, quam eorumdem in vinea Domini cooperatores, quominus hos tales ad frugem et sanam doctrinam reducere niterentur, quemadmodum de facto quoque circa alios a semita salutis deviantes non praetermittunt: cum tamen paucissimi sint heterodoxorum, qui non vel ipsos de religione discurrentes odio habeant, et auditum a veritate avertentes quibuscunque possint sub praetextibus devitent: inde est, quod difficillime omnino et nonnisi cum magna patientia, qualemcunque demum quotidiana experientia docet, fructum ferant. Cadit quidem saepius semen Verbi Dei in terram bonam, et nisi inimicus homo superseminaret zizania, in optimam messem brevi excresceret: sed inimici hominis domestici eius sunt, parentes, cognati, Ministri praedicatores, respectus humanus, a quorum potestate et consortio (praesertim si quos ex linea materna cognatos habet longius distent) propterea quod annos discretionis attigerit, proles huiusmodi non divelletur. Finis ergo conversionis, vel potius religionis catholicae professionis per reflexionem positam ex animo, aut simulate intentus longe connaturalius convenientiore ad haec et suaviore via per ipsammet educationem atque a teneris insvetionem assequi poterit.

10. Jam ex superioribus patet, religionis in prole suscepta determinationem (de qua in iure civili effectus patriae potestatis singillatim et saepius determinante altum est silentium) aut ad patriam potestatem nullatenus spectare, aut si quaqua ratione pertinet, eam in casu mixtae religionis matrimoniorum ex circumstantia catholicae consortis antedictae potestati superveniente et extrinseca iure divino et ecclesiastico affectam, atque circumscriptam esse. Porro quoad matrimonia huiusmodi iam contracta id investigandum censeretur, utrum videlicet coniuges copulationis suae tempore de prolibus utriusque sexus in orthodoxa religione educandis reversales dederint nec ne? Si primum, et tamen proles sive in indifferentismo, sive in acatholicismo educarunt, aut actu etiam educant: pro salutari aliorum exemplo et terrore in vindictam violatae fidei, quam praestiterunt, processu criminis apostasiae conveniri mererentur; favorem enim, auxilium, consilium, imo unicam et proximam oc-

casionem soboli ad profitendam haeresim praebuerunt. Si reversales eiusmodi non dederunt: ex favore dominantis Rom. Catholicae Religionis atque ex studio amovendi a prolibus praesertim innocentibus certissimae damnationis periculi, ea iniri posse crederetur providae dispositionis ratio, ut tentata primum tam parentum, quam parochorum ad earumdem conversionem industria, eaque praeter omnem spem et exspectationem delusa, si proles (nulla habita sexus disparitatis ratione) iam doli capax sit, ad fidem R. Catholicam non cogatur, sed suae libertati relinquatur; si autem nondum sit doli capax, ad sequendam religionem partis catholicae, sive pater sive mater ea pars sit, omnibus modis compellatur. In dudio porro, an usu rationis proles gaudeat, in favorem pariter orthodoxae religionis inclinetur. Neque vero aliquis provisionem hanc arbitrariam duntaxat existimet, cum ea revera orthodoxae Ecclesiae disciplinae in simili plane facto sit prorsus conformis. Quippe S. Augustinus, lib. II. cont. lit. Petil. c. 83. — et C. Toletanum IV. can. 56. et 62. ad eam quaestionem: in casu quo alteruter parens solus fidelis est, utrum eorum sequi debeat proles? ita respondendum decreverunt, faciendumque praescripserunt.

11. Omnium Catholicorum Authorum (nullo penitus excepto) unanimis et constans fuit, estque hodiedum adhuc opinio: talem fieri non posse pactionem absque gravi peccato (ut nimirum proles sexus masculini patris, foeminini vero sexus matris religionem sequantur): neque enim parti catholicae in aliquo casu prolis suae damnationi aeternae assentiri unquam est licitum; atqui ex hac pactione unius ordinis prolium suarum damnationi assentitur illa pars, quae pacisceretur, ut eae falsis haereseos elementis imbuantur; in matrimonio enim mixtae religionis ita pacisci, ut pars prolium patris, altera matris religionem sequatur: idem est, ac pacisci, ut pars prolium sit catholica, adeoque viam salutis ingrediatur, altera vero haeretica, adeoque ad viam damnationis declinet. Iniqua est igitur huiusmodi pactio, et contraria ipsi iuri naturali, ac fini matrimonii, quo exigitur: ut proles ex eo nascitura verae fidei, „sine qua, teste

Apostolo, impossibile est placere Deo" doctrina imbuatur, quatenus Deum cognoscere, diligere, atque eidem, sicut ipse praescripsit, servire valeat. Quae quidem veritas (etiamsi ceterae inconvenientiae superius iam sparsim pro exigentia materiarum allatae et huc facile opportuneque applicabiles longe abessent) adeo certa videtur, et indubitata atque convincens, ut ulteriore sive probatione, sive deductione eam indigere non existimetur. —

h) 296.

Opinio Episcopi Vaciensis, Cardinalis a Migazzi, a. 1768.

Da mein Weihbischof Carl v. Salbeck letzthin die Visitation in der Waitzner Diöcese vorgenommen, auch in alldortigem Consistorio nicht selten die Fragen, welche mit denjenigen, die mir von Ew. Excellenz *(ad Cancellarium R. scribit)* mitgetheilet worden, eine Verwandtschaft haben, vorzukommen pflegen, so habe ich darüber seine Meinung anbegehrt. Diese ist in beiliegender, von ihm verfassten, und mir zugeschickten Schrift so weitläufig und gründlich erkläret, dass ich der Hauptsache selbst nichts beizusetzen finde, dennoch erachte nicht unberührt zu lassen, wie ich meines Dafürhaltens nicht leicht einsehe, warum man bei gegenwärtigem Zeitlaufe eine Sache rege machen, und durch eine landesfürstliche Anordnung feststellen wolle, welche wem immer sie günstig sein dürfte, doch jederzeit entweder bei dem einen oder andern Theile nicht wenigen Schwierigkeiten ausgesetzt sein müsste.

Die Eheverlöbnisse, wovon die Frage ist, sind sowohl zwischen den Adelichen und Reichen, als auch zwischen den Geringen und Armen seltsam, und so oft ein solcher Fall sich äussert, so werden von den Herren Ordinariis die Umstände genau und sorgfältig untersucht, und erwogen, ob nämlich ohne Verletzung des natürlichen göttlichen Rechtes, wie auch der ausdrücklichen Kirchensatzungen solche Eheverlöbnisse zugelassen werden können, oder nicht? Auf solche Art hat man dem Übel, welches aus einer uneinge-

schränkten Freiheit nothwendig entstehen müsste, zu steuern getrachtet, für das ewige Wohl derer aus solcher ungleichen Heirath erzeugender Kinder gesorget, und andurch alles Aufsehen möglichst wermieden, welches ein allgemeines Verbot oder eine unbeschränkte Erlaubniss dergleichen Ehen einzugehen, oder gänzlich zu lassen, hätte erwecken können. Einzelne Fälle ziehen niemals solche Folgen nach sich, welche einer ganzen Gemeinde zur Richtschnur sind, und lassen jederzeit den Weg offen, nach Beschaffenheit der Umstände sich zu benehmen; eine andere Bewandtniss hat es mit einem förmlichen und feierlichen Gesetz.

Die Vorkehrungen, welche mein Weihbischof einer Eheverlöbniss ungleicher Glaubensgenossen vorschlägt, da die Wichtigkeit der Umstände solche zu gestatten erheischte, sind nothwendig, und sie müssen auch in einzelen Fällen in die Übung und Erfüllung gebracht werden; Ew. Excellenz kann ich auch nicht bergen, dass die traurige Erfahrenheit deutlich mich belehret, wie erstens, der irrige Ehegatte den rechtgläubigen Theil öfters in seine Verderbnisse gezogen, als dass dieser den erstern zur Wahrheit gebracht habe; zweytens, habe aus der nämlichen Erfahrenheit, dass der lutherische oder calvinische Ehegatte die Kinder fast gleich aus der Wiege in seiner Glaubensgenossen Hände gebe, und solche nach allen Kräften zu verbergen suche; bis aber die Komitater die hindann gegebenen Kinder ausfindig zu machen im Stande sind, verfliesst meistens eine so lange Zeit, dass erstgedachte Leibesfrucht mit dem Irrthum gänzlich angesteckt, und solche von dem Wege der Verdammniss abzuführen kaum mehr möglich ist. Ja in den Komitatern, in welchen die Protestanten, und sogenannte Reformirte die Oberhand haben, oder Aemter begleiten, wird die Ausfindigmachung der unglücklichen Kinder so saumselig und listig angestellt, dass sie selten den erwünschten Endzweck erreicht.

Wie es mit den von derlei Ehen vermischter Religion allschon erzeugten Kindern gehalten werden solle, ergibt sich von selbst. Dergleichen Heirathen sind gewisslich nicht von Herren Ordinariis auf eine andere Art gestattet worden,

als unter Abgebung und schriftlicher Ausfertigung der Reversalen, die daraus entspringende Leibesfrucht in der katholischen Religion zu erziehen; hiemit scheint Nichts anderes übrig zu verbleiben, als dass Se. K. K. Apost. Maiestät den Herren Ordinariis, wo es nöthig ist, mildest beistehe, damit die abgegebenen Reversales von den Eltern in die Erfüllung gebracht werden.

Provocata in his literis opinio Vicarii Generalis Vaciensis.

Ad propositam duplicem in causa matrimonii quaestionem, unam nempe: an matrimonia inter Catholicas et Acatholicas personas in Hungaria admittenda sint, et quae media adhiberi debeant, ut proles inde susceptae in fide unice salvifica Romano-Catholica imbuantur? et alteram: quid cum prolibus eiusmodi agendum, quae ex matrimoniis disparis cultus hactenus procreatae sunt? sequens humillima opinatio et responsio substernitur.

Ad I. In Provinciis et Regnis, quibus etiam virtute Constantiensis Concilii commercium et familiaris cum haereticis, Catholicis permixtis, agendi consuetudo, quemadmodum in Hungaria, ob necessitatem libera licitaque effecta est; communicatio tamen in divinis, quod fit quoties se Catholici matrimonio cum iis iungere non dubitant, tum ex inhibitione sanctionum Ecclesiasticarum, tum assidua Ecclesiae praxi semper vetita fuit. *(Citantur Canones Concilior. et Rescripta RR. PP.)* Atque haec fuit et est continua S. Sedis observatio, in quem finem dispensationibus ab eadem elargiri solitis clausula adiicitur: „abiurata prius haeresi". Et Innocentius PP. X. prohibuit istiusmodi dispensationes elargiri, nisi per authenticum documentum probatum fuerit, labem haereticam in contrahente eiuratam fuisse; ut proinde contrahentes talia matrimonia graviter omnino peccent, quoniam agunt in re gravi cum contemtu SS. Canonum contra iustissima Ecclesiae praecepta.

Rationes porro horum intrinsecae sunt: 1. quia plerumque et ordinarie tale matrimonium scandalis ac spiritualibus periculis subiectum est. 2. Coniuges in tali nexu de-

bitum sibi honorem praestare recusant, nec mutuo se prosequuntur affectu, proruunt in odia, iniurias, et contentiones, periculo se exponunt praecepta Ecclesiae praevaricandi in ieiuniis, Festorum sanctificatione, frequentatione divinorum etc. 3. Adversatur et obsistit bono prolis, ad cuius rectam et salutarem educationem in Dei obsequium tendentem matrimonia ordinantur, quae impia adeo et periculi plena sunt, ut legi divinae et naturae repugnent. Teste siquidem Apostolo, „nulla participatio iustitiae cum iniquitate est, aut societas luci ad tenebras". Concurrere nihilominus possunt circumstantiae, et gravia rationum momenta, quae in certis casibus ad ineundum inter partes catholicam unam, alteram haereticam matrimonium aditum aperiant. Ac 1. quidem, quando haereticus promittit, quod velit catholicam fidem amplecti. 2. Ex dispensatione Summi Pontificis, quae ex gravissima causa et ad bonum publicum pertinente conceditur. 3. Ex consuetudine recepta, quae iuri humano ecclesiastico derogat. Numquam tamen ab iniquitate et peccato excusantur, nisi adiectis et purificatis conditionibus, dummodo in fide catholica libere vivere permittantur, et omne absit periculum perversionis ac scandali, quae fundata in iure divino nec dispensatione nec consuetudine everti aut reiici possunt. Unde sequitur, quod in Hungaria simul et per consuetudinem admitti possint connubia Catholicorum cum haereticis, et observari debeant hae conditiones: a) ut coniux catholicus ab haeretico perverti nequeat, quin ille teneatur ad hunc pro viribus ab errore retrahendum — b) ut soboles utriusque sexus ex matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate instituatur. De hoc cautum iam alias fuit Sacrae Majestatis Apost. decretis, ac praecipue a. 1749. 17. Septembr. emanatis, his verbis: „Minorennes, qualicunque ratione a fide orthodoxa deficientes, magistratualiter comprehendendi, et ad locum quempiam, uti sunt Religiosi etc. pro studiis applicandi, et in rudimentis fidei instruendi, affabiliterque tractandi erunt, qui si usque legitimam aetatem non resipuerint, id Consilio Locumtenentiali, per illud vero Suae Maiestati repraesentetur." Non secus anno 1756. 30. Aug: „contra eos, qui Reversales dede-

runt, ad earumdem implementum procedatur, et ad tenorem Reversalium debito juris ordine convicti puniantur, proles autem hucdum indifferentes, ut in fide Catholica educentur instruanturque, iam perversae autem in conformitate Ideae a. 1749. élargitae reducantur." Uti etiam a. 1761. 29. Jan „proles in acatholicismo, et damnato illo indifferentismo educatas suavi et quavis alia ad id modalitate ad orthodoxam fidem reducere contendant, ac ut taliter reductae in eadem fide constanter perseverent, et ne iterum seduci possint, omnem possibilem vigilantiam adhibeant." — His tamen non obstantibus quam plurima contraria et funestissima numerantur in Hungaria exempla, ubi Catholici per matrimonium Acatholicis adhaerentes defecerunt in via veritatis, et conversi ad impietatem sunt, prolesque suas damnabili sectae addixerunt. Incredibile namque est, quam callidis multisque modis ii, qui ex adverso sunt, operentur, ut dogmata sua augere et dilatare, ac reliquos etiam ad ea pertrahere possint; mutua ad invicem propterea conferunt, consilia, operas omnes impendunt, impensas congerunt, easque communes faciunt, advocatos magno aere conducunt patronos inquirunt, protectionem domi forisque implorant profanis denique et vaniloquiis utuntur, ut proficiant ad impietatem. Quare necessarium profecto videtur, ut in matrimoniis mixtae religionis, tamquam in negotio summi momenti, a quo pendet salus, et aeternitas, divinae humanaeque legi satisfiat, et tum coniugis, cum etiam nasciturae prolis commodis ac saluti provideatur; numquam itaque et iniri et perfici admittantur, nisi Episcopus pro praecipua muneris sui parte pericula et offensiones dignoscat, coniuges vero arctam conditionibus praeappositis morem gerendi obligationem scriptam, ac testimoniis necessariis munitam exhibeant, cuius autographum in Tabulario Episcopatus asservetur; exemplar autem, quoties id fieri contigerit, ad Exc. Consilium L. R. pro maiori rei stabilitate perferatur. Ne autem hanc ipsam pro arbitrio libidineque sua perperam, ut consueverunt, eludere possint, Curatores animarum omnium huiusmodi matrimoniorum et prolium syllabum quotannis conficiant, qui tempus initorum matrimoniorum, ae-

tatem prolium, ac earumdem institutionem indicet, quo rite indagato et relatione ad Exc. Consilium facta, Episcopis potestas detur, ut nobilium quidem, qui his temerarie contravenire non formidaverint, proles vi reversalium sine ulteriori litis intentatione, ne per effugia novum in mora periculum accrescat, ad collegium, Seminarium, aut alium opportunum locum expensis genitorum alendas disponere valeant; ignobilium vero, et rusticorum instructioni curatores animarum, ubi degunt, subiiciantur, et in renitentes poena, quam Magistratus ad expositionem et requisitionem Episcopi incunctanter, ac semper exequi teneatur, praescibatur.

Ad II. Responsio suapte ex priori dimanat. Quemadmodum enim ex Decretali Benedicti XIV. Rescripto id sibi potissimum in animum inducere debet coniux catholicus sive vir sive foemina, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, conetur que pro viribus alterum coniugem a vera fide aberrantem ad gremium Ecclesiae Catholicae pertrahere, eiusque animam lucrari: ita obligatur quivis parentum ex pietate curare, ut prolibus sub potestate sua constitutis media ad salutem necessaria subministret, easque ad fidem salvificam tamquam praesidium salutis sollicite et omni diligentia, ac si opus sit, norma superius attacta perducat, idque tanto securius et certius, quod lege divina humanaque imo naturali ad hoc perstringantur. Et hoc S. Thomas l. 3. cont. Gent. cap. 122. non obscure innuit, dicens: „in specie humana proles non indiget solum nutritione, quantum ad corpus, ut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam".

Quod subnexa projecta attinet (in *Reflexionibus*), ita ex ordine respondendum videtur:

1. Constitutio in Transsilvania sancita conformis est declarationibus addnctis, sed raro admodum aut numquam cupitum effectum forte sortita fuit. In recenti adhuc memoria *Banffianus* casus est, in quo, prout refertur, et stipulatio pro sexu tantum masculino facta erat, et quae non molimina adornata, ut filia numquam Fidei Rom. Catholicae addici possit; quae ut everterentur, summa Augustae pietas et au-

thoritas solum efficere potuit. Innumera poene eiusmodi facta reperirentur in Hungaria et Transsilvania, si cuncta ad indagationem revocentur, ex quibus patet abunde, tantum abesse, ut ex libertate istorum connubiorum spes aliqua augendae Religionis aut conversionis affulgeat, quod potius homines natura aliunde ad libertatem et vitia proni a recto tramite deflectant, et sicut connubio ita licentia religionis haereticis coniungantur. In Canonica certe Visitatione plures reperi viros et foeminas, quae haeretici coniugis amore et affectu victae non tantum non satagebant prolibus suis catholicam impendere educationem, sed cooperatae etiam fuerunt, ut perniciosae sectae principiis praeventae et imbutae horrorem verae et salvificae fidei conciperent, atque ita suam proliumque suarum animam aeternae damnationi devoverent; quibus profecto melius fuisset, si nati non fuissent. Alios vero, qui vinculo eiusmodi matrimonii a vera fide orthodoxa soluti partim uxorum, partim maritorum suorum sectam amplexati sunt, nullum vero, qui amore salutis et veritate religionis stabilitus errantis coniugis animam lucratus fuisset; neque ab hoc deterrentur apostasiae criminis malo, cum videant paucos admodum, et hos levi adhuc poena mulctatos esse. Ego horum integrum catastrum subtexere possum, quorum aliquos iam etiam poenis praescriptis adstringi postulabam, sed in vanum; iam enim qui officium suum praestare debet, Magistratus aliis distinetur, iam peregre eos constitutos asserit; aut in longinquas et dissitas partes, ut facinus celetur, promoventur, iam se coram Judice sistere tergiversantur, tot denique excusationis vanae specimina formantur, ut scelera contra religionem patrari et committi impune credantur, ac re ipsa etiam committantur. Unde sane non mediocriter avocantur per eiusmodi pessimi exempli matrimonia acatholici a fide orthodoxa, et firmius persistunt in sua secta, cum tam pronos et inconstantes, atque debilioris etiam et ignorantis coniugis illiciis avulsos Catholicos seduci observant; magnam vero tunc disciplinae catholicae existimationem conciperent, dum paris religionis Catholicae coniuges arctissimo fidei matrimoniique vinculo pro Dei gloria suarumque animarum salute adstrictos intelligerent. Alia

rum sententia, ac Ecclesiae, S. Sedis inhibitionibus clarum, luculentumque est, et confirmatur amplius ex Cap. fin. de conv. infid. Quod Deus et natura indidit, ut nempe parentes liberos in vera fide enutriant, cui obligationi sub nullis praetextibus et nullo unquam modo reluctari ipsis parentibus concessum et integrum est, verendum quoque maiorem in modum est, ne filii tenebrarum prudentiores et sagaciores passim, Catholicas mulieres sibi vel ideo coniungant, ut masculae proles frequentissimo numero haereticae in Reipublicae membra, et sectae eorum propagationem subinde adolescant. Igitur in Regno hoc connubia inter personas disparis religionis vel nulla ob pericula, quae ipsis plerumque coniuncta sunt et vix amoveri possunt, vel ita admittenda videntur, ut soboles omnes Catholicis principiis imbuantur, et fidem orthodoxam Catholicam sequantur; iam enatae vero proles, quotquot sint, praecipue tamen quae patriam potestatem aut maternam non excesserunt, ad eandem iure omni reduci debent, nec ab hac, nisi cum scandalo et offensione ac evidenti damnationis periculo excusari et immunes esse possunt.

i) 297.

Opinio Episcopi Agriensis. Caroli C. Eszterházy, a. 1768.

Communicatae reflexiones circa duplex principale quaesitum versantur: 1. An connubia promiscua Catholicos inter et Acatholicos in Hungaria in posterum admittenda sint? quaeve media adhibenda, ut proles ex talismodi thoro suscipiendae in unice salvifica Catholica Religione educari queant? 2. quid circa proles ex talismodi mixtis matrimoniis iam natas statuendum sit?

Quoad *primum* quaesitum ea est mea opinio, quod negotium incundorum inter diversae religionis personas matrimoniorum iudicio Dioecesanorum ita committendum sit, ut hi non aliter ea admittere possint ac debeant, quam ubi moralem certitudinem et securitatem habere possunt, quod pars Catholica pervertenda non sit, et proles utriusque se-

xus in Catholica fide educandae. **Rationes**, quae me in hac opinione confirmant, sunt hae sex: 1. quia hoc videntur exigere leges Patriae et in his radicata tolerantia Acatholicorum. 2. Quia idem videntur innuere benignae Resolutiones C. Regiae in negotio Religionis emanatae. 3. Quia hoc magis conforme est menti, et sensui Ecclesiae Rom. Catholicae. 4. Quia contra hoc ipsi Acatholici solidi et fundati obvertere nihil possunt. 5. Quia nec rationes politicae, et Status convincentes in contrarium adduci possunt. 6. denique, quia hoc *solum et unicum medium* est, quo Dicasteria Suae Maiestatis e molestiis eximantur, Suae Maiestatis aures ab inanibus lamentis et querelis immunes conserventur, proles mixtorum matrimoniorum in Fide Catholica educentur, consequenter pientissime intentus finis in quaesito attactus obtineatur.

Quemadmodum nulla lex Patria existit, quae claris et distinctis verbis prohibeat similia mixta matrimonia: ita ex adverso etiam nulla existit lex, quae eadem admittat, multo minus, quae divisionem inter proles fieri posse statuat, ut nempe proles omnes seu una pars prolium aut ob respectum patriae potestatis, aut ob diversitatem religionis parentum in haeresi educari possit. Jam vero hactenus si quando dubium oriebatur, an hoc vel illud Acatholici fundamento legum praetendere possint, consequenter illis indulgendum sit, investigabatur: an in legibus contineatur? quidquid enim illis indultum non est, hoc ipso prohibitum censebatur. Aperte satis deducitur hoc etiam ex b. Resolutione C. R. die 30. April. 1753. emanata circa Praedicantes in Civitate Soproniensi prohibitos, ne damnatos ad mortem ad supplicium comitentur. Alter modus resciendi, an hoc vel illud Acatholicis indulgendum sit, videtur iudicio meo esse hic, ut nimirum leges et articuli, in quibus tolerantia Acatholicorum radicatur, examinentur, et conditiones iisdem impositae bene perpendantur. Articuli, quibus tota et integra tolerantia modernorum Acatholicorum tamquam basi et fundamento unico innititur, sunt hi: anni 1606. 1-us, a. 1608. 1-us, a. 1681. 25. et 26. a. 1687. 21. et tandem 1715. art. 30. Vi horum articulorum Acatholici, et eorum exercitium

religionis non aliter tolerantur, quam „absque praeiudicio Catholicae Romanae Religionis propter bonum domesticae unionis et pacis, et internae Regni tranquillitatis ex gratia Regia adhuc" — et tandem si de genuino sensu horum articulorum quaestio oriretur, „explanationibus Regiis se accomodare debeant". Ex quibus recta consequentia deducitur: quod si matrimoniorum per diversae religionis personas contrahendorum necessitatem pax et interna Regni tranquillitas non urgeat, si hoc admitti absque praeiudicio Religionis R. Cath. non possit, si denique Resolutiones C. R. eo tendant, ut proles ex talibus matrimoniis natae in unice salvifica fide educentur: nec ipsa similia matrimonia aliter Dioecesani admittere possint ac debeant, quam ubi moralem certitudinem habere possunt, quod pars Catholica pervertenda non sit, et utriusque sexus proles in Cath. Fide educandae. Porro ex inferius deducendis utcunque clarum fiet, quod per matrimonia promiscua a personis diversae religionis contracta, aut contrahenda non modicum inferatur praeiudicium Religioni Catholicae, prohibitio autem illorum cum attacta cautela absque confusione aut perturbatione tranquillitatis et pacis internae fieri possit, ut hoc ipsum hactenus b. Resolutiones R. pro scopo habuerint. Demissae meae opinioni similem dedit opinionem Commissio in negotio Religionis Art. 30. a. 1715. ordinata, dum acta sua referens magnae memoriae Imperatori Carolo VI. a. 1722. puncto XIii. de copulatione Sponsorum diversarum religionum haec habet: „Cum Religio Catholica sola haereditaria sit in hocce Regno Apostolico, multoque (nulla comparatione admissa) eminentior professione Acatholicorum: mirari non debent Acatholici, si diversae religionis sponsos Parochi Catholici copulent, aut ex diversae religionis matrimonio proles in Catholica Fide educentur, imo e converso Praedicantes in similibus contra praerogativam et iurisdictionem Plebanorum excederent, cum tamen scire debeant professionem ipsorum tali cum conditione primi illius toties repetiti Viennensis Articuli admissam esse, ne ipsi in progressu sui exercitii praeiudicent Catholicae Religioni, non vero Catholicam Religionem taliter limitatam et restrictam esse, quae per prae-

tensam etiam tolerantiam veluti avita et haereditaria numquam in quaestionem sumta, sicut in statu suo relicta fuit, ita reformari nullo modo posset". His in benignam considerationem sumtis, videtur vix melius conscientiae suae consulere posse Sua Maiestas SSma, quam si verum et genuinum sensum praefatarum legum et articulorum ita benignissime interpretari dignabitur, ut negotium sponsorum diversae religionis eorumdemque prolium Dioecesanis, et eorum Consistoriis relinquatur, quibus alioquin causae matrimoniales omnes fundamento Patriarum legum, et articulorum diiudicandae relinquuntur. Praesertim postquam Suae Maiestati SSmae benigne visum est, iam hoc statuere, et decidere, quod etiam in accessorialibus circa matrimonium quaestionibus acatholici cum suis ministris subsint et subesse debeant iudicio Dioecesanorum, et eorum Consistoriorum, uti habet b. Resolutio die 6. Octobr. 1759. emanata: „numquam potest esse casus Sponsorum diversae religionis, in quo non sit quaestio si non de valore, certo de liceitate, nullibi autem melius, et securius decidetur haec quaestio, quam in foris spiritualibus."

Debeo iam breviter declarare, quid in hoc merito innuant benignae Resolutiones Regiae. Binae exstant Resolutiones R. de copulatione Sponsorum diversae religionis, et educatione prolium. Prima est de anno 1731. ad acta Commissionis emanata, quae puncto VII. habet: ut disparis religionis homiues tam in locis articularibus quam non articularibus praecise coram Parocho loci Catholico matrimonium inire possint, admitti. Altera est de anno 1756. quae in Intimato per Consilium R. publicato confirmans priorem, puncto IV. haec continet formalia: ut circa ineunda inter diversae religionis personas matrimonia b. idealis Resolutio eatenus emanata quam exactissime observetur. Verum est quidem, quod prior Resolutio de a. 1731. Dominis Dioecesanis ita et cum hac explanatione intimata sit, ut si Parochi efficere non possint, ut contrahentes de prolibus utriusque sexus in Catholica fide educandis Reversales dent, saltem eo disponere easdem partes conentur, ut proles sequantur quoad fidem sexum Parentum; hanc tamen condi-

tionem quemadmodum tuta conscientia Episcopi in praxim deducere non potuerunt, cum talis divisio animarum inter Deum et daemonem, aeternam salutem et aeternam damnationem in pactum nullo modo a parte Catholica deduci possit, ita suapte evanuit. Ego certe licet diligenter curassem Archivum meum Consistoriale excuti, et pervestigari, et licet complures Reversales adinvenerim, quibus proles utriusque sexus in Catholica Fide educandae promittuntur, nullas tamen invenire potui, quae divisionem aliquam prolium quoad fidem seu ob respectum patriae potestatis, seu ex aliis rationibus permitterent aut statuerent. A quo tempore autem praesum Ecclesiae huic Agriensi, non tantum nullum inter diversae religionis personas matrimonium contrahi admisi absque claris reversalibus de prolibus utriusque sexus in Fide Cath. educandis, sed neque requisitus sum, ut admitterem; quia potius suapte et ultro tamquam conditio sine qua non, a parte acatholica reversales hae absque omni vel minima violentia aut coactione mihi offerebantur. Dum autem Ecclesiae Vaciensi praeessem, ne oblatis quidem reversalibus contentus eram, sed simpliciter conversionem partis acatholicae praevie desideravi, et cum optato effectu. Aequissimo iuxta ac sapientissimo Suae Majestatis SSmae substerno iudicio ac decisioni: an non maximum Ecclesiae Agriensi, et hoc ipso etiam Fidei Rom. Catholicae inferretur praeiudicium, si ex pacifico tantorum annorum usu Reversales de prolibus in Cath. fide educandis exturbari deberent, praesertim nec ipsis acatholicis contra hoc conquerentibus; nam quemadmodum ad me circa has reversales, ut paulo ante declaravi, nulla querela delata est, nec minimam resistentiam expertus sum: ita puto, quod ad Augustum thronum querelae contra desideratas reversales aut nullae aut valde paucae deferantur. Sed querelae hae potius sunt contra Parochos, eos copulare nolentes, qui in indifferentismo, aut etiam acatholicismo hactenus vixerunt, aut educati sunt, cum tamen parentes eorum, aut ex utraque parte catholici, aut saltem mixtae religionis fuerint. Quodsi autem hic usus, haec consuetudo in Dioecesi Agriensi, haeresi ex omnibus Hungariae dioecesibus maxime referta, observari potuit: nullum mihi

dubium esse potest, quod in aliis Dioecesibus aeque iam observetur, aut certe facilius introduci, et observari in posterum possit; et consequenter potissimis intentionibus Regiis de educandis utriusque sexus prolibus etiam in mixtis matrimoniis pronius, et facilius satisfieri; nam ego quidem hanc fuisse pientissimam magnae memoriae imperatoris Caroli VI. intentionem vel exinde convincor, quod similia matrimonia in locis ipsis articularibus nonnisi coram Parochis Catholicis contrahenda jusserit, et in pessimo, uti solemus dicere, casu id tolerare, et permittere voluerit, ut saltem quoad sexum parentum Catholicorum proles sequantur fidem eorumdem, quando hoc non pro favore Acatholicorum cederet, sed emolumentum aliquod Romanae fidei sperari posset. Atque hinc etiam evenisse autumo, quod cum modo feliciter regnans Sua Maiestas SSma, quae cum omnibus Regiis dotibus cumulate ornata sit, cumprimis tamen ut Mater bonae educationis ob continuam huius procurandae cum effusa liberalitate sollicitudinem ab orbe toto colitur, et proclamatur, benigne observaret in admissis mixtis matrimoniis intentum per desideratissimum Genitorem suum finem haud obtineri: in b. Resolutione a. 1756. edita non iam tantopere sollicita fuerit, ut quibus sub conditionibus mixta matrimonia permitterentur, quam de eo: quaenam maxime efficacia remedia adhibeantur, ut turpis indifferentismus eliminetur e Regno suo haereditario, et omnes omnino proles etiam parentum diversae religionis ex favore Religionis Catholicae dominantis in vera et unice salvifica Fide Cath. educentur, perversae vero aut perversionis periculo expositae eripiantur, reducanturve; quin Materno — apostolicam regiam suam intentionem amplius manifestavit, cum complures similes proles etiam reversalibus non praeexistentibus eripi iussit, et ad Fidem Catholicam feliciter perduxit semper, nisi ubi iussa regia fors tardius executioni data sunt. Nempe hoc tolerantiae Acatholicorum, particulae *adhuc* innixae maxime convenit, ut quando suaviora media non proficiunt, etiam seria magis ac magis efficacia adhibeantur, et per hoc Rex Apostolicus, cuius Resolutiones in materia Religionis alioquin leges sunt post Art. 30. a. 1715. et omne

praeiudicium Religioni Catholicae imminens avertat, et acatholicis manifestum faciat, vel hoc solo, quod dissimulatione sua et indulgentia abutentes eo audaciae prolapsi sint, ut in mixtis eiusmodi matrimoniis partem catholicam aut pervertere studuerint, aut contra fidem in reversalibus datam proles utriusque etiam sexus in haeresi educare, quoad permittenda promiscue matrimonia mixta particulam *adhuc* vim amplius nullam habituram, sed haec simpliciter iudiciis Dioecesanorum relinquenda fore, tanto a fortiori, quod Sua Maiestas SSma ipsamet agnoscere poterit, ex adducendis nunc statim hoc ipsum magis conforme esse menti ac sensui Ecclesiae Romano-Catholicae.

Ecclesia enim Romano-Catholica quaemadmodum semper quam maxime abominata est matrimonia cum alienis a vera fide contrahenda, ita eadam gravissime semper prohibuit. (*Citantur Canones Conciliorum et Rescripta Summ. Pont.*) — At forte alicui, qui orthodoxae Religionis incrementum sibi cordi sumere videtur, sed experientia, quomodo negotium Religionis in Hungaria tractari debeat aut possit, destitutus est, incidit animadvertere: per matrimonia mixta non exiguam Ecclesiae Catholicae accedere utilitatem — Emolumentum et utilitas Religionis Catholicae fere in istis duobus consistere deberet: a) quod si matrimonia diversae religionis simpliciter prohibeantur, adimatur parti catholicae zelandi occasio, et partem acatholicam seu occasione ineundi matrimonii, seu eo iam inito convertendi — b) acatholici sibi solis relicti magis contumaces et obstinati reddantur, cum e contra per mixta matrimonia potius spes sit, ut mansuescant, et erga Religionem Catholicam magis propenso efficiantur animo. Hae rationes tanti sunt momenti, ut si eum vel semper vel a potiori effectum producerent, qui hic innuitur, nec hactenus ab Ecclesia similia matrimonia tam graviter prohiberi debuissent, nec modo ea ita impugnari conveniret. Verum enimvero experientia quotidiana et continua aliud longe probat, et ostendit, quod Religio Catholica non tantum consideratione dignum beneficium et emolumentum non accipiat ex similibus matrimoniis, quin potius gravia patiatur praeiudicia et damna animarum. Certum est

enim ex quotidiana experientia, quod non tantum pars catholica a fide defecerit non obstantibus prohibitione et metu actionis fiscalis; sed saepissime proles utriusque sexus aut in indifferentismo, aut acatholicismo educentur; et si pars catholica non plane deficiat, tantum tamen languorem praeseferat, ut nec frigida nec calida sit. Ad hoc probandum vix videtur aliud necessarium esse, quam ut repraesentationes, quas identidem Consilio Regio submiserunt Episcopi, et eorum Consistoria, aut Vicarii Generales, inspiciantur: ex quibus clarum fiet, quanta strages animarum proveniat ex similibus matrimoniis. Ausim dicere, non alio facile modo prognatam esse in Hungaria haeresim, quam per ista matrimonia. Loquor ex experientia propria, quam in Archidioecesi Strigoniensi, Dioecesi Jaurinensi, Veszprimiensi hausi; et hoc periculum maius est in illis locis, ubi penes haereticos est potestas, et exercitium, et omnino inevitabile praesertim in tanta adhuc penuria Catholicorum Parochorum ac Ludimagistrorum. Idem expertus est celebris Canonista *Van Espen*, qui T. 2. c. 8. p. 215. de Belgio Foederato praeclare scripsit, dicendo: periculum perversionis non tantum prolibus, sed et nepotibus et pronepotibus subinde in multas generationes imminere ex huiusmodi matrimonio cum persona acatholica. Et quidem advertendum: periculum prolibus imminens non satis praecaveri per iuramentum et promissiones coniugis haeretici; siquidem Ministri acatholici facile dicturi sunt, istiusmodi iuramenta non tantum non esse servanda, sed et servari illicite. Accedit non leve periculum haereticae educationis prolibus imminens etiam vivente parte catholica, seu a blanditiis matris haereticae, seu a minis patris haeretici, potissimum in iis locis, ubi penes acatholicos est potestas; et quod semper adsit exemplum partis haereticae, nec non quotidiana colloquia de haeresi, et de fide quaestiones et contentiones, quae nata sunt si non extinguere, saltem imminuere Fidem Catholicam, ipsasque proles in Fide vacillantes et flaccidas reddere. Recte ergo ait S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 9: cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris; si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, ubi una caro et unus spiritus

est? et cave christiane gentili aut Judaeo filiam tuam tradere, cave, inquam, gentilem, Judaeam, atque alienigenam, hoc est haereticam et omnem alienam a fide tua uxorem accersens. Ratio docet, sed amplius exempla movent; saepe illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit extorres. — Sed utique per opinionem meam emolumentum et utilitas Religionis Catholicae, si quae ex similibus matrimoniis sperari possunt, non tolluntur, sed potius secura magis et firma redduntur; non enim dico, simpliciter omne matrimonium mixtae religionis aut invalidum declarandum, aut prohibendum: sed ab Episcopis non aliter admittendum, quam ubi moralis certitudo haberi potest, quod pars catholica pervertenda non sit, et proles omnes in Cath. Fide educandae. Non video sane, qui magis duplex illa nunc attacta practensa utilitas secure procurari possit? aut quomodo sine hac cautela utilitas et emolumentum consideratione dignum exspectari valeat? profecto si perrara partis acatholicae conversio, cum tantis perversionibus prolium conbinetur: damna animarum sangvine Christi redemtarum sangvineis deploranda erunt lachrymis.

Quamvis hactenus adductis rationum momentis demissam opinionem meam utcunque firmasse me censeam: ut tamen obiectionibus quoque, qua possum, satisfaciam, dico quarto: quod contra superius declaratam opinionem meam nec ipsi Acatholici solidi aliquid et fundati obvertere possint. Ut nihil enim dicam de hoc, quod per talem ordinationem magis Catholici ipsi, iurisdictioni Episcoporum, utique quoad ea, quae ad animarum salutem pertinent, subiecti, restringantur, et indirecte tantum acatholici; ut amplius nec huius mentionem faciam, quod acatholici nullo modo praetendere possint, ut praeiudicia Romanae Fidei libere et impune inferant: sufficit ostendisse, quod ipsi Acatholici in Libris suis Symbolicis, utpote Agendis seu Ritualibus, Canonibus et aliis privatorum Auctorum similia matrimonia cum Catholicis ineunda dissuadeant, et illicita ac vetita pronuncient. Primo in Agenda Calvinistarum (quae ex Stephani Milotai Superintendentis agenda excepta et pro usu Transsilvanorum edita est a. 1755. ea tamen nostrates

ministri passim utuntur) haec habentur pag. 28: „honestum est matrimonium inter eos, qui sunt eiusdem fidei, quia eorum matrimonium, qui diversae religionis sunt, nec honestum nec Deo placens est. Deut. VII. 3." Dein Agenda eadem fuse deducit et disputat de matrimonio tali, aitque „id tunc solummodo forte licitum esse posse, si altera pars promitteret conversionem, sed huius rei, inquit, pauca exempla habemus, imo etsi id promittit, ubi matrimonium consummatum est, verberibus cogit uxorem suam, ut infidelem, haereticam, et idololatricam religionem profiteatur, etc." — Secundo in Agenda Varadini a. 1653. impressa haec reperiuntur pag. 183. §. 3. ad tertium: „quare non licet vero christiano accipere uxorem infidelem, vel alterius fidei? *resp.* etsi nihil unquam de hac re loqueremur, deberet nobis sufficere Regis Salomonis exemplum, hunc enim uxores infideles alienigenae ad idolorum cultum perduxerunt; Valentem Rom. Imperatorem, prout Theodoretus memoriae prodidit, uxor eius ad haeresim pertraxit, ideo non licet Christiano homini alterius fidei uxorem sumere, tum etiam ne quies domestica et concordia, sine qua matrimonium Deo placere non potest, turbetur". *(Citantur adhuc plura testimonia ex Auctoribus Protestanticis.)* Si itaque haeretici ipsi haec matrimonia detestantur, nulla ipsis inferetur vis, aut iniuria, si ab illis arcebuntur; et haec fors etiam ratio esse videtur, quod rariora sint exempla, ut magis docti et in professione sua magis obstinati diversae religionis matrimonia non ambiant, aliis autem Ministri in Hungaria minus prohibeant, quod, ut paulo ante ostendi, plus lucri quam damni experiantur ex similibus matrimoniis, quia nempe prius pii catholici seducuntur, quam impii acatholici convertantur.

Sed nec aliae rationes politicae, aut Status, fundamenta et rationes opinionis meae impedire, multo minus evertere possunt. Nam quod concernit metum illum, ne per hoc multa matrimonia impediantur, et emaneant, consequenter impopulatio impediatur: metus hic non satis fundatus est, cum talium mixtorum matrimoniorum motivum esse soleat aut amor, aut utilitas; et utrumque motivum multo

fortius sit sollicitudine de futuro dubiae adhuc prolis statu, eamque facile elidat; sane qui modicam experientiam habet genii Acatholicorum in Hungaria, testari poterit, non adeo esse sollicitos de fide prolium, modo ipsi, cui assuenerunt, et in religione, in qua, ut aiunt, nati sunt, relinquantur. Et hoc cumprimis de inferioris sortis hominibus intelligendum est, inter quos frequentiora contingunt similia matrimonia, cum inter Nobiles rarior, inter Magnates rarissimus sit casus. Et vel hinc patet, quod tantilla separatio partis acatholicae statum in statu formare non multum possit; praetereundo enim id, quod alioquin paucae valde sint in Hungaria familiae consideratione aliqua dignae, aut plane nullae, quae ex integro sint Acatholicae: potius paradoxum esse videtur, asserere, ideo statuendum esse, ut promiscua admittantur mixtae religionis matrimonia sine reversalibus, ut potius illud e ratione Status statuendum sit, ut nonnisi cum reversalibus de prolibus utriusque sexus in Fide Cath. educandis admittantur; hoc enim modo cum defectu partis acatholicae ulterior propagatio suapte evanescit, et tamen nexus sangvinis iam habebitur. Neque vero video, cur id, quod in legibus non minus ac benignis Resolutionibus R. fundatum est, contra quod ipsi acatholici obvertere nihil solidi possunt, quodve iam etiam in usu est et praxi, tam delicate, tamve occulte tractari debeat, ut vel Episcopis solis intimandum sit, vel si ita, re ad aliorum notitiam perventura malum aliquod aut Religioni Catholicae, aut Statui publico, aut quieti domesticae prudenter metuendum sit. Ego quidem censeo, quod in Provinciis illis, ubi Acatholici praedominantur, absque pluribus reflexionibus aut illud iam etiam statuerint, ut talia mixta matrimonia simpliciter non admittantur, aut certe proles in Acatholicismo educentur, secus successionis omnis, et multo magis possessorii incapaces reddantur. Illud vero admittere „ut proles ob patriam potestatem utriusque sexus sequantur religionem patris, seu is catholicus seu acatholicus sit; aut vero positive statuere, ut sexus sequatur sexum quoad religionem, esset recedere a systemate Religionis in Regno Hungariae stabilito, ab Idealibus Resolutionibus C. R. et plus

favoris novi indulgere acatholicis, quam nunc habeant, aut ipsi petere ausint, aut desiderare, denique novis molestiis Episcopos, Dicasteria, et Suam Maj. SSmam obruere, et rem Religionis non parum perturbare; ut enim nihil dicam de hoc, quod nullam omnino videam patriam potestatem patris acatholici in Hungaria in ordine ad proles omnes in Acatholicismo educandas, ubi Religio dominans est Catholica, ex cuius favore pars catholica seu vir seu mulier sit, absque dubio in iure educandi proles in sua religione praevalere potest et debet; certe pro sua, quam fovent, astutia in eo laborarent Acatholici, ut in mixtis matrimoniis semper vel quasi semper sint patres acatholici, ut sic ad semel omnes proles rapiant. Eccur vero modo statuatur positive, ut proles quoad sexum religionem sequantur parentum? quando hactenus hoc ipsum in pessimo tantum casu permissum est et toleratum; et ex benigna mente Regia declaratum est, desiderare Suam Maiestatem summopere, ut in mixtis etiam matrimoniis omnes proles in fide Catholica educentur, et id ipsum ereptis pluribus prolibus effectum etiam et procuratum est; praestat profecto, rem, prout in Resolutionibus R. actu fundata iacet, permittere, quam alterutrum ex his statuere. Sed nempe etsi alterutrum e praemissis stabiliretur, et statueretur, adhuc plena remanebit potestas Ecclesiasticis, Parochis, et Episcopis pro officio suo zelandi, et talium etiam proles principiis verae religionis imbuendi; nolim in dubium vocare, quod aliquae perversiones prolium attribui fors possent negligentiae Pastorum; communem tamen et praecipuam rationem hanc non esse, propria experientia fidenter assero, fidentius autem edico hoc, admissis duabus divisionibus prolium, ut nempe aut patris religionem sequantur omnes, aut sexum parentum, inefficacem futurum omnem Pastorum Catholicorum conatum. Nunc saepenumero Reversales non observantur, hinc tot illae Parochorum querelae, hinc tot actiones fiscales, hinc toties per Decreta Regia inculcata Parochis vigilantia, ut Reversalium effectum adurgeant, omnibus modis errantes reducant; hinc pariter tot Acatholicorum querelae, quod Parochi e mixtae religionis parentibus natis et in acatholicismo ab infantia educatis, ubi matrimonium inire vo-

luerunt, assistentiam denegaverint. Quid fiet, si Reversales exactae fuerint nullae, si patriae potestati relicti fuerint? quid si pater catholicus apparenti iuri suo cedendo proles omnes matri acatholicae educandas ultro cesserit? quid si pars catholica curam sexus sui prolium non habuerit? eaedem difficultates redibunt, et molestiae multo maiores, quam hactenus fuerint et nunc sint.

Inter rationes, cur Parochi Catholici tantas difficultates experiantur in eo, quod proles parentum mixtae religionis in vera fide non educentur, est una praecipua, quia adhuc, unde unde factum, reperiuntur talia matrimonia absque ullis reversalibus, cumprimis ante binas Resolutiones de a. 1731. et 1756. emanatas contracta; tum quia pluribus filialibus onusti cum sint, nec tales parentes rescire, multo minus sufficienter iisdem invigilare possunt, proles autem tanto tutius educantur in haeresi, quanto remotius a Parochis inter meros acatholicos latitant, fere tum tantum in lucem prodeuntes, et Parochis suis se ostendentes, quando matrimonium inire anhelant; nec denique debita et promta satis ex parte Jurisdictionis Secularis praestatur assistentia. Quid enim potest agere Parochus? proles placidis modis ad Fidem Catholicam pertrahat? at quomodo cum protervis et paternam temeritatem imitantibus prolibus leviter agi potest? quando parentes Parochorum saepe ad domum suam adventum non admittunt, imo eundem crudis verbis afficiunt, domo prope fuste pellunt; investigari curet? ast proles absconditur, vel alio mittitur, et tunc tandem reducitur, quando adulta est; iudices locorum adeat? hi sane acatholici sunt; dominorum terrestrium auctoritatem imploret? utinam hi non essent saepe acatholici aut frigidi Catholici! plus de corporibus subditorum, et numero, et pecoribus eorumdem, quam de religione et educatione prolium solliciti; Magistratum Comitatensem aut Civicum interpellet? huius etiam auctoritas variis praetextibus cluditur, et quid tandem in nonnullis Comitatibus et Civitatibus efficere potest Parochus, in quibus causa Ecclesiae deseritur, Tabulae Judiciariae Acatholici assident, aut Magistratuales personae acatholicae sunt, in unum omnes congruunt, clamores cient,

causam fidei retardare vel averuncare omnibus modis nituntur; aut si Catholicus est Magistratus, ob respectum potentiorum Acatholicorum fortius pro Religione zelare non audent; et profecto si tandem Magistratus auctoritatem suam zelose et efficaciter in tempore interponere volunt, fructum ex Resolutionibus Regiis etiam circa prolium mixti matrimonii educationem utique procurare possunt. Ego quidem eum optatum ex Visitatione anni praeteriti in Comitatu moderationi meae concredito reportavi fructum, ut mixtorum matrimoniorum proles partim in vera fide educari procuraverim, partim quae adhuc tenerioris erant aetatis iam perversas reduxerim.

Restat ergo, ut ex uberius deductis rationibus meis mixta matrimonia inter diversae religionis personas non aliter admittantur, quam ubi Episcopi moralem certitudinem habuerint, quod pars catholica pervertenda non sit, et proles utriusque sexus in Catholica fide educandae, et super his scripta data fuerit cautio in debitum redacta stylum.

Resoluta hoc modo quaestione prima, suapte fluit resolutio ad *secundam:* quid circa proles ex mixtis matrimoniis iam natas statuendum sit? Duplex nempe tempus in considerationem sumendum est: futurum, et praeteritum. Quoad *futurum* stabilito semel eo, quod ex mixtis matrimoniis proles omnes catholice educandae sint, nihil aliud restat, quam ut de efficaci modo, quo reversales observentur, provideatur; modo hic unicus et sufficiens videtur esse, si proles istiusmodi, quamprimum annos discretionis attigerint, Parochis statuantur pro instructione, et instructi Poenitentiae ac Eucharistiae Sacramenta suscipiant; in quo si quae ex parte Parentum renitentia esset, per Magistratus competentis assistentiam eorum renitentia aut negligentia sufferenda est. Quoad tempus *praeteritum* directionem et inviationem maximam praebere potest Resolutio R. de a. 1756. ita, ut si Reversales adsint, in conformitate illarum procedatur, si autem non adsint reversales, omni meliori modo Parochus utriusque sexus proles quoad sexum partis catholicae Religionem sequi procuret. Quoad indifferentismum denique censeo, quemadmodum hic neque in to-

lerantia Acatholicorum fundatur, ita nullo modo tolerandum esse, sed si parentes proles suas debito tempore determinare non sciunt, aut non volunt, per benignam Principis sollicitudinem supplendam esse negligentiam parentum huiusmodi, ita, ut quamprimum proles annos discretionis assecutae indifferentes se declaraverint, ex favore dominantis Religionis catholice educandae determinentur; de nulla sane iniuria sibi illata conqueri possunt parentes aut proles, quando ad alterutrum indifferentes ad unum determinantur, quod et animabus suis prodest, et publico utile, et legibus ac Resolutionibus R. conforme. Parentes illos, qui ex utraque parte catholici sunt, proles tamen aut in indifferentismo, aut plane in Acatholicismo educant, huc referendos non censeo, sed maioribus poenis subiiciendos, quam Apostatas aut eorum seductores.

k) 298.

Opinio Episcopi Quinqueecclesiensis Georgii Klimo, a. 1768.

Ad sequentia duo puncta et quaestiones Reflexionum systema reducitur: 1. an matrimonia Catholicos inter et Acatholicos permittenda sint, et quod medium adhibendum, quo proles in unice salvifica religione educentur? 2. quomodo cum prolibus ex eiusmodi matrimoniis mixtae religionis iam progenitis agendum sit?

1. Antequam ad primam quaestionem accedatur, praemittendum est: matrimonia Catholicorum cum Acatholicis illicita esse Jure Canonico, res videtur extra controversiam posita, cum id plurium Conciliorum constitutiones aperte decernant, et vetus aeque ac nova in universa Ecclesia disciplina testatum reddat, quae matrimonia huiusmodi semper abominata fuit non ob periculum perversionis tantum, sed et quod communicare cum haereticis signanter in sacris, et maxime Sacramentis, quale Matrimonium esse credimus, ab Apostolicis inde temporibus numquam licuerit. Cum autem matrimonia haec communionem huiusmodi natura sua inducant, illicita sane esse oportet; quod vero inducant dictam

communionem, planum ex eo fit, quod nimirum matrimonium unum sit ex illis Ecclesiae Sacramentis, quae Christus Dominus instituit, atque adeo matrimonium catholicum cum acatholica contrahere persona, idem omnino est, ac eosdem una simul Sacramentum aut conficere aut suscipere: qua communione maior utique haberi nequit. Quare mirum non est, tot recursus ad Augustam Aulam fieri propterea, quod Parochi matrimoniis talibus assistere, eademque admittere saepe controvertant; cum enim illicita esse, et ab Ecclesiae disciplina aliena videant, religioni sibi ducunt, talibus matrimoniis assistere. Proinde omnes modos quaerunt, ea impediendi, ac nonnisi quasi coacti eis assistentiam praebent. Certe Benedictus XIV. Pontifex ut a rara doctrina, ita a discretione Orbi Christiano notus, matrimonia talia sacrilega compellat, et neque benedictionem ipsis impertiendam, neque in Ecclesia celebranda tradit, expedireque iudicat, ut Episcopus, ubi talia matrimonia aliquando permittuntur, ad tuendum Ecclesiae decorem ritus in eorum celebratione servandos, alios utique, quam communiter ab Ecclesia praescripti sunt, opportune prudenterque praescribat. Quae licet ita sint, illud tamen experimur, quod iis non obstantibus matrimonia Catholicos inter et Acatholicos et quidem saepe saepius contrahantur: qui usus, vel potius dicenda corruptela, uti praelaudatus Pontifex eam compellat, a quo tempore invaluerit, dici vix potest, cum eatenus positivam legem etiam inter eas, quae de tolerantia Confessionum Augustanae et Helveticae conditae sunt, adesse mihi non constet. — Ut iam ad quaesitum ipsum veniam, inquirendum esse puto: an adductae in his Reflexionibus rationes tanti momenti sint, ut earum fundamento prolium ex diversae religionis matrimoniis susceptarum inniti valeat educationis ratio. In Transsilvania, uti in reflexionibus refertur, constitutum est, ut haec matrimonia contrahi possint quidem, non secus tamen, quam datis reversalibus de utroque sexu in fide catholica educando. Quae benigna ordinatio qua ex occasione facta sit, me quidem latet, at credibile est, Principem, Religionis Catholicae bonum in Principatu Transsilvaniae haeresibus varii generis referto pro

pietate congenita prae oculis habuisse, ac hinc permotum talem ordinationem edidisse, ut quidem matrimonia mixta ob haeresum illic grassantium pluralitatem, et praehabitum usum ulterius etiam sustineri possint; sed quo Religioni Catholicae abinde vellificetur, saltem proles e tali connubio prognatae Religioni Catholicae accrescant. Quod sane consilium, dum aliter fieri res non sinunt, eligibile magis erat, quam simpliciter matrimonia prohibere et tam innocentem etiam Religionis accrescentiam tollere. — In Regno Hungariae observatum fuit, ex matrimoniis Catholicos inter et Acatholicos contractis prognatas plurimas proles in Indifferentismo educari usque ad 16. aut 15. annum, nullamque seu Religionem seu Confessionem profiteri; facta dein est quaestio: quomodo malum hoc sufferri possit? ad tollendum malum hoc, existimabatur sufferendam esse radicem, unde tale malum progerminat, scilicet inhibenda fore matrimonia Catholicos inter et Acatholicos in futurum contrahenda, nisi fors in particularibus casibus, ubi circumstantiae Episcopi iudicio aliter suaderent; idque eo a fortiori, quod a talibus matrimoniis Ecclesia semper abhorruerit, velut periculo perversionis, et prolium malae educationis et Sacramenti profanationi summe obnoxiis et alioquin plurium Conciliorum auctoritate prohibitis, uti paulo uberius supra deductum habetur. At neque hic, quo talia matrimonia vetarentur, neque alter in Principatu Transsilvaniae stabilitus in Hungariam introducendus modus probari in Reflexione videtur ex causa, quod cum rariora in futurum contingerent matrimonia mixta, amitteretur occasio Acatholicos ad veram fidem convertendi, cum e contra a fide catholica pervertendi non adsit occasio ob stabilitam apostasiae poenam. Verum praeprimis animadvertendum est, non unum perversionis periculum esse, quo Ecclesia ad vetanda eiusmodi connubia permota sit; at praesertim, ne Catholici cum Acatholicis in Sacramentorum participatione communicarent. Quae ratio etiam absente perversionis periculo subsistit, nec ei sub quocunque praetextu commodi in Ecclesiam derivandi sine gravissima causa per Ecclesiam probanda contravenire fas est. Ceterum ratio in Reflexionibus posita mihi

videtur omnino subsistere non posse. Primo enim, quod optandum foret, ut matrimonia mixta diminuantur potius quam protegantur, ex quo non sint medium ad conversionem Acatholicorum ad fidem catholicam proportionatum, quin potius contrarium; ab Ecclesia enim ob eam etiam rationem prohibentur, quod talibus matrimoniis subsit periculum perversionis. Et revera subesse, et experientia edocuit, et Deus ipse inter ceteras leges cum reipublicae gubernandae, tum religionis servandae Israëlitis datas eam non omiserit, ne scilicet alienis mulieribus matrimonio copularentur ob periculum in idololatriam prolabendi: quod periculum quoties contemserunt Judaei, in idololatriam turpiter inciderunt, ut testatum fit in sapientissimo Regum; neque vero data illa Israelitis lex vim propterea suam amisit, quod matrimonialis cum alienigenis coniunctio occasionem aliquam ipsis praeberet, complures verae religionis proselytos aggregandi. Secundo, quod lata contra Apostatas poena occasionem perversionis non sufferat, cum experientia doceat, quod non obstante ea et saepe etiam in executionem deducta, tamen apostasiae in dies contingant. Et generaliter loquendo lex poenalis de se nec culpam, nec occasionem tollit, imo si poena quidem culpae statuatur, sed occasio culpae non praecludatur, dum praecludi potest, minus provide in humanis agi videretur.

2. Matrimonium quidem est Novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum, sed longe alium finem habens, quam ut sit aut intelligatur esse obex, quo si Acatholicis cum Catholicis matrimonio iungi negetur, obstinatiores illos in sua religione efficiat, aut si etiam quipiam ad conversionem animum adiiciat, ab huiusmodi cogitatione facilius abstrahatur; alioquin haeretico alia Catholicae Ecclesiae Sacramenta pervicaciter petenti etiam ministranda essent, ne secus in errore suo magis obfirmetur, et si forte pronus ad amplectendam veram religionem esset, ab hac sua cogitatione abstrahatur; si quis ergo occasione matrimonii contrahendi animum ad conversionem adiiciat, is antequam cogitationem talem effectui mancipet, principia religionis suae deponere, et Catholicae principiis imbui necesse habet: quod tunc, dum de matrimonio cum catholica persona contrahendo cogitationem

habet, facilius assequi potest; tum quippe ad Parochum Catholicum accedere, cogitationem suam detegere, ac principiis Religionis Catholicae imbui potest, ac, ut id faciat, denegatio praeconcepti matrimonii ipsum stimulat: unde non tam obex quam stimulus fit multis Acatholicis denegatio matrimonii cum catholicis, ut veram religionem amplectantur, postquam intelligunt se aliter desideratis nuptiis potiri non posse. Quodsi autem matrimonium contrahendum, uti Acatholicis admittitur, reipsa contrahat, a cogitatione, si quam habuit, conversionis, votis iam potitus, longe facilius est abstrahendus, vel si nullam habuit, in priori errore firmius permansurus, postquam ad assequendum, quod ardenter concupiscit, cum persona catholica connubium nulli omnino religionem suam impedimento fore experitur. Certe quia Judaeis inter Christianos degentibus matrimonia cum illis inire prohibitum est, nemo inde sequi dixerit, quod illi in religione sua propterea firmentur; id enim conversioni ad fidem adiaphorum est, imo si quis ipsorum fidem Christianam suscipere animum adiicit, is si matrimonium etiam cum christiana contrahere velit, primum christianam fidem suscipit, et tunc demum matrimonium petit, alioquin desiderio suo frustrandus. Cum itaque parte ex una optandum potius sit, huiusmodi matrimonia ob profanationem Sacramenti et ob periculum perversionis diminui, ex altera autem eveniat, ea non tam obicem ponere conversioni, quam eorum prohibitionem stimuli occasionem ad conversionem praebere: hinc binas illas reflexiones locum habere neutiquam posse.

3. Illud quoad Regnum Hungariae indubium mihi est, Comitatus illos, in quibus Acatholici maiori numero sunt, aut exercitium religionis habent, tam esse populosos, ut periculum nullum sit, quo etsi quaepiam matrimonia reipsa impedirentur, populationi propterea praeiudicium aliquod inferretur. Ex continuis recursibus apparet, ubinam haec mixta matrimonia expetantur, veluti Comitatu Soproniensi et Castriferrei trans Danubium; Trenchiniensi, Liptoviensi, rarius Thuróczicnsi, Scepusiensi, Zoliensi, Sárosiensi, Nitriensi, Honthensi, quandoque Posoniensi cis Danubium, neque ex aliis cis- et trans-Danubianis Comitatibus recursus

ad Suam Majestatem observantur; qui omnes Comitatus adeo ad publicam notorietatem populo abundant, ut nullum omnino subsit periculum impediendae populationis, nullusque futurus sit, qui, si uxorem ducere velit, suae religionis non inveniat. Itaque hoc populationis impediendae praeiudicium ac promovendae eiusdem studium merus esse praetextus videtur, qui speciem duntaxat faciat, medium autem illicitum suggerat, et in re ipsa nihil omnino sit.

4. Si bene memini, in Principatu Transsilvaniae Religiones quatuor Status faciunt, in Regno Hungariae semper cautum fuit, ne Acatholici statum efficiant, atque adeo ex huiusmodi mixtis connubiis prohibendis quomodo status Acatholicorum „statum in statu" quod reipublicae adeo damnosum foret, efficere possit, profecto non videri. Sed neque haec matrimoniorum prohibitio tantam separationem facit, ut haec in tam vasto Regno vel notari possit, minus ut reipublicae quodpiam malum causare queat, et si quodpiam per inconcessum causaret, longe alia Principi suppetent media, quibus imminenti malo obviare valeat, quam ut per medium eiusmodi, quod tantopere religioni noxium esse dignoscitur, obviam eat, numquam enim malum facere licet, ut eveniat bonum.

5. Parum interest, seu ordinatio ad solos Episcopos dirigatur, sive etiam publicetur. Si ad Episcopos solos dirigatur et ipsis silentio premenda committatur, certe incognita manebit, nullus enim Episcoporum rationem facti sui velut ex ordinatione Regia promanantis reddere praesumet, sed prohibitionem Ecclesiae, talia matrimonia ob profanationem Sacramenti, ob perversionis periculum, ob prolium in Acatholicismo aut plane in indifferentismo educationem vetantis, obiiciet. Si autem etiam publicari Sua Maiestas iuberet, nihil officeret, bene quippe norunt Acatholici, Sacram Suam Maj. plenam in huiusmodi materia religionis habere disponendi potestatem, etiam legetenus attributam. Et quia haec coniugia mixta nullibi in lege Regni admissa sint, sed ex suppositione duntaxat, si fiant, solus praecise Catholicus Parochus, non autem Minister acatholicus, illis as-

sistere debeat, nihil seu contra legem, seu priores benignas Resolutiones agi videbunt.

6. Animadvertendum est, ius et obligationem educandae prolis, utpote quae utriusque parentis est, utrique esse iure naturae communem, quare patria potestas etsi primas partes teneat, tamen tanta non est in patre, ut cum exclusione matris ius educandae ad arbitrium suum prolis sibi privative vindicare queat; imo ius et obligatio in matre est, ut si proles a patre in religione et moribus male instituantur, eidem contradicere, ipsumque etiam Potestate Publica coërceri facere teneatur. Deinde haec potestatis patriae usque ad religionem extensio unde emanare possit, et quidem cum tanto dominantis religionis damno, concipi nequit; cum iura civilia non minus quam hungarica talis paternae potestatis effectus nuspiam meminerint. Quam procul lex generalis patriae potestatis in ordine ad liberos semet extendat, quoad effectus civiles, meminerunt quidem, at quantum ad sacra, aut religionem, nullam ingerunt mentionem. Et quamquam aliquo modo dici possit, religionem prolis ex naturali patriae potestatis lege pendere, id tamen de religione duntaxat naturali, uti de cultu Dei naturali, de virtutibus naturalibus accipiendum veniret, quale enim principium est, talem esse et effectum oportet; cum ergo paternae potestatis lex naturalis sit, religionem aliam quam naturalem producere nequit. Sed quoniam in praesentiarum agitur de Religione Revelata, ea utpote, quae Regno Hungariae congenita est, quamque Regni fundator non exigua sua sollicitudine, et industria suos inter subditos stabilivit, omnibusque sequendam praecepit: legitimae consecutionis est, talem religionem ab universis regnicolis suscipiendi obligationem a Regis praecepto alioquin Christi mandato conformi, non vero a singulorum patrumfamilias potestatem patriam habentium voluntate fore desumendam. Nam quod publica authoritate stabilitum habetur, nequit privatorum voluntate infringi, et quodcunque ius privatum publicis legibus cedere debet. Neque etiam Princeps Catholicus religionem aliam communiter loquendo in ditionibus suis admittere valet, quam solam Catholicam, licet possint eiusmodi occurrere circumstantiae,

ut saltem tolerare debeat, imo tolerare Reipublicae, atque etiam ipsius Religionis Catholicae utilitas suadeat, uti factum in Regno Hungariae fuisse gementes reminiscimur. Numquam enim Apostolici Hungariae Reges toleraturi erant alias a religione catholica confessiones et sectas, nisi periculum instare vidissent, et constantis reipublicae perturbationis, et maius ipsius Rel. Catholicae detrimentum. Unde sane conficitur, ius imo obligationem inesse Principi, ut si haereses penitus e Regno suo eliminare non possit, saltem ulteriorem earum cursum sistat: cui iuri supremo tantum abest, ut privata patria potestas quidpiam derogare valeat; quare adducta in reflexione patriae potestatis lex, quam leges publicae destruunt, argumento esse nequit, religionis prolium professionem ex religione paterna desumendi.

7. Si vigore legis patriae potestatis filius religionem patris profitens, liber esse in tantum possit, ut annos discretionis attingens etiam ad Catholicam unice salvificam Religionem applicare se valeat, manifeste sequitur: religionem filii Patris imperio non subesse, sin vero subesse dicatur, utique vi eiusdem potestatis et pater ipsi prohibere, imo impedire posse debet, quominus ad Religionem Catholicam semet applicet, et filius tamquam hac in parte patri suo subiectus obedire tenebitur; secus enim haec patriae potestatis lex ridicula foret, si parte ex una obligare vi eius pater filium posset ad religionem paternam, sive ius haberet in religione sua eundem instituendi, ex altera autem parte nulla filio inesset eam sequendi obligatio, sed plena libertas Religionem Catholicam amplectendi. Et vero si patria potestas suum quoad religionem imperium amittit, cum proles ad annos discretionis pervenerint, uti certe amittit, si ipsi libertatem acquirunt cuique religioni se addicendi: quando demum patria illa potestas effectum suum quoad religionem sortiri poterit? an, dum filii infra annos discretionis sunt? at quis nescit, aetatem illam tunc adhuc esse incapacem, ut in quacunque fide instituatur; fides enim ceterique Religionis actus a pueris per liberam voluntatis electionem praelucente ratione eliciuntur, ac si qui eiusmodi actus a pueris nullum adhuc usum rationis habentibus fiant,

ii pure materiales sunt, non religiosi. Quodsi autem patria potestas quoad religionem prolium tum primum se explicat, cum ipse pollet aliquo rationis usu, potestas illa eousque vigorem suum retinere debebit, donec filii sub patria sunt potestate, et sub illa esse non desinunt, statim ac annos aetatis attigerunt, quare et filii patris imperio obedire tenebuntur, nec libertatem moralem habebunt, aliam quam paternam religionem, donec sub patria sunt potestate, amplectendi, et patri ius erit efficacia impedimenta ponendi, ne proles catholicae Religionis principia ab Episcopis et Parochis audiant, multo magis autem, ne se religioni ipsi addicant. Et si pater contra filiorum voluntatem talia obiiciat obstacula, per quem ab illata eiusmodi vi poterunt vindicari? quisquis enim ea vindicare vellet, is utique legi potestatis patriae vim inferret, atque adeo patri lege et iure suo utenti iniuriam irrogaret. Iniuriam ergo Princeps Catholicus inferet, dum de violentia patris talem filium eripit? Nequaquam, imo eripere tenetur, quia religionem, quae superioris ordinis est, quam ut patriae potestati subesse queat, a patria potestate independentem cognoscit; ideo vindicat, quia Religioni Catholicae, quae per generationem baptismi tamquam spiritualis parens ius spirituale in filios acquirit, quam Princeps ipse profitetur, et quae unica Regno suo propria est, hunc potestatis patriae usum et ex hac emanans violentum, ac fini, ad quem conditi sumus, contrarium imperium iniuriosum esse intelligit. Patet igitur, hac etiam consecutione non patriae potestatis, sed lege Regia educationem talium prolium esse regulandam. Nam si vi legis patriae potestatis admittatur in R. Hungariae prolium educatio ad paternam religionem: id et novum omnino foret, et aditus ad conversionem prolibus praecluderetur, et alia, quae deducta sunt, absurda consequerentur; tanto autem magis, quod fundamento huius ratiocinii prius oporteret filios admitti fieri acatholicos, quo deinde convertantur, et Episcopis ac animarum Pastoribus zelum suum exercendi aperiatur occasio, id quod idem esset ac admittere principium: licere facere male, ut faciat bene.

8. Postquam in superioribus edoctum est, legem potestatis patriae ad prolium educationem secundum religionem Patris applicari non posse, cum utpote haec se extendere pos-

sit ad effectus tantum naturales aut civiles, sique ad religionem semet extendere valeret, id ad summum de naturali religione intelligendum veniret, Religio autem Revelata, de qua in praesentiarum sermo, veluti ordinis superioris Regnoque congenita a Divo Stephano stabilita, ab eoque et successoribus servari praecepta, servataque in Regno usque ad tempora Tolerantiae semper fuerit, neque in legibus Regni super toleratione Augustanae et Helveticae Confessionis editis ulla unquam mentio seu de matrimoniis his mixtis, seu de prolium ex iis progenitarum educatione constitutum positive quidpiam reperiatur, eo duntaxat excepto, cuius supra mentio facta est, ut a Parochis Catholicis eis assistentia praebeatur: legitimae consecutionis est, educationem prolium ex vi potestatis patriae, ad religionem patris, hactenus omnino ignotam, regulari minime convenire. Quod tanto magis procedit, quod prolibus ex matrimonio mixto susceptis praeter Sacramenti susceptionem, quo Ecclesiae Catholicae initiantur, etiam iure maternae religionis educationem deberi iudicandum videatur. Nam cum proles non modo patris sed etiam matris fructus sit, et uni aeque ac alteri ius et obligationem sicut intertenendi ita etiam educandi natura et Deus imposuerit: manifestum apparet, in aequalitate iuris duorum patris utpote et matris cum voluntates eorum communi iure gaudentium discordant, ea educatione proli consulendum esse, quam pars sanior praetendit, et quae sobolem ad salutarem finem dirigit; id autem in Religione Catholica fieri et Princeps credit, et pater ipse non negaverit, siquidem acatholici in Religione Catholica esse salutem plerumque negare non soleant. Quare cum parte ex una ipso fatente patre acatholico educatio catholica saluti aeternae non noceat, ex altera autem institutionem acatholicam Princeps Catholicus cum omnibus aliis Catholicis perniciosam esse confiteatur: consequens est, Principem Catholicum in quaestione, qua mater contra educationem acatholicam raclamaret, uti reclamare obligatur, ad suum iudicium delata, pro educatione catholica stare oportere.

9. Ut ex mixtis matrimoniis progenitae proles sexum parentum sequantur in Religionis professione, filii utpote patris, et filiae matris: modo quoque in pactis talium matrimo-

niorum plerumque haec conditio induci solet; eo tamen non obstante tot proles in damnato indifferentismo educantur, ut Suam Maiestatem cogere quasi videantur, ad salutare quodpiam eatenus constituendum repagulum. Sed praeterea, pactum praedictum contra Catholicae Religionis principia esse dignoscitur. Nam cum pars catholica, cui educatio prolis cum altera parte communis est, ex iure naturae non tantum temporalia, sed magis spiritualia bona veluti superioris ordinis velle et procurare soboli debeat; salva conscientia et salva religione consentire in eam institutionem nequit, qua proles in aeternam damnationem praecipitetur. Quoniam autem pars catholica id velut dogma fidei et religionis suae credere debet, quod extra Catholicam Ecclesiam non detur salus: utique consentire nequit, quin naturalem filiorum amorem etiam animalibus inditum, exuat, ut ipsi in religione acatholica, quae secundum ipsius fidem ad perditionem ducit, educentur, ac si in pactum eiusmodi consentiat, gravissimae culpae se ream facit. Non videtur ergo et hic postremus modus pro educandis ex mixtis matrimoniis prognatis prolibus deservire posse, quoniam si id admittatur, contra principia Religionis cum gravissimo eius detrimento ac praeiudicio operari inferretur.

Reflexiones hae omnes mixtis matrimoniis faventes, ex fonte *Juris Naturae* profluere videntur, non attento eo, quod agatur de re finem supernaturalem, hoc est, aeternam animarum salutem, habente, de re, inquam, quae potissimum ex principiis Fidei mentis humanae imbecillitatem adiuvantibus, clariusque explicantibus definienda veniat. Solo naturali ratiocinio a principiis fidei seiuncto contra illos utimur, qui nullam religionem revelatam admittunt. Tales autem in Regno Hungariae neque pietas Regum, neque lex ipsa patitur, et Religio Catholica princeps in Hungaria est, hunc principatum et possessione veteri, et Regum voluntate, et publicis legibus adepta: ut idcirco nefas sit, ab eius principiis, quidquid intellectus suis viribus relictus in contrarium dictet, recedere. Sane Principi Catholico in negotio tolerantiae haereticorum suaderi quidem possunt, quae tolerantiam velut saepe necessariam et iustam non evertant; sed contra ipsa

etiam tolerantia Religioni Catholicae subservire potius debet, quam eam evertere. Et sufficit tolerantiae leges a Principe Catholico observari, quin in favorem toleratorum quidquam novi, maxime autem Religionem Catholicam destruentis, aut graviter laedentis, concedat. Indubium id est in Regno Hungariae, in quo super tolerantia Confessionum Helveticae et Augustanae leges editae sunt, sed expresse ea cum conditione, ut in ipsa Pacificatione Viennensi adnotatum videre est: „absque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Religionis" — ut proinde quidquid Religioni Catholicae praeiudiciosum dignoscitur, id concedi nec debeat, nec possit. Neque enim putandum est, tolerantiam religionis cuiuscunque Catholicum Principem credere sibi esse arbitrariam, novit quippe ad eas circumstantias restrictam, ubi cum ratione status et regionis, orthodoxae quoque religionis cum eadem arctissime connexae, communis necessitas concurrit, metusque haud vanus sit, ne cum perturbatione Reipublicae ipsa quoque religio maius patiatur detrimentum: uti id rursum in Regno Hungariae factum fuisse patet, dum leges tolerantiae conderentur.

Ex his uberius deductis patet: 1. Principia illa ex iure naturae profluentia in Regno Hungariae circa educationem prolium ex mixtis matrimoniis prognatarum locum invenire non posse, cum Religio Catholica in hoc Regno originaria sit, et in legibus tolerantiae seu de matrimoniis mixtis, seu de educatione prolium ex iis prognatarum nulla positiva dispositio habeatur; novum quidpiam toleratis acatholicis, idque Religioni Catholicae admodum praeiudiciosum concedi videretur, si vi praetensae illius patriae potestatis seu iam natae, et nefors in indifferentismo constitutae, seu etiam in futurum nasciturae proles in religione paterna educari admitterentur. 2. Cum in R. Hungariae cum magno Religionis Catholicae detrimento observatum sit, ex huiusmodi matrimoniis progenitas proles aut in Acatholicorum Confessionibus, aut plane in Indifferentismo, sine ulla determinata religione, educari: ut huiusmodi gravi malo remedium adferatur, convenientissimum fore, ut causa huius ipsa, videlicet matrimonia mixta, alioquin ab Ecclesia pro-

hibita, et unica huius tanti mali radix, e medio tollatur. Habet certe Princeps Catholicus motivum sufficiens circa haec matrimonia mixta constitutionem edendi, eaque penitus abolendi. 3. Ex quo moraliter consequetur in futurum, ut molesta haec super educatione prolium quaestio cessare debeat, utpote causam et occasionem non habitura. 4. Restabit adhuc quaestio: quid cum illis prolibus agendum sit, quae iam progenitae sunt, aut in indifferentismo persistunt? Cum in superioribus demonstratum sit, in proles universim ex matrimoniis mixtis progenitas Ecclesiam Catholicam cum propter Sacramentum Baptismi, quo initiati sunt, tum propter religionem partis catholicae, quae aequale ius in tales proles utique habet, Regiam praeterea, Regnique legem, quae Religionem Catholicam ab omnibus servandam praecipit, potius ius habere, ut si dubium super hoc exoriatur, a Principe Catholico pro Religione Catholica hac aequitate pensata iudicandum esse; ideo omnes eiusmodi iam progenitas proles in Catholica Religione eiusque principiis demandare posse educandas, etiam illas, quae decimum quintum aut decimum sextum annum iam attigissent. Id quod tanto magis procedit, quod in legibus super tolerantia Aug. et Helv. Confessionum conditis nulla de matr. mixtis, aut educatione ex iis natarum prolium positiva in favorem Acatholicorum constitutio habeatur, atque adeo nullam etiam tolerantiae legibus vim inferri argui possit. 5. Quamquam autem haec suadere omnino Principi Catholico possint, dum in eo rerum articulo versatur, ubi de abusu Religioni Cath. nimium damnoso tollendo agitur, ut hunc licet frequentem et usitatum quasique in consuetudinem deductum tollere valeat, qualis abusus haec matrimonia mixta esse omnino viderentur; advertendum tamen est, an citra perturbationem gravem Reipublicae, aut etiam nocumentum ipsius Catholicae Religionis id praestare queat. Si citra perturbationem id facere possit, admovenda certe manus est, et omnimode enitendum, ut malum huiusmodi, quod Religioni Catholicae tantopere noxium est, quale in praesentiarum matrimonia haec mixtae sunt, e medio tollatur, ipsaque prohibeantur; seu iam dandis ad Dioecesanos mandatis, particulariter

ipsis solis iniungendo, quatenus matrimoniis mixtis in futurum assistentiam per Parochos non admittant; seu per publicationem in Regno alias consuetam, quod idem omnino est, ut superius deductum fuit. Si autem perturbatio in Regno metuatur, aut quodpiam ipsi etiam Religioni Catholicae imminere periculum praevideatur: tunc illud suadere ausim, ut talis saltem fiat dispositio, qualis in Princ. Transsilvaniae facta fuisse in reflexionibus deducitur. Si etenim in Transsilvania, ubi plures et magis diversae religiones a proportione Hungariae vigent, effectum sortiri potuit: plane non videri, quominus et in Hungaria cum optimo fructu idem fiat, et cum dissimulatione ac tolerantia istorum matrimoniorum mixtorum damnatus ille indifferentismus, ac prolium in acatholicis confessionibus educatio sufferatur non minus quam etiam ex hac ipsa tolerantia Religioni Catholicae sensim filii accrescant.

l) 299.

Opinio Episcopi Nitriensis, Joannis Gusztinyi. 1768.

Proposita opinio ab his omnino quaestionibus pendet: primo, utrum matrimonia Acatholicis cum Catholicis in Hungaria sint permittenda? Secundo, quae media adhibenda sint, ut proles in Catholica Religione unice salvante educentur, et quomodo proles ex mixto matrimonio natae sint tractandae?

Ad I. Quantum Ecclesia Christi statim ab exordio sui detestata fuerit Catholicorum cum Acatholicis consortia, testatum reddit S. Joannes Ap. Epist. II. v. 10. et 11. S. Paulus Tit. III. 10. Canones Apost. can. 45. C. Chalced. c. 13. Omitto plurima Concilia, unanimem SS. Patrum consensum, et Summorum Pontificum Decreta usque ad haec tempora. Haec quamquam ita sint, ea tamen est temporum nostrorum conditio, ut multis in Provinciis, in quibus acatholici dominantur, aut publicis legibus Regumque decretis palam tolerantur, necessitatem quamdam habeant Catholici cum Acatholicis consortia miscendi. Unde sunt sane non pauca

momenta, quae in talibus Provinciis, quemadmodum et Hungaria est, mixta matrimonia Catholicorum cum Acatholicis permitti posse suadent, ea tamen lege et conditione: si nempe absit periculum perversionis partis Catholicae, malae educationis prolium, et iurgiosae cohabitationis. Quae cum Juri tam naturali quam divino adversentur, in istis circumstantiis tale matr. mixtum non potest esse etiam de Jure Ecclesiae non prohibitum. Hinc ut indistincte ac promiscue omnia matrimonia mixta publica lege aut decreto permitti possint, nempe etiamsi pericula et mala nunc memorata non absint, me omnino non videre affirmo. Quodsi dixerint, communiter et ordinarie talia pericula in mixtis matrimoniis abesse, ut nempe pars catholica perversionis periculum adeat, et ut proles in Acatholicismo educentur: id non ita esse, certissima experientia, et quotidianus in Hungaria eventus docet. Nam in hoc mixto matrimonio si mulier est acatholica, etiamsi vir haud pervertatur, experientia tamen testis est, saepissime tepidum et frigidum in fide eum reddi ob illecebras, ut et ipse a totali perversione parum absit, et proles ob assiduum cum matre convictum et suavem agendi modum passim acatholicismo imbuantur. Cuius rei exempla plurima et etiam recentissima adsunt, quibus recensendis supersedeo. Quodsi autem vir est acatholicus, authoritate et imperio virili, saepe etiam iudicii sagacitate et praestantia doctrinae sexum imbecilliorem ad sua sensa facillime pertrahet, et nonnumquam coget. Jam vero ubicunque haec pericula subversantur, manet utique in suo vigore non tantum lex Ecclesiae talismodi matrimonia prohibens, sed et Spiritus S. clamantis: „qui amat periculum, peribit in illo." Porro quamquam sentiam et experientia teste manifestum habeam, raro omnino evenire, ut a connubiis mixtis praenarrata pericula absint; nihilominus accidere nonnumquam non nego, ut eadem pericula et graves circumstantiae in quibusdam casibus et personis omnino absint. Quid vero in tali casu censeam, expono. Communis Catholicorum Doctorum sententia est, plurimae Declarationes Romanae dicunt, clarissima Summorum Pontificum etiam recentium constitutio est: ut in tali casu, ubi nulla prae-

narrata pericula adsunt, dispensatio intercedat, atque is, qui facultatem dispensandi habet, omnes circumstantias in particulari expendat, an non subsit perversionis, prolium in acatholicismo educationis, et dignitatis Sacramenti Matrimonii periculum. Ita docet Sanctissimus et Doctissimus Pontifex Benedictus XIV. L. 6. de Syn. Dioec. cap. 5. n. 4. et alibi. Quod ipsum Dioecesanorum Episcoporum conscientiae commissum existimatur, quibus aeternae ovium saluti et diguae Sacramentorum administrationi invigilare incumbit, ex munere pastorali, matrimonium autem esse Sacramentum a Christo institntum, fides docet. Sane si suae SSmae Maiestati in Sacro et Apostolico Regio Throno felicissime sedenti, et sanctissime gubernanti hoc ipsum ordinare videretur, Acatholicis nulla per hoc vis in hoc Regno Apostolico inferretur. Leges enim et Ideales Resolutiones R. quae ipsos adhuc conservandos voluerunt, mixta matrimonia iisdem indistincte et promiscue haud admiserunt: sed ea adhuc tantum tolerarunt, sine quibus suae Confessionis exercitium habere non possent. Possunt vero habere suae confessionis exercitium sine mixtis eiusmodi matrimoniis passim indistincte sinequae ulla circumscriptione ineundis. Imo leges et Ideales Ordinationes R. vetant cogi acatholicos ad ceremonias eorum confessioni contrarias; ceremoniae vero circa assistentiam Sacramenti a Catholicis observari solitae haud sunt eorum confessioni conformes, quae omnes sacras ceremonias speruit, et matrimonium negat esse Sacramentum. Ideales Resolutiones R. vero Parocho Catholico deferunt copulationem coniugum mixti matrimonii; ex alia parte Benedictus XIV. ait: expedire, ut Episcopus ad tuendum Ecclesiae decorem ritus, in eorumdem connubiorum celebratione servandos opportune, prudenterque praescribat.

Sed duo sunt in proposita mihi opinione fundamentali, nempe unum Religionis, alterum Politicae considerationis, quibus me respondere oportet. Certe sapientissime Terrae Princeps suae consulit conscientiae, quando permittit, ut tractent fabrilia fabri, et quemlibet de sua professione et arte loquentem vult pro sua clementia audire, nempe de

negotiis militiae Profectos militiae, de rebus sacris illos, quos secundum S. Petrum Apostolum posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei. His certe dotibus nata, progressa, et ad solatium ac admirationem populorum omnium super omnes mundi aulas latissime propagata est Aug. Domus Austriaca. Dicet tamen quis, contraria his quaedam videri in linea *religionis*, eo, quod hac ratione coniugia Catholicorum cum Acatholiciis multo rariora forent, unde occasio tolleretur multos acatholicos ad fidem reducendi, quae contra in matrimonio mixto non invenitur, eo maxime quod pars utraque poenas apostatis dictatas pertimescat. Sed vanum hunc pro spe conversionis ex religione praetextum clamat quotidiana experientia, ubivis rerum, uti aiunt, optimus magister, numerentur exempla talium conversionum, pauca sunt certissime per totum hoc Regnum Apostolicum; sed e contra in omni fidelitate et sinceritate dare ego possum exempla per plures Comitatus plurima, in quibus per denegatam mixtorum matrimoniorum coniunctionem Parochi Catholici magnas numerant ad coetum Catholicum factas accessiones. Nec existimet quisquam metum poenarum apostasiae inflictarum tantum esse, ut ruentem in deteriora deterreat. Nam metus iste ad summum simulabit externum quoddam Catholicae pietatis simulacrum, Deus tamen vult in spiritu et veritate adorari. Agnosco sanctissimas Resolutiones Regias, quibus fit, ut quidam formidine poenae apostasiam dissimulent, crimen tamen minime abiiciant. Certe videmus etiam post impositas crimini apostasiae poenas apostatas non deesse etiam apertos, plures autem occultos, quos seduxere habita saepius cum Acatholicis intimiora commercia.

Dicitur deinde, si impedirentur mixta matrimonia, multa coniugia impedirentur, atque taliter impopulationi provinciae multum detraheretur. Sed respondeo, non eius esse me opinionis, ut omnia omnino mixta matrimonia prohibita esse velim. Superius mentem meam satis me explicuisse censeo. Ceterum vanum esse hunc metum nimis evidens est, quicunque tam Acatholicorum quam Catholicorum ingentem numerum in hoc regno expendit. Tanta sane est in Hunga-

ria mixtura utriusque ordinis, ut vix ac ne vix quidem casus evenire possit, in quo sponsus suae religionis sponsam invenire non posset. Sed dato, minime tamen concesso, quod hac agendi ratione unum aut alterum matrimonium impediretur, utique propterea nullus dicere posset, impediri impopulationem Provinciarum, quod ipsum manifeste patet in non paucis illis acatholicis, qui sponte sua impopulationem negligunt, et in celibatu degunt. Deinde uni alterive tam infelici matrimonio utique in immensum praeferri debet bonum commune unice salvificae Fidei, quae profecto altioris est ordinis hac exigua qualicunque impopulatione cum detrimento Regni Christi, cultusque divini coniuncta. Certe Aug. Domus Austriacae leges politicae et decreta omnia fundantur semper in cultu Dei summi et respiciunt non tantum temporalem sed praecipue sempiternam subditorum salutem.

Dicitur ultro: generaliter separatio tanta Acatholicorum, qui alioquin statum constituunt, ingens est politicum malum, cui non facilius remedium, quam frequentia connubia inter diversae religionis personas. Non nego separationem Catholicorum ab Acatholicis ingens malum etiam politicum esse, si memoria repetam ab exordio Acatholicorum tot cruenta bella, Provinciarum vastitates, imo et Regnantium sacras personas invasas, quae ingentia mala dogmatum discrepantia invexit. Hanc tamen separationem, si promiscue quaelibet mixta connubia permitterentur, tollere nulla ratione possent, imo, uti iam supra attigi, evidentissime augerent, quibus tot a fide perversiones, et prolium in errore educationes procurantur: quod esset lucem cum tenebris, fidem unice salvantem cum errore coniungere, ut lux et fides sensim exstingvatur, et tenebrarum ac sectarum philacteria dilatentur; quod pientissima Regio-Apostolica Maiestas in suum animum numquam inducet, ut permittat; alioquin experientiae et tot Regnorum ac Provinciarum historiae testatissimum reddunt: quo plus favoris et indulgentiae Acatholici a Terrae Principibus consequuntur, tanto fieri obstinatiores, inquietos, et tanto magis ipsos niti se separare a Catholicis.

Dicitur praeterea: Si ordinatio Suae Majestatis SSmae ad solos Episcopos mitteretur, ut nempe illi cognitis praevie de proximo circumstantiis, statuant, an in hoc vel illo casu particulari Parochi Catholici matrimonio mixto assistere possint, vel secus? talis ordinatio ignota manere non posset, sed etiam ad Acatholicorum notitiam pertingeret. Quibus verbis nescio quis metus et perturbatio in Regno oritura insinuari videatur; sed quam inaniter, vel inde luculenter patet, quod talis ordinatio nec legibus publicis, neque Idealibus Resolutionibus adversetur, quibus Acatholicismus adhuc conservandus habetur. Deinde comparati in hoc Regno Catholici cum Acatholicis, illos dignitate, opibus, numero praevalere indubitatum est, et tamen nemo sanus ullam in Regno perturbationem praemetuere, aut fingere potest, si Catholicis quidpiam petentibus illud a Sua Maiestate SSma denegetur: quoniam Catholici vitam, sangvinem et fortunas pro SSma Maiestate semper profundere parati sunt, Eiusdemque mandatis obedire pro gloria et homagio habent. Unde consequitur, etiamsi talis ordinatio Regia ad Episcopos mitteretur, et illa etiam ad Acatholicorum notitiam perveniret, nullam pariter in Regno perturbationem orituram, cum etiam Acatholici fideles subditi sint Suae Majestatis SSmae, Eiusdemque mandatis acquiescere debeant.

Ad II. Venio iam ad aliam quaestionem: quae media adhibenda sint, ut proles in Catholica Religione educentur, et quomodo proles ex mixto connubio natae sint tractandae? Ardua sane et perquam difficilis est huius quaestionis resolutio, imo secundum conscientiam aio, actum esse et desperatum de salute sempiterna plurimarum prolium ex connubio mixto nasciturarum, si passim, si promiscue permissa fuerint in hoc Regno mixta matrimonia. Hodiedum licet Dioecesani et Parochi aliquantum eiusmodi mixta matrimonia remorari consueuerint, ubi nempe periculum perversionis, mala educatio prolium, et indigna Sacramenti tractatio praevidentur; nihilominus passim funesti eventus ex mixtis matrimoniis in hoc Regno cernuntur. Quamvis enim SSma Majestas suis Resolutionibus toties praecipiat, ut pro-

les ex mixto connubio natae Parocho Catholico pro Catechismo et institutione a parentibus sistantur, utque his parere nolentibus, Magistratus Cottus Parochis assistat: tamen tristissima exempla plurima vidi, et in Dioecesi mea in praesens experior, Acatholicos nihil non agere, ut sanctissimas Clementiss. Dominae ordinationes eludant, Parochis oviculas suas requirentibus resistant, ac si Comitatensis Magistratus urgeat, ut proles suas Parocho Cath. instruendas sistant, miris artibus eas occultent, ad dissita loca transferant, atque nonnisi Acatholicorum dogmate imbutas, et iam coena ipsorum initiatas domum referant. Imo ipsas etiam ex utroque Parente Catholico natas proles seducere non verentur, praesertim ubi parentes Catholicos vel rudiores vel in fide tepidiores deprehendunt.

Ut proinde proles ex mixto matrimonio natae et nasciturae ab errore animae lethali praeserventur, et in fide Catholica unice salvante educentur, in conscientia alium modum non video, quam ut Sua SSma Maiestas Dioecesanorum iudicio Decreto suo permittere dignetur: utrum in hoc aut illo casu particulari matrimonio mixto Parochus Catholicus assistere debeat? utque Dioecesani mature cognoscant, utrum praenarrata pericula in hoc aut illo casu absint, et graves causae pro permittendo mixto matr. adsint: nempe spes fundata convertendi coniugem ad veram fidem, sopiendas inimicitias, conservandi pacem et tranquillitatem, si vir aut mulier paris conditionis in sua religione coniugem reperire aegre possit etc. Denique ut cognoscant, an non subsit periculum, ut pars catholica seducatur, et proles nasciturae in errore educentur. Itaque consultissimum censerem, ut Majestas SSma in hac quaestione conscientiam suam in Dioecesanos exoneret, quibus ex institutione Christi cura animarum incumbit, ut illi ex propingvo prospiciant circumstantias, ac ubi pericula salutis aeternae abesse, ac graves causas adesse viderint, connubia Cath. cum Acath. admittant. Hac unica via liberabitur conscientia SSmae Principis a sollicitudine circa proles earumque salutarem educationem; imminente enim periculo perversionis et educationis prolium acatholicae mixta matr. cessabunt, alias autem admittentur.

Nam ut seu titulo patriae potestatis seu titulo sexus alterutrius, proles in Acatholicismo educentur, hoc decernere aut decreto permittere, salvo omni altiori iudicio, mihi videretur esse contra ius naturale et divinum: cum ambo parentes ad illam educationem proli suae praestandam iure naturali et divino obligentur, quae proles miseras in perpetuum non perimat, sed ad salutem sempiternam perducat. Ipse ille, qui opinionem concinnavit, claris verbis confitetur, Catholicam fidem esse unice salvantem: si ita, utique agnoscit, ab utroque parente illam educationem deberi proli, quae unice salvat, nempe catholicam; quomodo ergo suadere potest Terrae Principi Catholico et Apostolico, ut in Acatholicismo praetextu patriae potestatis proles educari decernatur, qualis educatio etiam ex mente Opinantis non potest salvare sed damnat? Certe nulla ratione fulciri, nullo colore pingi potest, quod patriae potestatis iure ita uti possit Pater, ut aeternam salutem proli auferat. Iste non esset usus patriae potestatis, sed in re maximi et aeterni momenti intolerabilis abusus. Ex eadem ratione suaderi non posse existimo Supremo Terrae Principi Catholico, ut matrimonio adiiciatur pactum de omnibus aut etiam alterutrius sexus prolibus in Acatholicismo educandis, ut proles masculae patris, foeminae matris religionem sequantur; cum huiusmodi conditionem aeternae prolium saluti noxiam nemo non videat stare non posse; siquidem apud omnes notissimum habeatur, tria haec bona, fidei, prolis et sacramenti pertinere ad rationem matrimonii, quod in Nova Lege a Christo est elevatum ad dignitatem Sacramenti; tali autem conditione et pacto si afficiatur contractus matrimonialis, utique cessat bonum miserarum prolium, quae si non in fide Catholica unice salvante educantur, in sempiternum exitium praecipitantur.

Denique si obligatio parentum manifesta est, ut matrimonium tale in casu per Dioecesanum cognito et permisso contrahatur cum reversalibus et cum obligatione proles nascituras catholice educandi: procul dubio Supremus Terrae Princeps Catholicus et Apostolicus, et eius Magistratus efficient, ut id ad effectum perducatur, et subditi Majesta-

tis SSmae satisfaciant obligationi ex iure naturali et divino sibi impositae. Alioquin non tot, quin pluribus Resolutionibus Idealibus cautum est, ut mixtis matrimoniis assistant Parochi Catholici, naturae vero ipsi convenit, ut non arceatur a procurandis et colligendis arboris fructibus, quas ipse Parochus ex ordinatione Regio-Apostolica plantavit; et quemadmodum matrimonii administratio, ita prolium ex tali matrimonio provenientium spiritualis cura et providentia a Parocho Catholico abstrahi non posse videtur. —

m) 300.

Resolutio Regia dd. 28. Julii 1768.

Siquidem ab experientia, et ex quotidianis querelarum ad Suam Maiestatem SSmam delatarum casibus, Magistratualibus item Investigationibus, ac ipsis etiam submissis Fiscalibus Processibus altefata Sua Majestas C. R. clementer observasset: quod non obstantibus tot salutaribus et severissimis circa orthodoxam educationem prolium emanatis Resolutionibus, plurimae tam ex Catholicis, sed potissimum ex disparis religionis parentibus progenitae proles partim in damnato Indifferentismo educentur, partim vero seu conniventia parentum, seu fors etiam negligentia quorumdam Parochorum, seu demum variis artibus acatholicorum in haeresim prolabantur: ideo, quo malo huic remedium adferri possit, summefata Sua Majestas Apostolica clementer resolvere dignata est: *ut in posterum huiuscemodi mixta matrimonia non alio modo admittantur, quam si pars acatholica reversales de utriusque sexus prolibus in orthodoxa fide educandis dederit literas.* Clementissimam proinde hanc ordinationem R. pro norma, in evenientibus casibus semper observanda, finemque in illum, ita iubente Sua Majestate, intimat Consilium hoc L. R. quatenus Parochos Dioecesis suae desuper debite instruere velit. Datum Posonii, die 28. Julii 1768. Episcopo Agriensi.

301.

Resolutio Regia de eo: quod etiam Schismatici, dum matrimonium cum Catholicis ineunt, reversales literas de educatione prolium catholica dare sint obstricti, dd. 15. Nov. 1770.

Virtute Resolutionis C. R. anno adhuc 1768. emanatae, et abhinc suis locis intimatae, illud in Regno Hungariae normae instar observari Sacra et Apostolica Sua Maiestas haud ambigit, ut si persona orthodoxae fidei addicta personae non catholicae matrimonio iungi vellet, haec seu ordine posterior Reversales de se dare obstricta sit, omnes ex huiusmodi matrimonio generandas proles in Fide Romano-Catholica educandi. Tametsi autem sub nomine Non-Catholicorum *schismatici* suapte comprehendantur; ad removendam attamen omnem, quae possibilis est, amphibologiam et aequivocationem, omnibus Latini et Uniti Ritus DD. Episcopis in Hungaria, citra tamen quampiam promulgationem altefata SSma Sua Maiestas intimari vult, praedeclaratam dispositionem suam etiam ad homines Graeci Ritus non Uniti omnino extensam esse, quemadmodum eadem SSma Sua Maiestas sua via Clero non Unito eadem fidelia in mandatis dat, ne is ullas eiusmodi personas, quarum una unitum, aut latinum Ritum profitetur, sub gravissimo responsionis onere copulare praesumat, ast eas omni tempore ad concernentem Parochum inviare teneatur. — Datum Posonii die 15. Novembris 1770. Episcopi Agriensi.

302.

Instructio pastoralis Episcopi Sabariensis Joannis Szily ad Clerum de mixtis matrimoniis, a. 1777.

— Quoniam vero S. Romano-Catholica Ecclesia connubia Catholicorum cum haereticis semper damnavit, et detestata fuit, omnibus Parochis prohibemus, ne ullos Catholicos cum Acatholicis absque Nostra, vel Venerabilis Consistorii Nostri positiva concessione coniungant; sed similes

personas prouti et Acatholicos, quos in gradibus prohibitis consanguinitatis vel affinitatis ex clementia Caes. Regia remissionem Actionis fiscalis Magistratualis obtinere contigerit, ad Nos, vel Ven. Consistorium Nostrum relegent, ac nonnisi eotum et eo modo similium matrimoniis assistant, dum et quomodo Nos aut Ven. Consistorium Nostrum disposuerimus.

303.

Recursus Episcopi Rosnaviensis B. Antonii Andrássy ad S. Congregationem Concilii super dubiis quibusdam matr. mixta respicientibus, dd. 20. Februar, 1779.

Eminentissimi etc. Onerosa Episcopalis officii cura, nullo licet meritorum meorum suffragio, sed sola Dei et Apostolicae Sedis gratia, mihi per novellam Dioecesim Rosnaviensem in Hungaria commissa postulat, ut ab Sacra Congregatione Eminentiarum VV. ea provideri, ordinari, ac declarari humillime petam, quae pro directione mea in decidendis causis matrimonialibus, obviis quidem illis hic, ac saepe ad Sedem meam Episcopalem venientibus, sed tamen multum dubiis, et quia nondum, quod sciam, iudicio Sedis Apostolicae definitae forent, negotium haud sane modicum facessentibus, ad modum regulae mihi subservire possint ac valeant.

Quum enim in Hungaria ab Regnantibus Principibus permissum sit: ut commixti haeretici cum Catholicis vivant, eademque iuris aequalitate, et civili consuetudine perfruantur, evenit omnino: ut matrimonia etiam contrahantur non modo inter duos haereticos, sed etiam inter unum haereticum, et alterum catholicum, non modo absque omni alio, quam illo religionis impedimento, sed etiam intra gradus iure prohibitos, non modo servata forma Conc. Tridentini, sed etiam ea praeterita coram Ministro haeretico.

Hoc vero ita posito sequentia duo dubia enascuntur: *Primo*, quid statuendum sit de illis matrimoniis, quae licet absque omni impedimento dirimente, sed tamen non observata Lege Tridentina, coram Ministro haeretico tam ab

haereticis inter se, quam ubi contrahentium alterutra pars catholica est, contrahuntur? *Secundo*, quid censendum de matrimoniis cum impedimento dirimente, sive ubi utraque, sive ubi alterutra saltem contrahentium pars haereticam sectam profitetur, sive coram Parocho Catholico, sive coram Ministro haeretico initis ac celebratis?

Siquidem dubia isthaec prima fronte inspiciantur, clare illa resoluta esse videntur a felicis recordationis Benedicto PP. XIV. *primum* per Declarationem cum Instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda editam, ac sub die 4. Novemb. a. 1741. solenniter promulgatam, Bullarii T. I. N. 34. superinde comprehensam; *alterum* anno 1748. diebus 29. Junii et 8. Augusti Apostolicis literis datis ad Primatem, Archi- et Episcopos Regni Poloniae, incipientibus: *Magnae Nobis*, et: *Ad tuas manus*, in Bullario editis T. II. N. 52. et 59. — Verum quia a parte Regni Hungariae et eius Episcoporum magnum utrobique discrimen intercedit; cum ad hoc aciem mentis meae intendo, tantum abest, ut proposita dubia, quod est ad Hungariam, decisa censere possim, ut revera etiam hucdum insoluta, pluribusque aliis quaestionibus haud levis resolutionis implexa debeam reputare.

Primo scilicet quod attinet ad priore loco propositum dubium: Concilii Tridentini Decretum Sess. XXIV. de ref. matr. cap. I. quidquid sit de eo, an per singulas Parochias solenniter sit promulgatum, certe usu inde mox a sua conclusione et confirmatione ad praesentia tempora per omnes Dioeceses Regni huius Hungariae et harum singulas Ecclesias receptum est; nec aliter ac eius lege servata, matrimonia contrahere fas fuit unquam, usque adeo, ut saltem quod est ad Catholicos, matrimonia ea neglecta celebrata pro clandestinis ac irritis semper sint habita: id quod integris ferme quinque seculis ante Tridentinum ex Colomanni R. Decr. lib. 2. Cap. 15. in Corpore Juris Hungarici provisum perinde habebatur. Deinde Hungaria inde a primo suo Statore S. Stephano semper dominio Principum Catholicorum subiecta est, et nonnisi horum gratia ob bonum publicae pacis et tranquillitatis novissimarum haereticarum

sectarum professio in ea adhuc quidem, sed tantummodo toleratur restricta quoad publicum exercitium ad nonnulla articulariter definita loca, quae tamen et ipsa non minus ac alia quaecunque acatholica loca iurisdictioni alicuius Parochi Catholici Edictis Regiis sunt subiecta. Cum itaque his in Regno Hungariae obtinentibus, in Hollandia, aliisque Belgii regionibus Foederatorum Ordinum dominio subjectis omnia e diametro opposita vigeant: non sine gravi ratione ab Sacra Eminentiarum VV. Congregatione declarari humillime postulo: utrumne matrimonia non observata Lege Tridentina coram Ministro haeretico in Hungaria ab haereticis quidem inter se saepe, ubi autem contrahentium alterutra pars catholica est, nonnumquam inita ac celebrata pro virtute Decreti Tridentini sint nulla et irrita? vel vero provisio recolendae memoriae Benedicti PP. XIV. super huiusmodi matrimoniis ad Belgium, atque alias eius provincias data, sit ad matrimonia quoque praedicto modo inita et ineunda per Hungariam extendenda?

Et quod quidem spectat ad ea coniugia, quae Acatholici inter se coram suo Praedicantio celebrant, ea etiam in Hungaria valida esse, si non in ratione Sacramenti, saltem in ratione contractus civilis, extra dubium mihi positum esse videtur; quandoquidem observantia legis Tridentinae perinde hic, atque in Belgio moraliter sit impossibilis, postquam propter idem ipsum bonum publicae pacis, et tranquillitatis, ob quod haeresis adhuc in Hungaria toleratur, Edicta Regia permittunt Acatholis coram suis Ministellis matrimonia inter se inire, dummodo authenticum Parochi Catholici testimonium, cuius iurisdictioni subsunt, super trina denunciatione, et carentia omnis impedimenti, ac scripto expressum consensum habeant. Ex praxi certe Hungariae Ecclesiae constat, tales coniugatos, si ad veram fidem convertantur, ad renovandum coram Parocho Catholico consensum matrimonialem non adstringi. Quamquam hic quoque non immerito forte quaeri possit: an Parochi Catholici consensus scripto expressus sufficiens sit, ut matrimonia huiusmodi valida censeantur? utpote quod consensum Parochus proprius Catholicus pro exigentia Decreti Tridenti-

ni non in alium quam Sacerdotem transferre possit, quales utique Protestantium Ministri non sunt.

Haec interim utcunque se habeant, iam quod ad ea matrimonia pertinet, quae pariter in Hungaria absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a Catholicis cum haereticis, sive Catholicus vir haereticam foeminam in matrimonium ducat, sive Catholica foemina haeretico viro nubat: non perinde de his pronunciandum mihi videtur. Tantum enimvero abest, ut his observantia Conciliaris Decreti propter gravia damna exinde emergentia moraliter sit impossibilis, ut potius a contrario eius neglectus propter gravissimas sanctionibus Regiis constitutas poenas moraliter impossibilis censeri debeat. Sane *primo*, Apostolicis Regum nostrorum decretis severissime cautum est, ne unquam persona orthodoxa cum haeretica in matrimonium iungatur, nisi praestitis praevie a parte haeretica Reversalibus literis de utriusque sexus prolibus in Fide orthodoxa enutriendis. *Secundo*, itidem cautum, ut huiusmodi matrimonium nonnisi coram Parocho Catholico celebrari possit et valeat, usque adeo, ut si quidpiam secus quacunque de causa, etiamsi cum consensu parochi catholici scripto expresso fortassis fiat, hoc tam contrahentibus, quam assistenti Ministro, et consentienti Parocho sit admodum poenale; Minister scilicet illico per Magistratum Civilem in carceres coniicitur, munereque suo in perpetuum exuitur; contrahentes autem gravibus aliis poenis pro ratione conditionis aut corporalibus, aut pecuniariis competenter ad vires et facultates adficiuntur; Parochus denique si forte quoquomodo in eiusmodi contractum matrimonialem consensit, non absimiliter poenis canonicis per Ordinarium subiicitur.

Quae hucusque dicta sunt, de iis matrimoniis procedunt, quae in Hungaria absque omni quidem impedimento dirimente, sed tamen non observata forma a C. Tridentino praescripta ab haereticis nonnumquam contrahuntur. Jam nunc ad ea matrimonia, quae itidem in Hungaria non modo non servata forma Tridentini, sed insuper etiam cum alio impedimento dirimente, nimirum intra gradus iure prohibitos iniri solent, gradum faciens, satis equidem, Emi-

nentissimi Domini, mihi constat, eam esse perpetuam S. Matris Ecclesiae Catholicae disciplinam, ut in impedimentis dirimentibus cum haereticis numquam dispensetur, sive contrahentium uterque, sive etiam alterutra saltem pars haereticam sectam profiteretur, nisi abiuratio haeresis reapse praecesserit. Neque minus perspectum mihi est, Episcopos vigore Facultatum, quas Sedes Apostolica iis in remotis locis positis impertiri consuevit, quidquam aliter iure et valide facere posse, quemadmodum altefatis Apostolicis literis suis ad Primatem, Archi-et Episcopos Regni Poloniae sanctae reminiscentiae Benedictus PP. XIV. declaravit. Sed enim quia nihilominus in Hungaria Matrimonia haeretici inter se etiam in gradibus prohibitis contraherent vigore solius concessionis Regiae, quae ipsis quidem ab Augusta Aula dari solet, sed per quam solummodo ab actione Fisci Magistratualis ipsi alias tamquam contra incestuosos competente eximuntur, habilesque una cum prolibus suscipiendis ad omnes effectus civiles fore decernuntur: iure merito quaeri posse mihi videtur: quidnam de huiusmodi matrimoniorum valore sit pronunciandum, seu illa ob intervenientem Regiam Concessionem servata forma Tridentina coram Parocho Catholico, seu, quandoquidem haeretici in Hungaria, ut iam praemissum est, iurisdictioni Parochorum Catholicorum subsunt, de horum consensu coram Ministro haeretico celebrentur? imo quaeritur: possitne Catholicus Parochus eiusmodi matrimoniis aut assistere, aut saltem, ut coram Ministro contrahantur, consensum suum praebere? quid vero, si coniugum huiusmodi uterque subinde haeresim eiuret, debetne dispensationem ab Episcopo suo accipere, et ad renovandum matrimonium adstringi, aut si istud nolit, imo plane separari velit, ad alia vota liber pronunciari? quid si unus tantum eiusmodi coniugum convertatur, altero in haeresi permanente? cum neque hic dispensatio dari queat, quid, inquam, debetne a vinculo immunis declarari, et perinde ad alias nuptias liber pronunciari?

Sed nimirum haec omnia, aliaque plura his similia quaesita a valore eiusmodi matrimoniorum dependent, qui mihi dubius est, quemve idcirco una cum priore loco pro-

positis dubiis ab Sacra Eminentiarum Vestrarum Congregatione decidi ac declarari humillime peto, ac interea me, ac Dioecesim meam benignae protectioni devotissime commendans permaneo. Rosnaviae in Hungaria die 20. Febr. 1779. Antonius Baro Andrássy, Episcopus Rosnaviensis.

304.

Rescriptum S. Congregationis ad Episcopum Rosnaviensem in eodem merito, dd. 20. Augusti 1780.

Perillustris et Reverendissime Domine uti Frater! Quod et materiae gravitas, et diversarum quaestionum copia, quas in Tuis literis sub die 20. mensis Februarii 1779. ad Sacram hanc Concilii Congregationem proposuisti, expostulabat: ut iis diu, diligenterque discussis, dum Tibi respondendum adgreditur, et de Pastorali, quam geris huiusce Tuae Dioecesis sollicitudine, et de filiali, quam erga Sanctam Sedem Apostolicam significas, veneratione, plurimum gratulatur.

Duo sane tantum quaesiveras ab initio, nimirum: quid statuendum sit 1. de illis matrimoniis, quae licet absque omni impedimento dirimente, sed tamen non observata Lege Tridentina, coram Ministro haeretico, tam ab haereticis inter se, quam ubi contrahentium una pars catholica est, contrahuntur? 2. de illis, quae cum inpedimento dirimente sive ubi utraque, sive ubi alterutra saltem contrahentium pars haereticam sectam profitetur, sive coram Parocho Catholico, sive ministro haeretico ineuntur ac celebrantur. Cum autem ipse pro Tua sapientia probe intelligeres, hisce dubiis, nisi enucleatius perferrentur, apte satisfieri non posse, illa deinceps per partes distinguere instituisti ac distributis quaestionibus articulatim in hunc modum proponere.

1. Utrumne matrimonia non observata lege Tridentini coram Ministro haeretico in Hungaria ab haereticis quidem inter se saepe, ubi autem alterutra contrahentium pars est catholica, nonnumquam inita ac celebrata, pro virtute Decreti Tridentini sint nulla et irrita: vel vero pro-

visio recolendae memoriae Benedicti PP. XIV. ad Belgium, atque alias eius provincias data sit ad matrimonia qnoque praedicto modo inita et inennda per Hungariam extendenda? Noveris igitur, non unam eandemque utrorumque habendam esse rationem. Quamquam enim commendata provisio, donec per S. Sedem Apostolicam aliter declaratum non fuerit, tamquam pro non extensa ad Hungariam ab omnibus censenda sit: priora tamen, nempe haereticorum inter se coram Ministro haeretico inita, ita a Te oportet dissimulari, ut super eorumdem validitate seu invaliditate ab omni prorsus abstineas nedum ferendo iudicio, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in Catholicae Religionis perniciem foret exspectandus. Posteriora autem, scilicet Catholicorum cum haereticis, quae Apostolica Sedes, prout ex eodem, quem laudas, felicis recordationis Benedicto XIV. plane didiceris, in aliquibus locis, cum ea impedire non valeat, tolerat quidem et ecclesiastica quadam prudentia, commiseratione, et mansuetudine, ne maiora enascantur mala, dissimulat: et quamvis matrimonia mixta coram Parocho Catholico, absque alio dirimente impedimento celebrata, valida dignoscantur; Prudentiam tamen Tuam non latet, ab huiusmodi nuptiis velut catholico homine prorsus indignis semper Ecclesiam abhorruisse, nec quidquam intentatum reliquisse, quo fideles suos ab eis ineundis omni ope deterreret, propterea que si quibusdam in regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nullo pacto approbationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad graviora vitanda mala offert necessitas, non voluntas.

2. Verum enimvero, inquis, quia haeretici in Hungaria matrimonia inter se etiam in gradibus prohibitis contraherent vigore solius Regiae concessionis, iure merito mihi quaeri posse videtur: quidnam de huiusmodi matrimoniorum valore sit pronunciandum? At nisi Ecclesiae, cuius auctoritate introducta sunt, legitima impedimentorum

dispensatio intercesserit, invalida esse in eadem Benedicti XIV. declaratione satis aperte decernitur. Statuit enim, ut vel in ipsis Foederati Belgii provinciis matrimonia inter haereticos etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis observata, pro validis habeantur, *dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum*, qua exceptione manifeste ostendit, si quod aliud subsit canonicum impedimentum, quale est, quod ex gradibus prohibitis enascitur, huiusmodi matrimonia non valere.

3. Quaeris insuper: possitne Parochus Catholicus eiusmodi matrimoniis, illis scilicet, quae ab haereticis inter se contrahuntur, aut assistere, aut saltem ut coram ministro (nempe haeretico) contrahantur, assensum suum praebere? Quoad assistentiam porro iam teneas, omnino non licere. De consensu autem nonnulla supersunt exquirenda, de quibus plenior a Te relatio desideratur, nimirum qua formula consensus exprimatur? an una eademque sit omnibus veluti ad exemplar praescripta, an vero pro uniuscuiusque Parochi arbitrio diversa? Insuper an ex Regiis Sanctionibus haeretici tantum teneantur Parochi Catholici, cuius iurisdictioni subsunt, consensum exquirere pro celebrando matrimonio coram proprio Ministro? an vero respiciant Parochos Catholicos, ne postulantibus consensum denegent, et quatenus renuant, quidnam inde mali timendum sit? — Cum vero in eisdem Tuis literis mentionem feceris et de authentico Parochi testimonio super trina denunciatione, sive de carentia omnis impedimenti: doceas etiam, oportet, utrum cum adest impedimentum, necesse sit haeretico huiusmodi testimonium, simulque Parochi consensum scripto habere expressum, ut coram proprio ministro matrimonium inire valeat? et siquidem illud testimonium haberi debet, teneturne Parochus tantum de impedimento in genere, an de gradu etiam, quo contrahentes inventi sunt inter se coniuncti, rursus ad quot gradus extendatur facultas, quam civilis Magistratus concedere solet quoad gradus iure canonico prohibitos? Postremo, ne quidquam ad rem desit, referendum a Te erit quoad denunciationes, quo tempore, locoque fiant, et cum nomina recitantur eorum, qui contrahere vo-

lunt, exprimaturne, illos haereticos esse, sive alterius communionis, an reticeatur?

4. Sed Tu pergis adhuc, quid si coniugum eiusmodi uterque haeresim eiuret, et fidem orthodoxam amplectatur, debetne dispensationem ab Episcopo suo accipere et ad redintegrandum matrimonium stringi? aut si plane nolit, imo separari cupiat, ad alia vota liber pronunciari? Ad haec cum iuxta responsionem ad II. dubium, de quo agitur, iam plane sequitur, ut si in illo per conversionem permanere voluerint, ab eisdem dispensatio petenda sit et ab Episcopo concedenda, si necessaria gaudeat facultate, novoque consensu in facie Ecclesiae pristinum coniugium esse redintegrandum; quodsi ab eo resilire obfirmate velint, atque ad alias nuptias convolare, in irritum cessis adhortationibus Tuis, quas adhibere non praetermittes ad illam redintegrationem suadendam, tum impediri non poterunt, quominus iure suo, et libertate utantur.

5. Quaeris tandem: quid si unus tantum huiusmodi coniugum convertatur, altero in haeresi permanente, cum his dispensatio dari nequeat, quid, inquam, debetne a vinculo immunis decerni, et proinde ad alias nuptias liber declarari? Recte intellexisti, dispensationem altero tantum converso, altero in haeresi permanente, a Te dari non posse; proinde ubi casus huiusmodi contigerit, recurras, oportet, ad hanc S. Sedem, quae pro iudicio suo et auctoritate statuet, quid facto opus sit, attentisque circumstantiis, Deo inspirante, modum praefiniet, quo tuto Te geras, ut gregi Tuo oportune in Domino providere valeas.

Haec Sacrae Congregationis nomine Tibi significamus, dum Amplitudini Tuae fausta omnia precamur a Domino. Romae 20. Augusti 1780.

Monumenta ad Epocham II. ab an. 1780 — 179⁰⁄₁

305 — 309.

Acta in merito introductae per Imp. ac Regem Josephum II. Tolerantiae Acatholicorum, et signanter in obiecto mixtae quoque religionis matrimoniorum, interventa.

a) 305.

Resolutio Regia erga exhibitum per Cancellariam dd. 23. Martii 1781. conspectum Normalium Regiarum ordinationum quoad rem Religionis antea editarum, emanata.

Clarum hoc atque praestans Elaboratum singulari mihi cedit beneplacito, approboque stabilita haec principia, quoad in saluberrimum finem conservandae ac firmandae verae Religionis, eiusque via suavis doctrinae procurandi incrementi directa sunt. Ex ipso tamen Elaborati tenore patet, in variis dispositionibus ab aequo moderamine aberratum, nec non iustis Protestantium querelis saepe saepius ansam praebitam fuisse: quapropter tam ipsius Religionis honos, quam commune Reipublicae bonum aequam hic medelam afferre exposcit. Decrevi igitur, quoad stantibus principiis de incolumi conservanda Religione id fieri potest, Protestantium fundata gravamina, nimiasque eorum verae Ecclesiae doctrinae haud convenientes coarctationes ex nunc tollere. In sequentibus aequum levamen, quod ex nunc con-

cedere duxi, consistet: 1. Si in matrimonio disparis religionis mutuo et liberrimo consensu Reversales ineantur: quaenam proles in Protestantium doctrina educandae? eiusmodi reversales pro veris ac validis deinceps habeantur. 2. Nec orphani Tutoribus, nec proles Parentibus auferantur, dummodo christianam ac moralem apud illos educationem obtineant; et cum eiusmodi proles in parentum doctrina educatae et informatae iam sunt, ad eliciendam fidei professionem ante annum 16. non adstringantur.

b) 306.

Reflexiones Cancellariae erga praeallatam Resolutionem, dd. 6. Julii 1781.

Quemadmodum Cancellaria constabilitis in Systemate Religioso principiis omnino congruere existimat, ut in cunctis dispositionibus circa obiecta religiosa elargiendis honos ipsius Religionis, cuius conservatio et propagatio unice intenditur, cumprimis prae oculis sit, ac dein commune Reipublicae bonum, quod aeque inter prima eiusdem religiosi systematis principia relatum fuit, non minore sollicitudine attendatur: ita suas, quas erga puncta specifica benignae Resolutionis depromet reflexiones et respective opiniones, ad explanatam praevio modo benignae intentionis veram mentem accomodare studebit; dignum enim esse et ipsa agnoscit, ut querimoniae et coarctationes Protestantium, quae verae Ecclesiae doctrinae non conveniunt, quaeve in honorem Religionis ac ipsum bonum publicum impingunt, tollantur; dissimulare tamen hac occasione nequit Cancellaria, sibi ex combinatione subsequentium punctorum Resolutionis videri, nonnullas querelas Protestantium, quae Maiestatem Vestram SSmam ad eandem Resolutionem elargiendam forte permoverunt, partim minus sincere, partim pro more cum nimia exaggeratione ad conciliandam maiorem attentionem expositas, sed et tales commemoratas fuisse, quae ex ratione systematicarum dispositionum neutiquam promanarunt, de quibus hic tantummodo quaestio esse potest; siquidem iniuriae privatae contra tenorem legum et Resolutionum Acatholicis illatae citra ullam innovationem

systematis religiosi corrigi possunt et debent, prouti et eorumdem Protestantium excessus secundum eadem systematis religiosi principia emendantur.

Ad I. Antiquissimis temporibus quidem ille in mixtae religionis matrimoniis usus passim vigebat, ut masculae proles patris, foemellae vero matris religionem secutae sint; quia vero usus hic partim principiis verae Religionis non satis convenire videbatur, ut cumprimis Pater Romano-Catholicus qua familiae caput, et patria potestate pleno iure praeditus proles suas cuiuscunque sexus in diversa religione, quam ipse veram non esse profitetur, educari permittat; parte vero ex altera non obstante eodem hoc usu tantisper dissimulato multae ingratae differentiae ortae sint: idcirco primum quidem simpliciter vetita fuerunt disparis religionis matrimonia, cum quaelibet religio eo sit alioquin numero, ut mixta matrimonia admittendi nulla fuerit ex ratione etiam Status Publici necessitas; dein vero admissa quidem fuerunt, ea tamen lege, ut in favorem dominantis Rom. Catholicae Religionis Reversales scriptae mutuo libero consensu praevie dari debeant de prolibus utriusque sexus in Religione RCatholica educandis; quae utique nulla videtur esse coarctatio doctrinae verae Religionis contraria, cum nulla sit necessitas, ut diversae religionis homines coniungi debeant; quin necessaria fuisse videtur haec provisio ex benigne approbato etiam principio conservandae et firmandae verae Religionis, hoc enim modo per impedita frequentia huiusmodi disparis religionis matrimonia multae inconvenientiae sublatae sunt in ordine ad observanda ieiunia, cultum divinum, et alia verae Religionis exercitia, quae adhibita quacunque Curionum Romano Catholicorum vigilantia apud rudem plebem disparis religionis matrimonio irretitam non satis praecaveri poterant.

Ex tenore nihilominus ad hoc punctum editae Resolutionis videtur illud adhuc ultro consequi, quod non tantum matrimonia mixtae religionis deinceps indiscriminatim admissa sint, verum insuper si Reversales dentur de prolibus in religione Protestantium educandis, illae generatim vigorem obtineant, adeoque Pater Rom. Catholicus Reversales

de prolibus suis in favorem consortis suae acatholicae in Protestantium doctina educandis dare possit. Neque absque fundamento ad hanc opinionem prolapsa est Cancellaria, quoniam actu casus est similis in C. Pestiensi, qui indubie querimoniae huic pro recepto more, ex particulari quocunque casu illico universale religionis gravamen faciendi, occasionem dederit. Verum Cancellaria hoc cum principio conservandae et firmandae verae religionis vix conciliari posse existimat, ut parentibus R. Catholicis libere admittatur, ut de prolibus proprii praecipue sexus contra omnem veterem etiam observantiam in religione, quam ipsi veram et salvificam non esse profitentur, educandis Reversalibus semet obstringere possint; admitti hoc potest Protestantibus in favorem dominantis et verae religionis, ut de educandis in religione orthodoxa prolibus Reversales dent, quemadmodum iis admittitur, ut ipsi quoque ad sacra orthodoxa, si velint, transeant, quin vicissim concedatur, ut Romano-Catholici absque nota apostasiae ad sacra huius vel illius Confessionis acatholica impune transire possint; huic reatui autem quadamtenus se per id etiam obnoxios redderent, si proles suas facto proprio in aliena ab orthodoxa religione educari procurarent. Quare eadem Cancellaria eius est ultro quoque sensus, ad conservandam et firmandam veram Religionem absque ulla nimia coarctatione Protestantium plurimum facturum, si huiusmodi disparis religionis matrimonia, nulla illorum necessitate existente, vel simpliciter prohibeantur, vel non secus quam erga mutuo et liberrimo consensu dandas Reversales de educandis in vera religione prolibus, uti hactenus, admittantur. Si autem Maiestati Vestrae SSmae bonum publicum contra atque Cancellaria haec opinatur, id omnino exigere videretur, ut disparis religionis matrimonia indiscriminatim absque suppeditandis praevie huiusmodi Reversalibus, si ad illas placidis modis disponi nequirent, admittantur: illud saltem, ut seu pater seu mater Rom. Catholicae religionis per positivas Raversales semet obstringere possint, proles in diversa a sua, quam unice veram et salvificam esse profitentur, religione educandi, qua verae et dominanti Religioni admodum praeiudiciosum

nulla ratione concedere dignetur. Quidquid autem Mai. Vra SSma hanc in rem diversum ab hucusque observato systemate resolverit, absque publicatione ad effectum deduci nequit; debent enim et Episcopi, et ipsi diversarum religionum Protestantes hanc in rem instrui, ut semet eidem Resolutioni deinceps accomodare sciant, cum secus continuae differentiae sint futurae, quoniam nulla praecedente publicatione matrimonia non secus atque expletis hucdum praescriptis conditionibus forent admittenda.

Ad II. Neque hucdum seu orphani a Tutoribus, seu vero a Parentibus proles licite auferebantur, exceptis unice casibus illis, ubi proles huiusmodi omni iure in Religione R. Catholica, vel quod illae parentibus R. Catholicis ortae fuerint, vel ob datas de educandis illis in religione orthodoxa liberrimo consensu Reversales in eadem instruendae et formandae erant; tum igitur si eiusmodi proles in indifferentismo aut diversa religione facto Tutorum aut Parentum Protestantium educari observatum fuit, iidem tutores aut etiam parentes ad statuendas talismodi proles Parocho R. Catholico pro debita instructione et initiandis formandisque in vera religione suo modo admoneri, si vero benevole hoc praestare nolebant, auctoritate etiam Magistratuali ad id compelli, et pro re nata proles auferri omnino nonnumquam assolebant; si igitur nunc ab hac saluberrima dispositione recedendum esset, profecto non apparet, quomodo illud cum conservanda et firmanda vera religione conciliari possit, ut huiusmodi proles omni iure in Religione R. Catholica educandae manifesto periculo exponantur, ut antequam adveniente 16. aetatis anno ad eliciendam fidei professionem adstringantur, iam in dogmate seu unius seu alterius Confessionis instructae sint, quin etiam ad communionem eorum, quod nulla vigilantia sat impediri poterit, admittantur, aut saltem in tot b. Resolutionibus R. vetito indifferentismo superatis etiam discretionis annis educentur, ac hoc modo dein vel numquam fidei professionem sponte eliciant, vel si vi ad id compellantur, quod utique minus conveniens futurum esset, sincere religionem orthodoxam non profiteantur. Quam firma enim sint cumprimis in re

Religionis primitivae educationis praeiudicia, hoc vel Protestantium Hungariae erga suas religiones nimius affectus, et erga orthodoxam odium satis testatur, dum sollicitis quibusvis studiis evitare student, ne tenerior eorum iuventus vel a longe quidpiam de fide orthodoxa audiat, ac ideo etsi omnis in Schola Catholicorum cautela adhibita sit, ne nullo modo doctrina religionis invitis parentibus imbuantur, suas tamen proles passim indoctas relinquere, quam ad scholas catholicas dimittere malint.

Quemadmodum igitur punctum hoc b. Resolutionis cum priori cohaerens est, ita Cancellaria haec, prouti supra, eius est sensus, ut hucdum vigens observantia de prolibus omni iure catholicis catholice educandis, qua in omni aequitate et stabilito principio conservandae et firmandae verae religionis fundata, ultro quoque generatim confirmetur, cum huiusmodi casus alioquin rarissime esse possint, ut proles seu Rom. Catholicis parentibus ortae ad manus acatholicorum tutorum deveniant, seu vero reversales liberrimo consensu super educandis in orthodoxa religione prolibus extradentur, alio modo expeditis Reversalibus autem alioquin locus esse nequeat.

Unicus ille se offerre potest casus, qui forte querelae etiam occasionem dederit, dum exempli causa Pater antea acatholicus ad Sacra Catholica transit, mater acatholica remanet, aut vicissim; quaestio proinde oritur, quid cum prolibus, quae necdum discretionis annos attigerunt, et ad communionem unius vel alterius Confessionis admissae sunt (de his enim, quae superatis discretionis annis ad unius vel alterius Confessionis communionem iam accesserunt, nisi via suavis doctrinae ad sequendum seu patris seu matris ad orthodoxa sacra transeuntis exemplum persuaderi possint, nulla est quaestio, quod in libero religionis suae, quam profitentur, exercitio relinqui debeant) agendum sit? in simili proinde casu illud omnino nonnumquam accidit, ut praecipue dum Pater Sacra R. Catholica amplexus est, cum is sit omni iure caput familiae, adeoque patria potestate pleno iure pollens, proles suas minorennes et infra discretionis annos positas ad sequendam suam religionem dispo-

suerit, et occasione tali forte, dum praecipue is e vita decessit, contigerit, ut auctoritate etiam publica in vera religione patris educandae Institutis Catholicis traditae fuerint, aut pro re nata etiam a matribus aut tutoribus renitentibus avulsae. Verum in huiusmodi etiam casu stante principio conservandae et firmandae verae religionis, quid aliud aequius statui possit, non videtur; nisi forte Maiestati Vestrae SSmae illud decidere placeret, ut in huiusmodi casibus, ubi alioquin nullae Reversales praecedere poterant, propter subsequentem primum sub tempus matrimonii conversionem sexus sexum sequatur in religione; illud enim nullo modo admitti potest, ut pater conversus prolem suam etiam masculam in diversa ab illa, quam ipse profitetur, religione educandam permittere debeat, quo modo maior utique favor religioni seu Augustanae seu Helveticae Confessioni addictorum, quam ipsi dominanti tribueretur.

(Post plures adhuc ad cetera puncta Resolutionis reflexiones, ita concludit Cancellaria.) Clementissima Maiestatis Vestrae SSmae intentio, in principio statim benignae Suae Resolutionis declarata, ea est: ut principia propagandae orthodoxae Religionis, quoad illa cum pace et tranquillitate publica conciliari possint, ultro quoque non modo constabiliantur, quin potius eadem orthodoxa Religio uberioribus adminiculis conservetur, et firmetur, atque unice iuxta illa, si quae sunt Acatholicorum gravamina, sublatis nimiis atque doctrinae verae Religionis minus consentaneis eorum coarctationibus, releventur. Haec sanctissima principia proinde Cancellaria quoque in depromendis praeviis reflexionibus suis atque opinionibus prae oculis habuit, haec sibi pro norma proposuit, atque ideo non dubitat, easdem per Mai. Vestram adprobandas esse; quo modo fiet, ut nimiae quidem et verae Religionis doctrinae minus convenientes coarctationes tollantur, orthodoxa tamen Religio in dies magis propagetur, pax et tranquillitas publica, quae a tot iam annis non obstantibus variis extraneorum bellorum motibus hucdum penes praeadductum systema religiosum constitit, ultro quoque conservetur, privatae factiones et religionis fanatismi suffocentur, atque ita Regnum hoc tot naturae

dotibus ornatum, animorum etiam consensione pro publico universae Monarchiae bono magis magisque reflorescat. Si nihilominus Maiestas Vestra SSma contra, atque Cancellaria existimat, praemissas quaestiones circa obiecta religiosa, exaggeratasque Acatholicorum querelas, obmotas decidere dignabitur: aget non obstante contraria sua opinione ad effectum benignae intentionis eo tutius omnia, quo magis sibi conscia erit, se pro iurato suo munere, et ea, quam habet, intrinseca quarumvis circumstantiarum atque Regni Constitutionis notitia cuncta candide exposuisse, proinde nullo, quiscunque forte olim seu relate ad propagandam orthodoxam Religionem, seu vero ad internam pacem et tranquillitatem Regni conservandam sequatur effectus, responsionis onere teneri; illud autem sibi culpae minus daudum fore existimat, quod hoc candore in proponendis praedeductis suis reflexionibus usa sit, cum illum Maiestas Vestra pro suo orbi universo comprobato iustitiae amore et summo boni publici promovendi zelo — in tractandis et proponendis quibusvis negotiis quam maxime exigere dignata sit. Viennae, die 6. Julii 1781.

c) 307.

Ulterior erga has reflexiones Resolutio Regia quoad mixta matrimonia.

Ad 1-um emanatae Resolutionis meae sensus fuit: utrique parti matrimonio se iungentium liberum relinquendum esse, ut sui sexus proles in sua religione educentur, per pactum stipulari. Cancellaria conformiter huic sensui Ecclesiastica ac Politica Fora instruet, atque ut libertatis huius usus a nemine impediatur, deinceps invigilabit.

d) 308.

Decretum Tolerantiale, in quo etiam de mixtis matrimoniis disponitur, dd. 25. Octobr. 1781.

Josephus etc. Cum Nobis persuasum sit, omnem coactionem, quae conscientiae hominum vim inferat, quam maxime nocere, contra vero plurimum utilitatis in Religionem

et Rempublicam e genuina, qualem Christiana Charitas probat, Tolerantia promanare: hanc in universis haereditariis Provinciis Nostris certis legibus firmare decrevimus. Quia vero Regia haec sollicitudo Nostra ad Regnum Hungariae, Provinciasque eidem adnexas hoc magis pertinet, quod ibidem Acatholici, utpote tam Augustanae, quam Helveticae Confessioni addicti, nec non Graeci Ritus non Uniti incolae, illi sub peculiari Regni legum, hi vero Privilegiorum Regiorum tutela actu constituantur: idcirco clementer volumus, ut salvis ceteroquin iisdem legibus et privilegiis quae in favorem praeattactorum Acatholicorum seu respectu publici religionis exercitii, seu vero quoad alia civilia jura et praerogativas iisdem quoque competentes huedum constituta sunt, — in reliquis quoque eiusdem Regni Hungariae, et Provinciarum eidem adnexarum Districtibus, Liberis item Regiisque Civitatibus, nec non Communitatibus, in quibus Acatholici seu per leges, seu per privilegia a publico religionis exercitio, aliisque iurium civilium effectibus arceantur, eadem vera Christiana Tolerantia, eodem, quo in reliquis haereditariis Provinciis Nostris, modo introducatur, atque constabiliatur: quae proinde in sequentibus punctis consistet. (*Praetermissis iis, quae ad quaestionem de mixtis matrimoniis non pertinent, ea tantum, quae huc spectant, subiungimus*). Quia vero utrique Confessioni addicti plurima gravamina ad Nos detulerunt, Nos vero non obscure comperimus, in nonnullis ab aequo moderamine aberratum, nec non iustis eorum querelis saepe saepius causam praebitam fuisse: quapropter tam Religionis honor, quam commune Reipublicae bonum aequam in his medelam exposcere videbatur; decrevimus igitur ultra ea, quae superius ad normam sincerae Tolerantiae Christianae statuimus, adhuc peculiariter in sequentibus concedere: 7. Cum matrimonia disparis religionis huedum non secus, quam erga dandas Reversales de prolibus utriusque sexus in Religione Rom. Catholica educandis admissa fuerint, *huiusmodi Reversalium usum ex nunc quidem abrogare*, pro constanti tamen norma una sancire duximus, in matrimoniis disparis religionis, *ubi Pater Catholicae Religioni addictus est, omnes proles tam masculi quam et foeminei sexus*

in Religione Catholica educandas esse, quod dominantis Religionis praecipium et praerogativa esse dignoscitur. Si e converso mater Catholica, Pater vero Acatholicus foret, proles sexum parentum, qua educentur religione, sequantur. 8. Si matrimonio inter utramque partem Augustanae et Helveticae Confessioni addictam contracto alterutra partium ad Sacra Rom. Catholica transiret, aut soluto per mortem matrimonio pars superstes ad Religionem Catholicam conversa fuerit, eadem praescripta regula quoad proles, quae nondum annos discretionis attigerunt, pariter observanda erit; in casum nimirum conversi patris omnes proles in annis discretionis nondum constitutas absque discrimine sexus Patris religionem sequi, conversa autem ad Cath. Religionem matre, nonnisi sui sexus proles infra annos discretionis, nempe in Cath. Religione educandas esse. Ceteroquin autem Catholici nullo praetextu proles aut orphanos a Parentibus Acatholicis ortos in religione sua educandos vindicare poterunt.

e) 309.

Repraesentatio Cardinalis Primatis a Batthyán contra Decretum Tolerantiae, et signanter adversus puncta de mixtis matrimoniis, dd. 7. Martii 1782.

Excelsum Consilium etc. Concordes Regnorum, Episcoporum, et Comitatuum Repraesentationes in merito neoinducendi Tolerantiae systematis —, ipsae item deductiones eatenus et a Catholicis et ab Acatholicis ad Excelsum hocce Dicasterium inviatae pluribus evincunt argumentis: novum hoc in omuigenae aequanimitatis effectum, domesticae tranquillitatis et animorum unionis scopum directum systema praeconceptis his finibus atque concedentis optimi Terrae Principis motivis longe magis adversari, quam respondere, et a genuina, quam Christiana Charitas probat, Tolerantia — adusque legum patriarum praesidio, altissimarum Resolutionum praescripto, et longi usus consuetudine, Jurisdictionum omnium obsequio et sollicitudine susten-

tata — adeo aberrare, ut longe diversa a scopo proposito metuenda magis veniant.

Aequanimitati enim nihil magis adversatur, ac sanctimoniae legis violatio: quam ex novi systematis introductione secuturam universi Status concorditer existimant in omnibus, in quibus etiam cum dispensatione in impedimento obstantium legum et privilegiorum novum systema introducendum innuitur, eisque novae leges citra concursum diaetalem praescribuntur.

Praeterea Catholici, de quorum praeiudicio agitur, sustinent: privati et publici Acatholicorum exercitii indolem et limites iam legibus articularibus 25. et 26. a. 1681. et 30. a. 1715. definitos esse, adeoque extra diaetalem tractatum haud legaliter extendi posse. Acatholici vero, de quorum favore statuitur, praetendunt: quaecunque sibi in nova hac Resolutione addicuntur, non ex gratia tribui, sed ampliora adhuc ex legum dispositione, ac ipsis nunc ex gratia Principis destinantur, iura deberi, illamque gratiae loco tantum hoc sensu habent, quod Princeps benevole et liberaliter in avitorum iurium possessorium ipsos reintroducere decreverit. Longe itaque diversum, ac tolerantiae gratiosae et privati exercitii effectum sibi arrogant, et ex possessorio per gratiam modo obtinendo sibi successive ius firmum et avitum illimitati publici exercitii spondent, non aliter gratiae sed potius iniuriae loco habituri novum systema.

Quae publicae Acatholicorum contestationes, secuturorum moliminum insinuationes, his intentionibus correspondentes temerae nonnullorum petitiones factae circa Catholicarum Ecclesiarum usibus suis applicationem, participationem item piarum Fundationum, et subtrahenda adusque ab iis in annuis praestationibus, communibus laboribus dari solita subsidia in Ecclesiarum, Parochiarum, et scholarum conservationem — quantum adversentur alteri concedentis Principis motivo, firmandae nempe domesticae tranquillitatis et animorum unionis, ac stabiliendae genuinae, quam Christiana Charitas probat, Tolerantiae: facile quivis noverit, qui perpenderit, quantum Catholicae Religioni ex subtractione communium subsidiorum cum interitu si non pa-

rochiarum, plurium saltem scholarum praeiudicium impendeat? qui noverit praeterea, quam aspera cuivis conditio sit ex possessorio longi prope secularis usus turbari cum ingenti sui incommodo in gratiam alterius omni alias iure destituti ad tantas iniurias et calamitates possessori inferendas, solo gratiae sinistrum in sensum detortae abusu, indubie secuturo, nisi idem et praecipue via facti efficaciter praeveniatur, audacesque cohibeantur motus.

Ut meae, quantumcunque possum, consulerem conscientiae, impendentium item malorum aversioni et concreditarum animarum saluti: non potui me continere, quin omnia quaecunque sollicitum occupant animum meum, uberius Excelso Consilio detegerem, et duodecim punctis seorsivis Neotolerantialis systematis meritum complectendo, singillative ad grandia haec obiecta, quaecunque occurrunt, referrem in adiectis deductionibus.

Sub Nro. V. de disparis religionis matrimoniis. Praeterquam quod Ecclesia Catholica semper reprobaverit eiusmodi matrimonia ex periculo perversionis partis catholicae, impossibilitate item consensus a parte catholica dandi, ut proles suae pro certa sui damnatione aeterna educentur, iis in principiis imbuantur; adminimum ex secuturo malo indifferentismi, in quem frequenter inciderunt eiusmodi disparis religionis matrimonia, ut proles inde genitae, signanter puellae usque ad casum nuptiarum nullius positivae religionis fuerint, sed pro fortunae eventu eidem se addixerint; quod inde factum, quod pars acatholica admiserit, prolem salvari posse in aliena etiam a sua religione, ideoque non urserit professionem suae; pars catholica vero vel coeci amoris coniugalis ductu vel domesticae pacis respectu se determinaverit ad favorabilem exspectandum casum. Quam magno autem periculo animarum, saepe etiam earumdem damnatione evenerit indulgentia, ex frequentibus similium casuum ad Excelsa Dicasteria Repraesentationibus constat. Prout nimirum eiusmodi personae a teneris in tepore, ignorantia verae fidei educatae fuerint, ita et earumdem professio pro Religione Catholica ex occasione fortunae parum profuerit. Praeterquam quod, uti dixi, ex his principiis Ecclesia Ca-

tholica constanter reprobaverit, et adhuc reprobet eiusmodi matrimonia: haec libertas sine praeviis Reversalibus, quae partem catholicam et nascituras proles in tuto ponant, adversatur ipsi Neotolerantiae motivo et fini, saltem maiori ex parte. Libertas enim educationis prolium in religione censetur multiplicare mixtae religionis matrimonia, et inde sperare licet futurum, ut Catholici cum Acatholicis amice, comiter et suaviter convivant, quod potissimum obtinetur per consangvinitatis et affinitatis nexum. Verum ipsi celeberrimi Germaniae Doctores Carpzovius, et Boehmerus vehementer dissuadent ex ratione Status mixtae religionis matrimonium. Dum Episcopus Transsilvaniae fui, ab ipsis Ministris Acatholicis intellexi, quam sollicite dissuadeant haec matrimonia. Plerique ingenuae crisis viri sicubi, hic vel maxime suadendum censent: si vis nubere, nube pari. Certe non solius conditionis status, sed maxime religionis. Libertas enim eiusmodi matrimoniorum in Hungaria, in qua Acatholicorum pars potissima consistit in ruricolis, inter eos maxime in effectum deduceretur, qui siquidem minus prudentes, minus philosophi, diversique zèli, religionis, et principiorum iudiciis regantur, apud eos vel in limine ineundi matrimonii vix solida bonae harmoniae, animorum unionis spes concipi potest, longe magis metui potest ingravescens tepor, lapsus in indifferentismum. Jam vero prout aemuli in religione homines domesticam turbant pacem, animorum unionem lacerant, et inde praeconcepto libertatis matr. fini adversantur: ita in sua religione frigidi mali sunt patriae cives, Deo non fideles, quomodo Regi? incertae religionis nullius firmae sunt virtutis, in fine plane nullius religionis, quod Civitatem evertit. Sed ne infinitus evadam, quod facile eveniret, si deflecterem ad omnia mixtae religionis matrimoniorum damna, quocirca et admisero pro et contra libros scribi posse; unde concludo: etsi mea hic in genere proposita thesis non irrefutabilis consideranda sit, tamen novam libertatis laxationem periculi plenam esse sustineo; ut tamen missis generalibus, propius ad hoc puncto fixam regulationem respondeam, eo converto et restringo reflexiones meas.

Hoc paragrapho non tantum secundum tolerantiae civilis legem disparis religionis matrimonia conceduntur, verum etiam solitarum adusque de omnibus prolibus in sola salvifica Religione Catholica educandis Reversalium usus ex nunc abrogatur, in quo tamen hactenus dominantis Religionis praecipuum, et praerogativa subsistit, unicum ad damnandum indifferentismum efficax remedium. Nunc interim re commutata, pro disparis matrimonii casu, ubi Pater fuerit Catholicus, ut utriusque sexus proles in religione catholica educentur, benigne disponitur, et quod hoc dominantis religionis praecipuum ac praerogativa esse dignoscatur, clementer declaratur; cum tamen si hoc ius patri catholico relictum non fuisset, non tantum religioni dominanti nulla praerogativa obtigisset, sed etiam eiusmodi pater, velut caput familiae potestate patria sibi ad omnes proles suas in religione sua, quam solam salvificam admittit, educandi privatus fuisset, qui ex hoc principio sibi certo, quod in sola sua religione salvari possint proles, in omni alia damnationis aeternae interitum subire debeant, nec patriae potestati iuris naturalis, nec petito coniugis in partem aliquam prolium videlicet sui sexus cedendarum consentire posset, adeoque ut recedat a iure patriae potestatis, quod uxori admittenti, etiam in Cath. Religione proles salvari posse, indifferens esse potest, non vero patri contrarium tenenti, qui nonnisi cum maxima violentia per quemcunque a patriae potestatis exercitio arceretur. Proinde si quae praerogativa religioni dominanti concessa est, adferenda fuisset ad casum secundum, ut nimirum cum Mater catholica fuerit, non tantum eius sexus, sed et patris sexus proles matris religionem sequantur; nam hoc ipsum, quod in obversum patriae potestatis statutum fuisset, tribuendum venisset praerogativae dominantis religionis, in qua Acatholici patris iuri et conscientiae non tanta vis, ac patri catholico in primo casu, inferretur; nam cum alioquin et matri aliquod ius ex natura in omnes proles, earumque maximum bonum competat, neque exercitium huius iuris naturae parentibus in communi competens cum principiis patriae potestatis, et articulis suae religionis combinata ad invicem pugnent, hoc op-

portunissime si non sine omni, longe tamen minori et magis aequanimi (causa innocuarum prolium) coactione praerogativae dominantis religionis tribuendum venisset. Quin imo si Majestas SSma non indulget, ut mater catholica post fata parentis acatholici suas infra annos discretionis proles masculas, adhuc nullam religionem professas, sua religione catholica libere imbuere possit, calamitosa mater in locum praerogativae dominantis religionis orthodoxae potestate patria iure naturae in se devoluta sibique attributa, quin et lege patria suarum prolium legitima tutrix constituta, violenter privabitur. Eadem profecto ratione legitimis iuribus suis privabitur mater post obitum mariti sui acatholici acquisitam Religionis Catholicae veritatem amplexura, si tantum sui sexus infra annos discretionis proles in religione catholica instituere potuerit. Hac ratione potestas patria, non quod ius naturae exigit, ad matrem, sed ad acatholicos ex dispositione civili, pro peculiari alienae a catholica fide confessionis praerogativa in praeiudicium religionis dominantis, iuris naturae, imo patrii, devolveretur, profecto in longe diversum a declaratione Snae Majestatis finem, contra eius voluntatem sequeretur a vero scopo deviatio.

Illud longe minus altissimae mentis esse censeo, ut abrogatione usus Reversalium, Majestas SSma etiam libertatem sponte et benevole occasione ineundi disparis religionis matrimonii propter pacificam societatis coniugalis cohabitationem aliasque evitandas ex instabilitate humana oriundas contraventiones, conficiendarum hactenus usitato Tolerantiae systemati conformium Reversalium paciscentibus adimere velit. Omnia enim pacta matrimoniorum libera esse debent, et si temporalia commoda sibi pacisci licet, cur non liceret spiritualia, vel maxime tranquillae in matrimonio permansionis causa etiam? quis parentes, tutores, agnatos cogere posset, ut consentiant in eiusmodi matrimonia, aeternae salutis, pacificae cohabitationis periculo plena, nisi eatenus sufficienter caveatur prolibus suis tutelatis? quomodo non tenerentur parochi catholici imo Episcopi proxima pericula omni placidiori modo avertere, sine omni tamen violentia, solius doctrinae salvificae candida explanatione, con-

victivae adhortationis pondere, impendentium periculorum genuina revelatione: quae omnia liberae voluntati nullam quidem vim inferant, sed vel amoris temporanei coecitatem, vel lucri cupiditatem depellendo, animum ad statum liberae aeque ac prudentis determinationis magis ponant, quam tenebris involutam coecae determinationi relinquant, cuius serotina poenitentia mox intolerabiles conscientiae remorsus, cohabitationis dissensiones post se trahat.

Occurrit adhuc ad praesentis §. regulationem, quod prolium utroque parente destitutarum praecipuus curator sit ex iure terrestrali Dominus terrestris, iure eminentis dominii Rex Apostolicus, et si substantiae temporaneae cura concredi potest consangvineis, ad quos tutela bonorum devolvitur: quomodo non dominus terrestris Catholicus, Rex Apostolicus eiusmodi utroque parente acatholico relictos orphanos qua orphanorum verus et proprius pater ac tutor, sibi vindicet, eosque innocuos infra annos discretionis positos spirituali cura ab aeterna damnatione eripiat? in horum animas longe minus ius sibi vindicare possunt concives, ac Dominus ex eminentia iuris, quod ceteroquin ipsum hactenus stabilitum Tolerantiae Systema salvum voluit.

Quae cuncta altiori Excelsi Consilii determinio et pro re nata protectioni fiducialiter deferendo, constanti cultu persevero. Posonii, die 7. Martii 1782. Cardinalis Josephus a Batthyán.

310.

Resolutio Regia circa Reversales ante Edictum Tolerantiale extradatas, dd. 10. Maii 1782.

Cum cetera inter Acatholici punctum VII. benignae normalis Resolutionis R. quo usum Reversaliium in matrimoniis disparis religionis hucdum subsistentem abrogavit Sua Majestas SSma, ad casus etiam praeteritos extendere, atque hac in parte etiam via facti excedendo, easdem invigorosas reddere velint: ideo ad tollendos huiusmodi excessus in consequentiam eiusdem puncti normalis Resolutionis universis Jurisdictionibus committendum iubet Eadem Sua Maiestas: cunctas Reversales ante 1. Octobris 1781. occasione huiusmodi matrimoniorum legitime datas,

in vigore suo ultro quoque manere debere, consequenter illarum usum pro futuro tantummodo per Suam Maiestatem ea ratione abrogatum esse, ne illae a quacunque in dispari religione matrimonium contrahentium parte exigantur, sed citra illas etiam copulentur.

311.

Repraesentatio Cardinalis Primatis a Batthyán circa dispensationes in gradibus vetitis inter personas mixtae religionis concedendas, dd. 8. Octobr. 1785.

Ex Instantia hiç reacclusa intellexi, dispensationem acatholici, et Catholicae in tertio consangvinitatis gradu negatam a Vicario meo fuisse. Verum est, Vicarium meum in hac impertienda dispensatione pronum non fuisse, sed nec absre, et ex motivis sequentibus: 1. Cum matrimonia disparis religionis teste experientia gravibus malis sint obnoxia, ita, ut non tantum pars catholica saepe deficiat, sed et sponsi una cum prolibus ad tam familiis privatis, quam Publico perniciosam de religione catholica vel acatholica indifferentiam deveniant, imo vel de necessitate alicuius religionis revelatae fiant mentis incertae; ideo ex sensu universae Ecclesiae Catholicae Episcopi tuta conscientia numquam poterant matrimonia disparis religionis, etiam penes Reversales prius in Hungaria solitas, probare, multo minus multiplicationem promovere et facilitare. 2. Decretum Tolerantiale tantum in eo matrimoniis disparis religionis favet, quod reversales solitas sublatas velit. 3. Dum prius in casibus particularibus dabatur ab Exc. Cancellaria Acatholicis relaxatio litis matrimonialis, id solum factum adusque fuisse constat, ubi ambo sponsi erant acatholici, non autem ubi una pars erat catholica; atque adeo etiam Normativum generaliter relaxans litem matrimonialem, intelligendum tantum de Sponsis acatholicis. 4. Quemadmodum prior Episcoporum potestas dispensandi in 3. et 4. gradu cum pauperibus, exerceri tantum poterat relate ad sponsos ambos iam catholicos: ita quoque Rescriptum R. de petenda a Summo Pontifice dispensandi etiam cum nobilibus et

divitibus facultate intelligebatur solum quoad ambos sponsos catholicos; alioquin enim Ecclesia Catholica in disparis religionis matrimonio cum catholica et acatholico dispensare non consueuit. Cum in legibus Ecclesiae Praelatorum et Principum Catholicorum sensu stabilitis relaxatio sit peculiaris gratia, qua disparis religionis matrimonia tam certis periculis obnoxia Ecclesia facilitare velle nec posset: hinc nec Episcopi eadem tuta conscientia promovere possunt. —

312.—316.

Episcopus Rosnaviensis Consilio Regio pluribus vicibus repraesentat: se sine expressa Sedis Apostolicae facultate cum sponsis mixtae religionis in gradibus vetitis dispensare non posse.

a) 312.

Intimatum Consilii in casu particulari dispensationem in impedimento 3. et 4. consangv. gradus relate ad Sponsos mixtae religionis concedi praecipiens, dd. 22. Augusti 1785.

Illustrissime ect. Quoniam Dominis Dioecesanis iuxta altissimam Normalem Ordinationem Regiam in 3. et 4. consangvinitatis et affinitatis gradu dispensandi potestas facta, imo obligatio eatenus imposita sit; sed et Maiestas Sua SSma virtute circularis Intimati sub 30. Maii a. c. cum Acatholicis in Actione Fiscali dispensare dignata sit: hinc haud restat aliud, quam ut Praetit. Dom. Vra cum N. N. Aug. Confessioni addicto „eiusque Sponsa Catholica matrimonium inire cupientibus, citra ulteriorem prolongationem dispensare noverit. Datum etc. Budae die 22. Aug. 1785.

b) 313.

Repraesentatio Episcopi, dd. 17. Septemb. 1785.

Excelsum etc. Ad gratiosum, die 22. Aug. a. c. ab Excelso Consilio Regio expeditum Intimatum demisse significo: me altissimae Maiestatis Suae SSmae voluntati in dispensationibus super gradibus matrimonia dirimentibus,

semper et plene satisfecisse. Primum enim, quod hac in re constitutum volebat Maj. SSma, id fuit: ut a Sancta Apostolica Sede in tertio et quarto gradu non cum pauperibus solum, sed cum divitibus et nobilibus etiam dispensandi potestatem acciperemus, idque ad tempus omnino indefinitum; alterum: ut hac potestate delegata citra omnem difficultatem omni casu uteremur. Egi utrumque: et facultates novas, easque ad tempus indefinitum a Sanctitate Sua obtinui citra ullum porro inter pauperes et divites observandum discrimen; et a tempore eo sine mora et difficultate dispensationes in tertio et quarto gradu omnibus promiscue Catholicis oratoribus impendi, et porro impensurus sum. Solum enim pauperes inter et nobiles observatum antea discrimen abolitum esse voluit SSma Sua Majestas; et in reliquo, quod nec aliter esse potest, prior omnino Facultatum tenor obtinet: vi cuius, ut priore mea demisse exhibita relatione exposui, mihi nullatenus integrum esse potest tali casu, quo alterutra pars acatholica est, dispensare. Rosnaviae, 17. Sept. 1785.

c) 314.

Intimatum dd. 27. Sept. 1785. quo dispensatio concedi urgetur.

Illme etc. Intellexit quidem Consilium istud L. R. ea, quae Praetit. Dom. Vra in obversum dispensationis tali casu, quo alterutra pars acatholica est, sub 17. deflui mensis remonstravit. Cum interim Eadem Praetit. Dom. Vra qua Dioecesanus vigore obtentae a Sede Apostolica potestatis cum una Fidem Cath. profitente parte in tertio et quarto gradu cons. et affin. dispensare possit; in ordine autem ad alteram acatholicam partem Sua SSma Majestas generaliter in viciniori bus etiam gradibus dispensaverit, adeoque neutra ex parte impedimentum adsit: eapropter Consilium istud L. R. Praetit. Dom. Vrae rescribendum esse duxit: nullam difficultatem subversari, quominus in praesenti casu matrimonialis copulatio utriusque partis subsequatur, nec restat aliud, quam ut eatenus concernens Parochus conformiter instruatur. Datum etc. Budae, die 27. Sept. 1785.

d) 315.

Nova repraesentatio Episcopi dd. 29. Oct. 1785.

Excelsum etc. Ad gratiosum Exc. Consilii R. Intimatum mihi dd. 27. Sept. a. c. redditum demisse significo: me vigore Facultatis ab Apostolica Sede obtentae tam parum cum una parte Catholica, quam parum cum utraque dispensare posse super gradu aut alio quolibet impedimento, dum agitur de matrimonio inter acatholicum et catholicam, vel catholicum et acatholicam contrahendo. Expressa enim est, quam prima iam relatione mea exscriptis ex Constitutione Benedicti XIV. verbis notavi, Apostolicae Sedis declaratio: qua docetur, fieri numquam posse, ut iuxta concessae Facultatis verba dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur in matrimoniis inter acatholicum et catholicam, vel catholicum et acatholicam contrahendis. Haec autem Apostolicae Sedis declaratio ita accipi non potest, ut licet numquam dispensatio utrique parti concedatur, concedi tamen possit uni, nempe catholicae. Ex hoc enim sequeretur, semper id fieri posse, quod numquam fieri posse dicitur, cum ita semper parti catholicae dispensatio impendi posset. Uti ergo simpliciter declarat Sedes Apostolica, simpliciter etiam tenendum et observandum est: numquam dispensationem valide et licite concedi posse in matrimoniis inter Acatholicum et Catholicam, vel Catholicum et Acatholicam contrahendis, vigore facultatis a Sede Apostolica obtentae Rosnaviae, die 29. Octobr. 1785.

e) 316.

Remonstratio Episcopi, qua uberius declarat, se nullatenus adduci posse, ut cum Sponsis diversae religionis in gradibus prohibitis propria auctoritate dispenset, dd. 18. Januar. 1786.

Excelsum etc. Redditum est mihi gratiosum Exc. Consilii R. Intimatum, quo inter alia significatur ea Majestatis SSmae altissima Ordinatio: ut recurrentibus etiam diversae religionis partibus ecclesiastica super impedimentis tertii et

quarti gradus dispensatio impendatur. In re hac momenti prorsus gravissimi, qua de Sacramenti valore agitur, iam alias demissis meis Repraesentationibus ad Exc. Consilium R. retuleram, me nihil omnino agere posse. Certum enim est, Episcopum potestate sua, quam a Deo accipit, non aliter, quam cum debita ad universalis Ecclesiae leges, communisque consuetudinis regulas subordinatione uti debere. Unde in iis, quae vel Conciliorum Decretis, vel Apostolicae Sedis Constitutionibus, vel universae Ecclesiae praxi Apostolicae Sedi reservata sunt, quatenus ad clavium potestatem, et spiritualem pro foro conscientiae etiam iurisdictionem pertinent, non tantum non licite, sed nec valide citra obtentam ab Apostolica Sede facultatem me operaturum esse, extra omnem positum est dubitationem. Sicut autem Ecclesiasticae dispensationis vim accepto a Domino Clavium Regni Coelestis iure niti, ita hanc non ad externum modo, sed inprimis ad internum etiam conscientiae forum pertinere, nemini est ignotum. Hinc etiam Majestas SSma, ut pro sua clementia Episcoporum conscientiis consuleret, quo una etiam ipsi matrimoniorum valori consultum fuit, posteaquam citra omnem movendam difficultatem in tertio et quarto gradibus non solum cum pauperibus, sed cum magnatibus quoque et nobilibus dispensari voluit, benignissime annuere dignata est: ut requisitam ad id ab Apostolica Sede peteremus facultatem. Quod utique tanto magis nobis sequendum est in casibus iis, quibus de matrimonio inter partes diversae religionis quaestio recurrit: quanto certius constat, quae sit fueritque omni tempore de mixtis idmodi matrimoniis, etiam nullo ceteroquin, quod matrimonium dirimeret, intercedente impedimento, Ecclesiae Dei sententia. Licet enim, quod est ad universalem Ecclesiam (nam Graecos aliquando aliter statuisse deprehendimus), matrimonia mixta, si nullum ceteroqui intervenerit dirimens impedimentum, semper valida habita sint, nec unquam rescindi iussa: exploratissimum tamen est, et Conciliorum sanctionibus, et Apostolicae Sedis Constitutionibus, ac Declarationibus, et Auctorum omnium testimonio, semper ea per Ecclesiam non tantum ob plurima prolium et contrahentis catholicae partis pe-

ricula, sed et propter eam, quam in genere suo ceteroquin etiam habent, cum moralis rectitudinis norma difformitatem vetita fuise, vetarique. Unde est, quod in communis Ecclesiasticae disciplinae monumentis plura reperiantur dispensationum etiam super secundo mixto primo consangvinitatis et primo affinitatis gradibus inter partes utrinque catholicas concessarum exempla, quam in quolibet remotiori inter partes diversae religionis; in utroque autem genere nonnisi suprema totius Ecclesiae Capitis interveniente auctoritate et iudicio. Hinc est, quod (uti alias demissis meis Repraesentationibus exhibui) Benedictus XIV. gemina super hoc argumento Constitutione, explicata latius constanti Ecclesiae disciplina, universe declaraverit: numquam fieri posse, ut etiam iuxta concedi alias solitarum Facultatum tenores in mixtis matrimoniis super aliquo impedimento per Episcopum dispensetur.

Quare ut irreprehensibile Deo meo, a quo id mihi creditum est, exhibere queam Sacerdotii mei ministerium, enixe oro Exc. Consilium R. dignetur potente suo patrocinio id impetrare, ut clementissimo Maiestatis SSmae cum annutu ad Apostolicam eatenus Sedem mihi recurrere liceat, citra cuius auctoritatem et iudicium in hoc genere, quo de Sacramenti valore potissimum agitur, procedere numquam potero. Quaecunque enim sit; qua constringar, necessitas, expeditum utique me esse oportet ad quaelibet demum cum omni humilitate, subiectione et aequanimitate experienda, ac sustinenda potius, quam ut contra evidens conscientiae dictamen, cum Divinae Maiestatis offensa istiusmodi dispensationi, citra expressum Apostolicae Sedis iudicium, arbitriumve, unquam subscribam. Rosnaviae, die 18. Jan. 1786.

317.—320.

Acta in merito dispensationum in gradibus vetitis, dum Sponsi mixtae sunt religionis, concedendarum, in Dioecesi Vaciensi anno 1786. interventa.

a) 317.

Literae Vicarii Capitularis Vaciensis Gabrielis a Zerdahely ad Consilium RLH. dd. 10. April. 1786. praevio in merito.

Ad exigentiam b. Normativi R. die 9. Febr. 1784. DD. Dioecesanis circulariter publicati, novissime per me qua Capitularem Dioecesis istius Vicarium dispensandi facultates a Sede Apostolica obtentas in autographo unaque authentico apographo Excelso Consilio R. humillime praesento. Ex quibus gratiose perspicere dignabitur, dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto gradu cum disparis religionis conjugibus facultatem, qua virtute alterius intimati die 20. Dec. 1783. uti iubeor, non me adeptum esse. Puncto namque earumdem facultatum tertio dispensandi facultas manifeste ad personas mere Catholicas restringitur, dum in contractis quoque in secundo aequali et mixto, dummodo nullatenus attingat primum, ad haereticos praecise conversos facultas haec restringitur. Atque nec Sedem Apostolicam secus, nisi eiurata praevie per dispensandos haeresi, potestatem hanc exercere solere declaravit immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV. in sua ad Primatem et Episcopos Poloniae die 29. Junii 1748. data, quae incipit: „Magnae Nobis", ubi cetera inter ait: non facile alia adferri posse, quam inter supremos Principes, nec nisi gravissimma urgente causa, eaque ad publicum honum pertinente, exempla huiusmodi dispensationum per Sedem Apostolicam concessarum. Unde et reprehendit Episcopos facultatibus suis hac in parte abutentes. In particulari autem casu, super quo ad eosdem Poloniae Episcopos anno eodem 1748. aliam dederat, quae incipit: „Ad tuas manus", disertis verbis edicit: „quod Apostolicae Sedis auctoritate gratiosa in hisce ma-

trimoniis dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur, fieri numquam potest, nisi praecedat haeresis abiuratio, iuxta eiusdem Sedis Apostolicae disciplinam, a Nobis in praecedenti epistola expositam, et iuxta recensita concessae facultatis verba"; itaque contractum cum eiusmodi dispensatione per quemdam Poloniae Episcopum nulliter concessa matrimonium irritum declarat. Cum autem interpres optimus verborum sit quisque suorum, clarissima sequela est: dispensationem, quam nec Sedes Apostolica, nisi in extraordinariis casibus concedere consueuerit, Episcopos cum ruina propriae et aliarum animarum elargiri non posse. Queis etc. Vacii 10. April. 1786. Gabriel Zerdahelyi.

b) 318.

Altera eiusdem Vicarii in eodem objecto ad Consilium Reg. repraesentatio dd. 11. Maii 1786.

Gratioso Intimato die 22. April. signato mediante iubeor memet declarare: quomodo intuitu elargiendarum in 3. et 4. cons. et affin. gradibus, disparis religionis coniugibus dispensationum provocato in eodem, die 15. April. expedito Intimato memet conformare velim? Omnes ego vires et facultates meas semper in Altissimi servitii Regii promotionem et implementum pro homagiali munere meo impendere paratus sum. Et haec me a sexennio, a quo immeritus vicaria potestate dioecesim hanc guberno, sine querela explevisse, ipsi Excelso Consilio R. perquam notum est. Atque ideo firmissime spero, nec mihi eam gratiam et clementiam negandam, quam virtute gratiosi Intimati die 31. Maii 1782. nec non die 8. Maii 1784. omnibus DD. Episcopis Sua Maiestas SSma clementer impendere dignabatur, ut nimirum facultates dispensandi circa impedimenta matrimonii in gradibus prohibitis cons. et affin. in quantum hae in quarto et tertio, nullatenus tamen tangente secundum, antea etiam pro pauperibus concessae erant, etiam pro nobilibus et ditioribus Roma impetrare possint. Non poteram has ego illo temporis puncto, quod reliquis DD. Antistitibus pro harum petitione concessum fuit, postulare, cum onus hoc,

quod nunc gero, a trimestri tantum humeris meis denuo, novoque nomine sit impositum. Cum itaque in conformitate benignarum supra memoratarum Resolutionum R. obtentae modo, et Excelso Consilio Regio pro benigno Placeto R. exhibitae facultates meae non in ea extensione, in qua ad effectum benignae voluntatis Regiae esse deberent, et signanter respectu disparis religionis matrimoniorum, concessae esse deprehendantur: ad plenum et perfectum clementissimae Caesareo - Regiae voluntatis implementum, proque meae non minus, quam eorum, qui huiusmodi dispensationis consequendae causa subinde semet insinuaturi essent, conscientiae quiete et tranquillitate cum gratiosa Exc. Consilii R. venia iterum ad Sedem Apostolicam humiliter recurram, et obtentas, ac iam demisse praesentatas facultates ad tenores ben. Resolutionis R. non ad casum aliquem particularem, sed pro toto eo tempore, quo propitio Numine hoc munus gessero, ad disparis religionis coniugia quoque extendi suppliciter petam. Neque enim ad dies vitae, ut ben. Resolutio R. habet, facultates has deprecari possum, cum me inter et Ecclesiam hanc vinculum, prout inter proprios Ecclesiarum Episcopos, indissolubile haud intercedat, sed omnis jurisdictio mea temporanea, ad tempus sedis praecise vacantis sit restricta. Arbitror hac via me et clementissimam voluntatem Regiam affatim expleturum, et propriae non minus, ac eorum, qui dispensationem quaestionatam sollicitaturi apud me essent, intrinsecae paci, et tranquillitati consulturum. Quo potissimum motivo recursum similem et antehac Sua Maiestas SSma paterne indulgere dignabatur.

c) 319.

Opinio Commissionis Aulicae in praevio merito, die 21. Junii 1786. depromta.

Die Aeusserung des Vicarius gehet im Wesentlichen dahin, dass, da er in dem Zeitpunct, als die hungarischen Bischöfe ihre Fakultäten von dem hier anwesenden Römischen Pabste mit höchster Bewilligung überkommen haben, nicht in der Nothwendigheit gewesen sei, solche anzusuhen, er

nun, da er die bischöfliche Gewalt in der Waitzner Diöcese vertrete, dieselbe habe erwirken müssen. Da sie nun nicht so weithältig seien, als es der ihm ertheilte Befehl vom 29. Nov. 1785. erheischet, so bittet er um die Ausdehnung solcher Fakultäten nochmalen nach Rom recurriren zu dürfen, damit er jenen Eifer, mit welchem er sich die genaue Befolgung der höchsten Befehle seit denen sechs Jahren seines aufhabenden Vicariatamtes hat angelegen sein lassen, auch in Ansehung der denen Partheyen von verschiedener Religion zu ertheilenden Ehedispensen vollkommen, und ohne seinem oder der recurrirenden Partheyen Gewissenszwang entsprechen könne.

Wenn man die Grundsätze, nach denen die Gesetzgebung von dem Anbeginn Ew. Maj. höchst beglückender Regierung an, über die äusserlichen Kirchenangelegenheiten fürgehet, in Erwägung ziehet, so ist es nicht schwer zu ersehen, dass ihr Hauptangenmerk dahin gerichtet sey, ja die meisten ihrer Veranlassungen auch ausdrücklich dahin abzielen, die Bischöfe nach und nach zu veranlassen, dass sie sich der ihnen von Gott unmittelbar verliehenen, folglich von keiner andern Macht einzuschränkenden Gewalt zu lösen und zu binden, endlich einmal wiederum selbst zu bedienen anfangen, und sich nicht mehr damit begnügen sollen, ihre Diöcesen nur in der Eigenschaft päbstlicher Bestellten zu verwalten. Es ist dieser Gegenstand für das allgemeine Wohl ungleich wichtiger, als es man vielleicht beim ersten Anblick vermuthen dürfte; denn wenn es eine durchaus anerkannte Wahrheit ist, dass die Religion auch zum Besten des Staats, das ist, zur zeitlichen Glückseligkeit seiner Bürger eingesetzet seye, so kann nicht in Abrede gestellt werden, dass ihr wohlthätiger Einfluss in jenem Staat am stärksten wirken müsse, wo sie am meisten in ihrer ursprünglichen Reinigkeit gepflogen, und die äusserliche Verfassung der Kirche, wodurch die Religion denen Völkern beigebracht, und zwischen ihnen fortgepflanzt werden muss, nach ihrer ersten Einsetzung aufrecht gehalten wird. Nun ist es ein ausgemachter historischer Satz, dass die Bischöfe durch mehrere Jahrhunderte die Verwaltung ihrer Diöcesen bei allen jenen Gegenständen,

die nicht unmittelbar die ganze Kirche betreffen, unabhängig von dem römischen Pabste fortführten, und in so weit sie ihm aus besonderen Ursachen nicht eine ausserordentliche Gewalt über ihre Kirchensprengeln freiwillig einräumten, in Ausübung derselben durch nichts als die Canones, so wie der römische Pabst selbst, beschränket waren. Wäre es nun bei dieser Verfassung geblieben, und bestände noch heut zu Tage keine andere Sammlung der Canones, als jene der ersten 6. Jahrhunderte, während denen ihre Zahl sehr gering, und die Gegenstände ihrer Verordnungen fast durchaus nur geistliche waren: so wäre die Vollmacht der Bischöfe genug ausgebreitet, um dem Staat alle jene Vortheile zu verschaffen, die ihm von Seiten der Religion durch die gehörige Amtsverwaltung der Bischöfe zuzufliessen hätten. Allein seitdem jede einzelne päbstliche, oder jede nach der blossen Vorschrift der Päbste und ihrer Legaten abgefasste Synodal-Verordnungen in das allgemeine Kirchenrecht eingeschaltet, und überhaupt fast keine Canones, oder Kirchensatzungen mehr abgefasst worden sind, wo es nicht vorzüglich um blos weltliche, oder wenigstens mit weltlichen Angelegenheiten in nöthiger Verbindung stehende Gegenstände zu thun war; so sind die der katholischen Lehre zugethanene Bürger auch in ihren täglichen bürgerlichen Handlungen dergestalt gehindert, und beschränkt worden, dass ihnen die Religion einigermassen zur Last geworden wäre, wenn man ihnen nicht durch häufige Dispensen zu Hilfe zu kommen Sorge getragen hätte. Es sey nun, dass man diese Satzungen als nicht mehr gültig ansehe, oder dass man die Verbindlichkeit derselben durch einzelne Dispensen aufheben zu lassen wünsche, so bleibt es immer für den Staat eine wichtige Anliegenheit, dass die Bürger desselben über die darin enthaltene Vorschriften ihre Gewissensberuhigung nicht mehr von dem römischen Pabst, sondern von ihren betreffenden Bischöfen, oder in Vorfallenheiten von äusserster Wichtigkeit von einer Provincial- oder National-Versammlung der Bischöfe zu überkommen haben, weilen die Abhängigkeit eines Staates zu gross, zu schädlich wäre, wenn sie dass, was zum Wohle und Glückseligkeit seiner Bürger unumgänglich nöthig ist, von einem fremden Fürsten

überkommen müssten, der, wie natürlich, einen Staat vor dem andern immer mehr begünstigen wird, je nachdem er ihm mehr oder weniger zugethan zu seyn Ursache hat; eine Vermuthung, die keiner andern Probe bedarf, als der durch mehrere Jahrhunderte geschöpften Erfahrenheit, die uns lehret, dass Missbrauch der denen Bischöfen abgenommenen und auf die römischen Päbste durch Unbild der Zeiten, und verschiedene Ränke übertragenen Machtsvölle mehr Gräuel und Verheerung in drei Theilen der Welt verursachet habe, als der Einfall barbarischer Völker oder sonst was immer für schädliche, in der Geschichte des christlichen Zeitalters angeführte Weltplagen. Diess waren die Ursachen, so die dermalige Gesetzgebung verleitet haben, ihre Verordnungen dahin einzurichten, dass die Bischöfe sich ihrer Macht selbst bedienen, und in denen wichtigen Anliegenheiten der ihnen anvertrauten Schäflein nicht mehr ihre blosse Sachwalter beim päbstlichen Stuhle, sondern ihre Hirten sein sollen. Unter diesen Anliegenheiten ist doch unstreitig die eheliche Verbindung eine der wichtigsten, die, gleichwie sie noch vor ihrer Erhebung zum Sakrament, folgsam vor ihrem Zusammenhang mit der kirchlichen Verwaltung ein denen Menschen heiliges, nach denen Gesetzen der Natur und des gesellschaftlichen Lebens zu bestimmendes, und auf solche Art der weltlichen Gesetzgebung allein unterworfenes Band war, also auch nach der Einsetzung der christlichen Religion, so die ursprüngliche Gewalt der weltlichen Mächte niemals beschränket hat, nicht aufgehöret in der Eigenschaft eines bürgerlichen Vertrages der landesfürstlichen Bestimmung dergestalt unterworfen zu seyn, dass jener Ehecontract, der nach denen weltlichen Gesetzen nicht gültig ist, als eine gesetzwidrige und sträfliche Handlung der Würde und Gnade des Sakraments niemals empfänglich sein könne. Da es nun zur Glückseligkeit jener Bürger, die nach denen Grundsätzen der kathol. Religion sich nicht damit begnügen, nach der Art der heidnischen Völker in den Ehestand zu treten, sondern der ihnen von Christo dem Herrn durch das heil. Sakrament zugedachten Gnade theilhaftig zu werden wünschen, von wesentlicher Nothwendigkeit ist, dass sich

die Kirche nach denen Grundsätzen füge, nach welchen die Staatsverwaltung den bürgerlichen Ehevertrag zu behandeln und einzurichten für nöthig findet, folglich das genaueste Einvernehmen hierüber zwischen dem Reich und dem Priesterthume bestehe, so hat die Gesetzgebung nicht gesäumet, solche Anstalten zu treffen, dass die hierländigen Bischöfe nach und nach in Stand gesetzt werden, denenjenigen, so zur Erreichung ihres Zweckes der Beistand der Kirche nöthig war, selbst beizuspringen, und auf solche Art den Staat in einer seiner wichtigsten Angelegenheiten von dem bisherigen Einfluss einer fremden Macht zu befreien.

Und, um hier nur von denen hungarischen Bischöfen zu reden, so ist denenselben zwar im Jahr 1782. erlaubt worden, sich mit dem damals anwesenden römischen Pabst über die Art und Weise, wie sie ihre Gewalt in Ansehung der verschiedenen Dispensen künftighin ausüben sollen, in das gütliche Einvernehmen zu setzen. Allein es war ihnen zugleich ausdrücklich aufgetragen, dass sie die bei dem Pabst angesuchten Facultäten nicht mehr auf fünf Jahre, wie es bis dahin üblich war, sondern auf ihre Lebenstage erwirken sollen; wodurch der in sich nicht unwichtige Schritt gewonnen wurde, dass zumalen es vielleicht nicht zu fürchten ist, dass der Pabst diese Facultäten aus eben der Machtsvölle widerrufen dürfte, aus der er sie ertheilte, die denen hungarischen Bischöfen untergebene katholische Völkerschaften die nöthige geistliche Beihilfe von ihren eigenen Hirten wenigstens so lange anhoffen dürften, als dieselben bei Leben blieben. Um jedoch die Nutzbarkeit dieses Schrittes in Ehesachen, diesem für den Staat so wichtigen Gegenstand, noch sicherer zu erwirken, war ein zweiter Schritt nothwendig, denn wenn die Bischöfe sich der römischen Facultäten nur nach denen römischen Grundsätzen bedienen sollten, so wäre der Endzweck des ersten Schrittes in Betreff der Ehesachen nicht erreicht. Die Absicht der weltlichen Gesetzgebung in denen diesseitigen Staaten gehet dahin, die Eheverbindungen so viel möglich zu erleichtern, und zu vervielfältigen. Dieses ist eine allgemeine weit ausgedehnte Absicht, so auf die stärkere Bevölkerung und auf die Verbesserung der Sitten

im Grossen gerichtet ist; die in dem sogenannten Jure-Canonico oder Sammlung der Dekretalien enthaltene römische Grundsätze hingegen lassen die Ehedispensen nur in einzelnen Fällen, nur zu Gunsten einzelner Personen, und zwar meistens des weiblichen Geschlechts zu, wie man leicht aus denen Dispensmotiven ersehen kann; so das Jus Canonicum unter den Benennungen: arctitudo loci, aetas oratricis, incompetentia dotis, etc. bezeichnet. Aus dieser Verschiedenheit der Grundsätze haben sich Fälle ergeben, wo Partheyen, die nach denen weit aussehenden Grundregeln der weltlichen Gesetzgebung zur Überkommung der kirchlichen Dispens allerdings geeignet waren, von Bischöfen aus der Ursache abgewiesen wurden, weilen bei ihnen keine von denen oben angeführten Fällen eintrat. Um also den Zweck des ersten Schrittes nicht zu verfehlen, wurde der zweite dahin gemacht, dass gleich zu Anfang des Jahres 1783. an alle Bischöfe der Befehl ergangen, dass bei jedem einzelnen Fall, wo ein Bischof in dem 3. und 4. Grad der Blutsfreundschaft oder Anverwandschaft die Dispensertheilung verweigerte, er die Ursachen dieser Verweigerung in Hungarn zwar durch die Statthalterei, in Siebenbürgen aber durch das Gubernium bei der geistlichen Hofcommission anzudeuten, und diese von der Gültigkeit derselben zu urtheilen habe. Allein auch mit dieser Vorsicht glaubte die vor die Glückseligkeit der Bürger immerfort wachende Gesetzgebung sich nicht begnügen zu sollen. Vielmehr wurde im Monat Febr. 1784. der hungarisch-siebenbürgischen Hofkanzlei aufgetragen, sich zu äussern, ob die hungarischen Ordinarii dem mit dem Pabst getroffenen Einverständniss zufolge das Dispensationsrecht jetzt ausüben, oder wie allenfalls dieselben hiezu zu verhalten seyen? damit die getroffene Vorsehung nicht vereitelt, und derlei Dispensen nicht noch mehrern Schwierigkeiten, als vorher, ausgesetzt werden. Auf die hierüber mittels der geistlichen Hofcommission erstattete Auskunft wurde die höchste Entschliessung geschöpfet, dass denen hungarischen Bischöfen freistehen solle, bei denen Ehehindernissen, wo der 3. Grad mit dem 2. vermischet ist, die Dispens noch ferners in Rom ansuchen zu dürfen; in dem 3. und 4. glei-

chen Grad aber haben die Bischöfe die Dispens ohne weiters, oder, wie die auf ein Siebenbürg. Protocoll im Jahr 1783. erlassene höchste Entschliessung sich ausdrücket, ohne die Partheyen jemals abweisen zu können, zu verleihen. In Gemässheit endlich dieser Entschliessung, deren Verstand eben so klar ist, als die Grundsätze, auf denen sie beruht, einleuchtend sind, hat die geistliche Hofcommission die Bischöfe verhalten zu müssen vermeinet, dass sie in den 3. und 4. Grad der Blutsfreundschaft oder Schwägerschaft die Ehedispensen auch damals ertheilen sollen, wenn die darum einkommenden Partheyen nicht beide von katholischer, sondern eine derselben von akatholischer Religion ist, weilen weder die obenangeführten Normal-Entschliessungen noch das Toleranz-Patent hierinfalls einige Ausnahme mache, dieses letztere vielmehr die Ehe verschiedener Religionsverwandten zum Vortheil der katholischen dadurch bestimmet, dass sie in dem Fall, wenn der Vater katholisch ist, die Kinder beiderlei Geschlechts in der katholischen Religion erziehen zu lassen anbefiehlt, da sonsten, wenn der Vater akatholisch ist, die Kinder männlichen Geschlechts die väterliche, die Mädchen hingegen die mütterliche Religion zu folgen haben; und endlich, was das stärkste ist, weilen die Verschiedenheit der Religionen selbst nach dem Jure-Canonico kein besonderes Ehehinderniss ausmachet. Da äussert sich nun von Seiten der Bischöfe die Schwierigkeit, dass ihre von Rom erwirkten Fakultäten nur bloss auf die katholischen beschränket seyen; eine Schwierigkeit, so die bedenkliche Folge nach sich ziehet, dass dem über diesen Gegenstand den 29. Nov. v. J. an alle Bischöfe erlassene Circulare sowohl, als denen auf Ansuchen der Partheyen ertheilten Particular-Verordnungen ungeachtet, noch bis heut zu Tage keine Dispens dieser Gattung ertheilet worden sey, gleichwie auch die geistliche Hofcommission in dem Protocoll ihrer heutigen Sitzung Ew. Maj. drei Fälle dergestalt verweigerter Dispensen unterthänigst vorlegt. Da es also darum zu thun ist, dass die Gesetzgebung von ihnen zum Nutzen der Staatsbürger in Betreff der Ehesachen angenommenen Grundsätzen einigermassen abgehe, oder dass man den päbstlichen Hof

um die Ausdehnung seiner Fakultäten gerade in jenem Zeitpunkte ersuche, in welchem alle getroffenen Massregeln dahin zielen, dass sich die Bischöfe der ihnen vom Ursprung der Kirche an eigen gewesenen Macht bedienen sollen: so glaubt die treugehorsamste Hofcommission gar nicht zweifeln zu können, auf welche Seite sie ihr unterthänigstes Gutachten zu lenken habe. Für den einzelnen Fall nämlich, von dem hier die Frage ist, stimmt sie dem Gutachten der Filial-Commission bei, vermög welchem dem bittstellenden Waitzner Vicarius die Erlaubniss, seine Fakultäten zu Rom auf die Akatholiken erweitern zu lassen, versaget, und er für die vorkommenden Fälle auf das mehrmal erwähnte Circulare von dem 29. Nov. v. J. angewiesen werde.

Allein ihre allerunthänigste weitere Wohlmeinung ist, dass man nicht bei diesem einzelnen Fall stehen bleibe, sondern dass man die erste Gelegenheit eines Bischofs, der denen päbstlishen Unterhandlungen im Jahr 1782. nicht beigewohnet, sich auch nach der Hand keine lebenslängliche Fakultäten erwirket hat, benutze, um wiederum einen Schritt näher zu dem durch die Gesetzgebung sich ausgestreckten Ziel, dass die Bischöfe ihr Amt selbst handeln sollen, zu machen. Dieses Ziel wird nämlich so lange nicht erreicht werden können, bis man die Bischöfe nicht nach und nach dahin bringet, dass sie von der Ansuchung der römischen Fakultäten gänzlich abstehen. Denn selbst jenem Bischofe, der nach denen Grundsätzen eines gesunden Kirchenrechtes seine ursprüngliche Gewalt nicht misskennet, sondern die seinen Schäflein nöthige Beihülfe ihnen aus eigener Macht sich zu ertheilen getrauete, wird die christliche Bescheidenheit, welehe die Vermeidung alles Aufsehens und des denen Schwachen zu verschaffenden Aergernisses gebiethet, zur Pflicht machen, so lange nach Rom zu recurriren, als es ihm gestattet wird; weilen er dadurch sowohl denen landesfürstlichen Verordnungen als der Gewissensängstigkeit seiner Mitbrüder und Untergebenen Genüge leisten, aller Collision zwischen Reich und Priesterthum vorbeugen, und sich selbst weder vor Gott noch vor der Welt einiger Verantwortung aussetzen würde; dabei bliebe aber der anderweite grosse Zweck,

die Behülfe der Religion auch zum zeitlichen Besten der Staatsbürger zu lenken, immer von der Willkühr des Pabsten abhängig. Würde hingegen denen neuangehenden Bischöfen die Erlaubniss, sich Fakultäten von Rom zu verschaffen, ein für allemal untersaget, so bliebe ihnen bei denen geistlichen Nothdürften ihrer Untergebenen nichts anderes übrig, als sie durch eigene Macht zu befriedigen: wozu sie der allgemeine Lehrsatz selbst der Ultramontanistischen Canonisten, dass die Bischöfe in ihre ursprüngliche Gewalt eintreten, sobald der Recurs nach Rom gehemmt ist, ohnehin berechtiget. — —

Wien, am 21. Junii 1786.

d) 320.

Resolutio Regia dd. 9. Sept. 1786. facultatem recurrendi Romam Vicario Vaciensi denegans.

Erga literas Praetit. DVestrae in eo, ut pro facultate cum diversae religionis coniugibus in 3. et 4. gradu dispensandi Romam recurrere possit, sub 11. Maii a. c. isthuc exaratas, et Altissimo Loco demisse repraesentatas, clementer resolvit Sua Maiestas SSma: ut eadem Praetit. DVestra ad benignas hoc in merito emanatas normales Resolutiones Regias, a quibus Sua Maiestas nullatenus recedere intendit, praesertim vero ad Patentales de Matrimoniis editas eo adjecto invictur, quod ipsi Praetit. DVestrae perbene constet, imo constare debeat, qua ratione semet ad statum eum ponendum habeat, ut attactis benignis Resolutionibus adaequate satisfacere possit. — Budae die 9. Sept. 1786.

Monumenta ad Epocham III.

321.—333.

Acta ad legem religionariam in Comitiis a. 1790/1. conditam spectantia, in quantum mixtae religionis matrimonia propius respiciunt.

a) 321.

Proiectum Evangelicorum circa educationem religionariam prolium e mixtis matrimoniis, dd. 22. Junii 1790.

Ut proles ex coniugio disparis religionis natae usque annos discretionis educentur in illa, de qua inter Parentes convenit, religione; ubi autem non convenisset, sexum in religione sequantur; post annum vero discretionis relinquatur prolibus ipsis plena libertas, illam quam voluerint religionem eligendi.

b) 322.

Proiectum Catholicorum in eodem merito.

Quoad Judicatum circa mixta matrimonia, atque proles ex iis procreandas in favorem Religionis dominantis statuitur: ut iudicatus quidem relate ad dicta matrimonia, idest, talia, quae iam tempore copulationis mixta erant, Sedibus Spiritualibus deferatur; proles autem ex talibus matrimoniis procreatae sine sexus discrimine in Religione Catholica educentur, huncque in finem matrimonia mixta non aliter contrahi permittantur, quam erga Reversales per illam partem, quae Evangelicae Religioni addicta est, super talismodi prolium educatione de se dandas.

c) 323.

Articulus de negotio Religionis, et respective de matr. mixtis per Deputationem Mixtam elaboratus, in Sessione Comitiali diei 4. Sept. 1790.

§. 2. Proles utriusque sexus ex mixtis matrimoniis susceptae et suscipiendae sexum Parentum, id est, filii patris, filiae vero matris religionem sequantur, salvo contractu inter coniuges disparis religionis libere ineundo.

§. 3. Quoad Judicatum in matrimoniis mixtis sancitum est, ut cum ex principiis Catholicorum matrimonium ritu Catholico initum ;sit veri nominis Sacramentum, iudicatus circa haec matrimonia, quae iam tempore, quo illa inita sunt,, mixta erant, velut alia matrimonia pura inter Catholicos inita Sedibus eorum Spiritualibus; in illis vero, quae per transitum alterutrius partis a Sacris Evangelicis ad Sacra Catholica mixta effecta sunt, Judiciis Secularibus deferatur.

d) 324.

Articulus ante-Coronationalis Trans- et Cis Danubianorum Circulorum, in negotio religionis, et in specie mixtae religionis connubiorum, in Sess. Diaet. 5. Septembr. 1790.

§. 9. Usus mixtorum matrimoniorum sive coniugia disparis religionis hominum non impedientur quidem posthac etiam, ea per expressum addita conditione, ut copulatio semper coram Parocho Romano-Catholico instituatur, et susceptae exinde utriusque sexus proles semper religionem partis Romano-Catholicae sequi debeant, non obstantibus quibuscunque partium contrahentium instituendis nefors in contrarium conventionibus; causae vero matrimoniales omnes, adeoque ipsorum etiam Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum, in intellectu Pacificationis Viennensis et Art. VII. 1608. a. c. Articuli praeterea XV. 1647. in sequelam §. 11. Pacificationis Lincensis editi, ad Sedem Spiri-

tualem, Forum quippe Consistoriale Episcoporum, porro etiam pertinebunt.

e) 325.

Idem Articulus Tibiscanorum Circulorum.

§. 2. Proles ex matrimoniis mixtis susceptae et suscipiendae, seu mares seu foeminae fuerint, religionem patris velut familiae capitis sequantur.

§. 3. Quoad Judicatum in matr. mixtis idem, ac supra *sub c.*

f) 326.

Sensus Cardinalis Primatis a Batthyán nomine universorum Catholicorum depromtus 22. Sept. 1790.

— — Postulata Evangelicorum ultra ea, quae vel Catholicis indulta sunt, extendi, iuri maiestatico supremae Inspectionis inalienabili repugnare, et proprio eorum principio, quo ius reformandi Terrae Principibus tribuunt, non cohaerere; sed et Religionis Catholicae in hoc Regno lentum quidem sed certum fore interitum, si ad Evangelicorum Confessiones, sensibus et libertati blandientes, impunis ex lege indultus fuerit transitus; si proles in matrimoniis mixtis iuxta Parentum mutabilem semper et levissimis de causis etiam mutandam conventionem, aut non attentis a natura et in casum viduitatis etiam ex lege Regni aequalibus in proles iuribus Matris, semper in Patris religione educandae fuerint; si educatae in patris religione potuerint in annis discretionis transire ad alterutram Confessionem, quasi ex lege et Legislatoris testimonio aeque salvificam; si denique in causis mixti matrimonii Actor Catholicus forum evangelicum sequi, et sententias eorundem e principiis per Ecclesiam Catholicam reprobatis latas pro validis agnoscere, et taliter divortiatis alia vota amplexis adsistere Clerus e lege Regni obligatus fuerit.

g) 327.

Reflexiones Evangelicorum adversus principium: ut omnes proles e mixtis matr. in Rel. Catholica educentur, mense Septembri 1790. propositae.

Cogi maritus, aut uxor Protestans, ut, se invito, omnes liberos in Catholica Religione educet, aut educari permittat, nullo iure potest. Nam a) nulla apud nos lex exstat, quae partem Protestantem ad hoc obliget. b) Liberum Religionis usum ac exercitium per Pacificationem Viennensem, et Art. 1. a. 1608. non minus quam per Pacif. Lincensem stabilitum, ius quoque parentum in educandis liberis, velut potissimam religiosae libertatis partem, in se complexum esse, dubitari nequit. c) Eo magis, quod cum familiae primae sint et antiquissimae omnium societatum, in iis vero pater et materfamilias iure, liberos suos in ea quam optimam iudicaverint religione educandi, sine omni dubio et controversia gaudeant: certe nisi ipsi huic iuri expresse renunciaverint, maior illa societas ex his minoribus congregata illos hoc iure turbare sine gravi ipsorum laesione non potest.

h) 328.

Nova repraesentatio Cardinalis Primatis a Batthyán dd. 7. Octobr. 1790.

— — Per admissa indiscriminatim et citra Reversales matrimonia disparis religionis id obtineri, quod Mater Acatholica proles in religione orthodoxa educatura non sit, Catholica vero proles suas in Confessione, quam scit et credit esse falsam, vi conscientiae educare non possit: istud autem praeterquam quod sit contra genuinum sensum Art. 25. et 26. a. 1681. per Resolutiones Normales declaratum, praeterea quantum periculum perversionis praecipue a muliebribus blanditiis coniugis acatholicae, importet, ex historia patria novimus, praecipuas nempe nobilissimasque familias per uxores acatholicas, etsi forte non ipsis iam in maritis, attamen in prolibus perversas fuisse.

i) 329.

Resolutio Regia in hoc merito, dd. 7. Nov. 1790.

Leopoldus etc. In benigno Nostro, quod sub 21. nuperi mensis ad demissam fidelium Nostrorum Statuum et Ordinum Repraesentationem dederamus, Responso polliciti iisdem eramus, Nos exhibitas Nobis subinde tam a parte Romano-Catholicorum, quam et Evangelicorum Augustanae et Helveticae Confessionis Reflexiones minutim Nobis referri jussuros, curaturosque demum, ut negotium Religionis, sumtis pro basi Pacificationibus Viennensi et Lincensi peculiari lege ad partis utriusque iustam plenamque satisfactionem determinetur; posteaquam igitur in sequelam huiusce Nostrae promissionis transmissa Nobis non modo Circulorum Tibiscanorum, et Danubianorum, mixtae item Regnicolaris Deputationis condendi eatenus articuli projecta, sed et memoratas Reflexiones ab utrinque Nobis exhibitas in eam, quam ipsa rei gravitas, perennis item, haeque potissimum ratione procuranda animorum in perchara Nobis gente Hungara unio, ac, quae unice abinde sperari potest, Regni prosperitas a Nobis deposcebant, maturam deliberationem sumendo, mentem Nostram Fidelitatibus Vestris sequentibus duximus declarandam.

XV. Proles e mixtis matrimoniis susceptae et suscipiendae, si Pater Catholicus fuerit, illius religionem sequantur, si vero Mater fuerit Catholica, tunc nonnisi proles masculae Patris religionem sequi possint.

XVI. Causas Matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterutrius partis a sacris Evangelicis ad Sacra Catholica mixta effecta sunt, cum utrobique de veri nominis Sacramento agatur, Sedibus Catholicorum Spiritualibus deferendas venire.

Datum in Archiducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die 7. Novembris 1790.

k) 330.

Nova Resolutio R. eodem in merito, dd. 18. Januar. 1791.

Sacrae Caesareae etc. Erga demissam DD. Statuum et Ordinum Repraesentationem, mediante qua differentias in negotio Religionis subortas, quia illarum intuitu nec erga posteriorem b. Resolutionem sub 7. Nov. 1790. editam coalitionis spes adfulserit, Suae Maiestati R. finaliter dirimendas detulerunt, altefatam Suam Maiestatem easdem ea, quam adnexus hic ferendae eatenus legis articulus exhibet, ratione diremisse, ac decidisse. — —

XV. Proles e mixtis matrimoniis, quae semper coram Parochis Catholicis ineunda erunt, quibus tamen impedimenta quaepiam quocunque sub praetextu in contrarium ponere cautum esto, susceptae et suscipiendae, si Pater Catholicus fuerit, illius religionem sequantur, si vero Mater fuerit Catholica, tunc nonnisi proles masculae patris religionem sequi possint.

XVI. Causae matrimoniorum etc. *ut supra.*

l) 331.

Repraesentatio Comitatus Saarossiensis contra Resolutionem R. praeattactam, dd. 27. Januar. 1791.

Quemadmodum ferventissimis desideravimus votis, ocyus a Maiestate Vestra SSma Hungaricum adiri thronum: ita dubitare potest nemo, ex annunciata nobis felici in Regem nostrum Apostolicum Maiestatis Vestrae SSmae inaugurationе nos eo communis laetitiae abreptos fuisse, ut prae magnitudine gaudii poene liquesceremus. Et gaudebamus omnino vere: quia dum Sacrum illud Diadema, divino Regibus Hungariae propagatae Fidei Catholicae causa destinatum omine, Sacro Maiestatis Vestrae vertici imponeretur, divinabamus nobis in Maiestate Vestra e coelo Sanctum Stephanum, primum Regem et Apostolum restitutum iri, qui eodem diademate auctus, et accepta simul in signum

apostolicae functionis a Sancta Sede Cruce Apostolica, supremas habuit curas, Ecclesiis nihil decerpi, sed has, ubi ubi fieri potuit, augeri, excitari, dotari, privilegiis muniri, omnem divinitus creditum sibi populum ad veram orthodoxam Fidem Catholicam Apostolicam deduci. — — Gaudebamus denique, in spem erecti, quod in Maiestate Vestra SSma recepturi simus sinceris deploratos lacrimis Carolum VI. et Mariam Theresiam, Augustos Maiestatis Vestrae Avum et Genitricem, gloriosissimos vero olim ac una zelo Fidei Romano-Catholicae flagrantes Reges nostros, qui ad congruos limites redacta Protestantium religionis licentia (quae sola et unica inde a Ferdinando I. usque mortem Leopoldi, per 179. annos, tumultibus et intestinis bellis facem praebebat), vel hac sola ratione septuaginta prope annos tranquillum interne possederunt Regnum, ac toto vitae tempore pacatum regimen, magno subiectorum populorum solatio, maiore autem Patriae commodo, zelo vero haereditariae pietatis, Ecclesiam et Fidem Catholicam in Regno Hungariae ad eum fere deduxerant apicem, in quo a S. Rege Stephano usque Zápolianos tumultus (qui pallium subrepentibus adscititiis religionibus erant) invicte stabat.

Sed intercepit mox gaudium isthoc funesta verae orthodoxae fidei, et Ecclesiae Romano-Catholicae religionaria de 7. Nov. 1790. Maiestatis Vestrae Resolutio: ex qua, quemadmodum provocatae Viennensis et Lincensis Pacificationes nullam unquam tulerunt unioni animorum medelam, sed magis magisque, ut acta praeteritorum temporum loquuntur, Protestantes ad ciendos contra legitimos Reges, et Catholicos tumultus concitarunt: ita nunc non aliud fore ominari licet (nulla utique unquam nisi per unionem verae Fidei Catholicae, animorum unione subsequutura), quam ut per eandem Resolutionem Protestantes in Regno Apostolico Mariano sub Catholico Apostolico Rege multiplicentur, contra Catholicos firmentur, et armentur, Ecclesia vero et Fides Catholica sancta apostolica non augeatur, sed coarctetur, diminuatur.

Verum clementia Maiestatis Vestrae, et Augustae Domui Austriacae propria in propagationem Catholicae fidei,

et conservationem dignitatis Ecclesiae pietas, — nos excitat, ut et rationes, iustissimae causae Dei, pro fide et Ecclesia Catholica militantes, et quo sensu simus in contrarium, proponamus. *(Propositis pluribus rationum momentis contra Pacificationes Vienn. et Lincensem, quibus ceu basi Resolutio innititur.)*

Quaeque in eadem Resolutione pro exercitio religionis Protestantium indulgeri videntur, in quorum usu non erant, omnia in Religionis et Ecclesiae Catholicae derogamen vergunt.

Puncto XV. longe salubrius pro tranquillitate etiam domestica Familiarum provideretur, si mixta simpliciter interdicerentur matrimonia potius, quam ut proles ex talibus nasciturae discrimini religionis, et periculo salutis animae exponantur. Praecluderetur una scaturigo mali, ne mariti uxores suas, velut imbecillem sexum, quibuscunque tandem mediis et modis, prout et proles ad suam perducant religionem: cum nec in Pacificationibus, nec in quacunque lege contineatur mixtorum matrimoniorum indultus. E re autem verae Religionis Catholicae est, ut omnia praeiudicia in diminutionem eius vergentia praecaveantur. Nec pertinent matrimonia ad liberum Protestantium religionis exercitium, cum religio interna versetur in conscientia noxae experte, sinceritate vitae, et perpetua invictaque Divinae Providentiae adoratione; externa vero Sacrificiis; seu, velut apud Acatholicos ista non admittuntur, celebratione Coenae, orationibusque, et ritibus absolvitur. Quid igitur habet Protestantium religio cum Matrimoniis seu mixtis, seu non mixtis? apud quos matrimonium non est Sacramentum, sed ex civili contractu invicem coniunctio: et sic per mixta matrimonia ageretur contra Sacramentum, ubi inter duos diversae religionis coniuges in una carne et haberetur, et non haberetur Sacramentum. Et quia nondum definitum esset, an in matrimonio ratio Sacramenti separabilis sit a ratione contractus? et num Sacerdos, vel ipsi contrahentes sint ministri Sacramenti matrimonii? proinde his nondum per Ecclesiam definitis, et in dubio positis, non potest per Catholicos admitti, ut seu per decretum Regnantis, seu vero

tanto minus per legem civilem, matrimonia Acatholicorum pure contractus civiles esse, atque promiscue dissolvi posse pronuncietur; quae si etiam pure civiles contractus essent, cum tamen matrimonium non humanae, verum divinae sit institutionis, illud minime posse promiscue dissolvi dicente Christo: quod Deus coniunxit, homo non separet. Idcirco nec posse debite admitti Protestantibus matrimonia iudicandi et haec iuxta eorum principia promiscue dissolvendi facultatem, ex ratione praeadducta.

m) 332.

Contradictio Cardinalis Primatis a Batthyán nomine Cleri adversus Articulum religionarium dd. 8. Februar. 1791.

Nos Josephus etc. Nostro, et universi Cleri Regni Hungariae, et Partium eidem adnexarum nominibus, et in personis, per modum solemnis protestationis et reclamationis, palam, publice, et aperte detegimus, et declaramus, siquidem in praesenti termino Diaetae — inter reliquos Tractatus Diaetales etiam negotium Religionis Augustanae et Helveticae Confessionum denuo recurrisset, dum vero retroactis temporibus harum Confessionum negotium in Tractatum Diaetalem sumtum fuisset, Primates Regni Archiepiscopi Strigonienses, ceterique de Clero Hungariae, et Partium adnexarum huiusmodi Tractatibus et nefors Conclusionibus non aliter unquam interfuissent, nisi et in quantum avitae Religioni Catholicae, iuribus item et immunitatibus Ecclesiasticis haud praeiudicassent, imo universis et singulis Tractatibus et Articulis quomodocunque et quacunque verborum forma Religioni Catholicae — adversantibus et praeiudicantibus in omnibus suis clausulis, et punctis, atque in omni sui parte penitus et per omnia etiam contradixissent, et reclamassent: ideo hoc Antecessorum Nostrorum laudabili exemplo inducti, ex pastorali etiam officio obstricti, nevo per taciturnitatem Nostram in aliquo consensisse videamur, Nos quoque Nostro et universi Cleri Regni Hungariae et Partium eidem adnexarum nominibus et in

personis, contra hac in Diaeta in negotio praedictarum Augustanae et Helveticae Confessionum hucusque habitos, aut deinceps habendos Tractatus, et nefors condendum hac Diaeta Articulum Religioni Catholicae, Juribus item et Immunitatibus Ecclesiasticis, quomodocunque — praeiudiciosum, in praesentia omnium Statuum et Ordinum Regni palam, publice, et aperte contradicimus et reclamamus, hanc reclamationem et protestationem Nostram ad Dominos quoque Seculares Catholicos Nobiscum consentientes, extendentes, et una declarantes: his iisdem hucusque habitis Tractatibus et Conclusionibus non aliter Nos, aut quemcunque de Clero Hungariae — interfuisse, aut deinceps habendis interesse posse ac velle, nisi et in quantum Religioni Catholicae, Juribus item et Immunitatibus Ecclesiasticis haud praeiudicarent, nec ex subscriptione Articulorum huius Diaetae ullo sub titulo et praetextu consensum Cleri ad Articulum in negotio Religionis inferri posse volumus. — Actum Posonii, die 8. Febr. 1791. Cardinalis Josephus a'Batthyán, Regni Hungariae Primas, proprio et totius Cleri nomine.

n) 333.

Articulus XXVI. in Comitiis a. 1790/1. in negotio Religionis, et signanter mixtae quoque religionis matrimoniorum conditus.

Cum Status et Ordines fine stabiliendae inter se perpetuae harmoniae, ac unionis iustum esse agnoverint, ut negotium Religionis intra ambitum Regni Hungariae solum ad statum Legum ann. 1608. et 1647. reponatur, ac ut per consequens pro basi et fundamento in perpetuum restabiliti liberi religionis exercitii Regnicolarum Evangelicorum, tam Augustanae quam Helveticae Confessioni addictorum assumantur et renoventur tenores Pacificationis Viennensis Art. 1. ante coron. 1608. citati, ac in Legum tabulas relati, Pacificationis item Lincensis Art. 5. 1647. inserto: hinc clementer annuente Sua Maiestate SSma (*contradictionibus Dominorum Cleri et alicuius partis secularium Catholicorum non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus*) statuitur:

15. Proles e mixtis matrimoniis, quae semper coram Parochis Catholicis ineunda erunt, quibus tamen impedimenta quaepiam quocunque sub praetextu in contrarium ponere cautum esto, susceptae et suscipiendae, si Pater Catholicus fuerit, illius religionem sequantur, si vero Mater fuerit Catholica, tunc nonnisi proles masculae Patris religionem sequi possint.

16. Causae matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterutrius partis a Sacris Evangelicis ad Sacra Catholica mixta effecta essent, cum utrobique de veri nominis Sacramento agatur, Sedibus Catholicorum Spiritualibus deferuntur.

334 — 339.

Resolutiones Regiae circa Reversales.

a) 334.

Resolutio Regia circa Reversales, ad Comitatum Zoliensem et Civitatem Breznobányensem dd. 17. Nov. 1791.

In ordine ad Reversales occasione initi mixti matrimonii de educandis in fide Catholica utriusque sexus prolibus datas, SSma Sua Majestas benigne decrevit: talium, cum illae Lege abrogatae haud sint, vigorem quidem ultro conservandum esse: ea tamen ratione, ut dum de illarum validitate quaestio occurrerit, benigna Normalis Resolutio sub 7. Martii 1786. cunctis Jurisdictionibus intimata, sequenti modalitate pro cynosura sumatur: nimirum, ut sub discussione idmodi obiectorum non sufficiat notitia vel edoctio praeexistentium Reversalium, verum adhibita omni cura et diligentia subversantes et coniunctae cum extradatione Reversalium circumstantiae exacte eruantur, ac debite examinentur, an quippe intervenientes Reversales cum libero partium arbitrio, et praemeditate extradatae, atque post consummatum matrimonium per correlativa signa externa confirmatae sint? suapte intellecto eo, quod subtrusae, qualicunque vi extortae, vel statim post initum matrimonium reclama-

tae Reversales pro invigorosis haberi debeant, ac demum si quaepiam in casu aliquo specifico subversaretur dubietas, illa Altissimae decisioni submittatur.

b) 335.

Resolutio R. de manutenendis Reversalibus, dd. 25. Septembr. 1792.

Cum ex compluribus specificis casibus observare liceat, b. Resolutiones Regias circa proles e mixto matrimonio progenitas, ac ipsum etiam Articulum 26. a. 1791. ea de causa effectu non raro destitui, quod nec Parochi Catholici, nec Magistratuales educationi prolium eiusmodi satis et de tempore invigilent, aut tempestive remedium efflagitent, sed Parochi et VADiaconi plerumque tunc, dum iam tales proles principiis evangelicae confessionis imbutae sunt, ac adultiores evadunt, ad Episcopos, vel directe ad Jurisdictiones recursum sumant, Ministri vero evang. confess. eiusmodi proles absque difficultate ad exercitium suae confessionis admittant: hinc, ut, quemadmodum iuribus Evangelicorum articulo 26. 1791. iisdem attributis nihil decerpendum vult Sua Majestas SSma, ita etiam ea, quae Religioni Catholicae competunt, suum sortiantur debitum effectum, in eo altissima intervenit ordinatio Regia: ut Exc. Vestra educationi prolium mixti matrimonii, quae seu ad praescriptum Art. 26. 1791. seu iuxta *Reversales* antea per parentes de se datas, *quarum vigorem, cum illae lege abrogatae non sint, ultro conservandum Sua Majestas SSma decrevit*, in fide Catholica educandae sunt, sedulo et accuratius invigilari faciat, adeoque mox atque eiusmodi proles recipiendae institutionis in fide catholica capaces fuerint, seu ubi septimum aetatis annum agere coeperint, si in fide catholica non instituerentur, necessaria eatenus per talium prolium (si id circumstantiae exigerent) etiam authoritate Magistratuali procurandam ademtionem mox disponantur. — — Datum ex Consilio etc. Budae 25. Sept. 1792.

c) 336.

Resolutio R. circa educationem prolium e mixtis matr. prioris dd. 25. Sept. 1792. emanatae, explanativa dd. 12. Febr. 1793.

α) Ad Jurisdictiones Civiles.

Posteaquam Repraesentationes nonnullorum Comitatuum circa Intimatum Circulare Consilii huius R. L. sub 25. Sept. 1792. expeditum submissae, benigno obtutui Regio substratae fuissent, dignata est Sua Majestas SSma quoad obiecta praecitati Circularis Intimati, benignam mentem suam Regiam ad observantiam et effectum legum directam sequentibus clementer declarare. Quoad proles e mixtis matrimoniis progenitas, quaenam ex his in qua religione educari debeant, exstat alioquin clara provisio in §. 15. Articuli XXVI. 1791. quam pro futuro ad amussim observari iubet Sua Maiestas SSma, sique proles catholice educandae in fide catholica non educarentur, occurrentes eiusmodi specificos casus, et impedimenta circa talem educationem subversantia sibi repraesentari, ut vi supremae legum executivae potestatis Suae Maiestati competentis remedium fieri possit. Quod autem quaestionem de vigore Reversalium de prolibus in religione Catholica educandis datarum obmotam attinet: antequam circa certam generalem normam de his, si necessarium videbitur, praescribendam, altefata Sua Maj. positivam Resolutionem elargiatur, eas de casu in casum una cum reflexionibus reliquorum etiam Comitatuum, ac tam Catholicorum, quam et Evangelicae Confessioni addictorum via Consilii huius L. pro altissima decisione singillatim sibi demisse exhiberi — clementer praecipit.

β) Ad Dioecesanos.

Dum Sua Maiestas SSma erga Repraesentationes nonnullorum Comitatuum respectu circularis Intimati quoad prolium mixti matrimonii educationem, et casus defectionum a Fide Catholica sub 25. Sept. 1792. per Consilium hocce R.L. expediti, submissas benignam mentem suam R. sub hodierno universis Regni Jurisdictionibus intimatam clementer decla-

rare dignata est, una toti Clero Catholico intimandum praecepit: benigne confidere altefatam Suam Maj. quod memoratus Clerus pro munere alioquin sibi incumbente omnes conatus suos eo directurus et conversurus sit, ut non solum Catholicos pastorali curae suae concreditos principiis Religionis Catholicae fundate imbuendo in hac firmos teneat, et conservet, sed et aliam religionem profitentes exemplari praesertim sua vivendi ratione de puritate et divinitate Catholicae doctrinae convincere possit, unde eventurum est, ut casus defectionum a religione Catholica eo rarius emergant.

d) 337.

Resolutio Regia de acceptandis Reversalibus etiam post legem anni $179^{0}/_{1}$. dd. 12. Oct. 1807.

Ex incidenti, et subversantium, quae successive oriri possunt, in specificis casibus quaestionum: utrum nempe non obstante Articulo 26. 1791. in matrimoniis disparis religionis Reversales de catholice educandis prolibus subsistere possint? eam esse altissimam mentem, et Resolutionem Regiam, ut:

1. In casu illo, quo Pater Romano- aut Graeco-Catholicus est, Reversales eiusmodi, etiamsi offerantur, numquam acceptentur, cum in tali casu alioquin omnes utriusque sexus proles vigore legis in Religione Romano-Catholica educari debeant, et similes Reversales suo tempore ipsi legi praeiudiciosae esse possint; at

2. Si sponsus, qui Catholicam Religionem non profitetur, sponte, ac motu proprio, citra ullam coactionem aut persuasionem sese Reversalibus ad utriusque sexus proles in Religione Romano- aut Graeco-Catholica educandas obstringere velit: Reversales eiusmodi omnino acceptentur, cum ab eiusmodi parentibus genitae proles sensu etiam citati articuli patris quidem religionem sequi possint, non tamen debeant. Verum

3. Sollicite curetur, quo in iisdem omnis coactio, aut persuasio absit, et simul congrua provisio fiat, ne circa

spontaneam similium Reversalium extradationem aut earumdem validitatem suo tempore quaestio quaedam obmoveri possit.

Datum Budae die 12. Octobr. 1807.

e) 338.

Repraesentatio Comitatus Pestiensis contra Resolutionem R. in merito acceptandarum etiam post legem anni 179⁰⁄₁. Reversalium, dd. 28. Januar. 1808.

Sacratissima etc. Ea nobis via Consilii Maiestatis Vestrae SSmae L. R. dd. 18. Octobris a. p. intimata exstitit benigna Mai. Vestrae Resolutio, quod ex incidenti et subversantium, quae successive oriri possunt, in specificis casibus quaestionum: utrum nempe non obstante Art. XXVI. 1791. in matrimoniis disparis religionis Reversales de Catholice educandis prolibus subsistere possint? Maiestas Vestra id clementer decreverit: ut in casu illo, quo Pater Romano- aut Graeco-Catholicus est, Reversales eiusmodi numquam acceptentur, cum in tali casu alioquin omnes utriusque sexus proles vigore legis in religione Rom. Catholica educari debeant, et similes reversales suo tempore ipsi legi praeiudiciosae esse possint; verum si sponsus catholicam religionem non profiteatur, ac sponte et motu proprio sese reversalibus ad utriusque sexus proles in Religione Romano- aut Graeco-Catholica educandas obstrinxerit, reversales eiusmodi omnino acceptentur, cum ab eiusmodi patre genitae proles sensu etiam citati Articuli patris quidem religionem sequi possint, non tamen debeant.

Clementissime Domine! vel hoc ipsum, quod Maj. Vestra SSma vigorem Reversalium relate ad proles ex patre Romano- aut Graeco-Catholico progenitas ex eo fundamento, ne suo tempore legi, articulo quippe 26. 1791. praeiudiciosae esse possint, pro nullo declarare dignatur, spes nostras erigit: Majestatem Vestram qua communem populorum sibi subiectorum patrem et summum Justitiarium, neutiquam admittere posse, ut reversalibus, quae relate etiam ad Evangelicos utrique confessioni addictos in praecitatam legem pariter impingunt, vigor quispiam tribuator. Modo

provocata etenim lex §. XV. diserte disponit: in quanam religione proles e mixtis matrimoniis suscipiendae educandae sint? argumentum vero abinde petitum, quasi dispositio legis quoad proles patre evang. confess. addicto progenitas duntaxat permissiva, neutiquam vero obligativa esset, quid ponderis importet? Majestas Vestra antecedaneis temporibus clementer decidit, dum medio b. Resolutionis suae Regiae via Consilii sui L. sub dd. 21. Decembr. 1792. intimatae, id declarare dignabatur: quod revectionem reversalium neutiquam intendat, sed tantum reversales ante 1. Oct. 1781. emanatas, quae velut per b. Resolutionem a. 1782. in suo vigore relictae sunt, ita nec per Art. 26. 1791. sublatae habentur, cum ceteroquin a tempore Decreti Tolerantialis usus reversalium in contrahendis matrimoniis cessaverit, in tantum vigore donandas esse velit, in quantum absque coactione datae et absque subsequa reclamatione usu roboratae sunt.

Accedit praemissis, quod praecitato Articulo 26. 1791. omnibus resolutionibus quin legibus etiam Pacificationi Viennensi et Lincensi contrariis sublatis, vel eo ipso, etiam vigor reversalium qua sublatis solum Resolutionibus innixarum cessare debuerit. Imo cum scopus legis hac in parte conditae directe is fuerit, ne matrimonia mixta quocunque demum ex praetextu praepediantur, neve partibus talia contrahere adnitentibus libera voluntas adimatur; indubium est, quod si reversalibus idmodi effectus quispiam civilis, vel vero vis continuatam et perseverantem voluntatem parentum contra legem probandi daretur, tum hoc non alio vergeret, quam ad declinationem legis reversales cassantis. Licet enim huiusmodi conventiones tenor reversalium semper sponte ac libere initas perhibeat, inest tamen iisdem eo ipso, quod conditiones matrimonii velut per indirectum ingrediantur, semper quaepiam coactio: cum qui ducere anhelat, subscribat et illa quae non deberet; jam autem coactum de sua voluntate testimonium tantum valet, quantum cassatae per leges reversales. Inconceptibile porro est, ut actus quispiam lege vetitus effectum et vim obligandi legi contrariam sortiatur.

Per praemissa igitur nos evicisse plene confidimus: de prolibus e mixtis matr. susceptis et suscipiendis id solum, quod crebrius provocato articulo 26. 1791. statuitur, observandum venire; eo quidem a fortiori, quod si transgressio praevigentis legis una in parte admittatur, totalem eius dispositionem periculo exponi manifestum sit; prout vero parte ab una firmiter credimus, Majestatem Vestram pro innato sibi manutenendarum legum studio hoc numqnam admissuram, ita parte ab altera coram Altissimo Mai. Vestrae throno homagiali cum submissione supplices sumus, dignetur Mai. Vestra a praelaudata b. Resolutione Sua recedere, et Evangelicos utrique Confessioni addictos hac quoque in parte in iuribus et praerogativis suis illaesos conservare. Qui in reliquo etc. Datum ex Gen. Congreg. nostra die 28. Januar. 1808. in L. R. C. Pestiensi celebrata. Universitas Comitatuum Pest, Pilis, at Solth art. unitorum.

f) 339.

Decretum Aulicum ad Com. Pestiensem hoc in merito, dd. 12. Martii 1808.

Sacrae etc. Argumenta in Repraesentatione sua dd. 28. nuperi mensis Januarii fine eo allegata, ut ab edita circa acceptationem Reversalium, quas in mixtis matrimoniis pater acatholicus de prolibus utriusque sexus in fide catholica educandis sponte sua ederet, b. Resolutione recedatur, ita comparata haud esse, ut hoc fundamento eatenus alterari quid oporteat; praesertim cum eadem illa Resolutione aliunde cautum sit, Reversales tales vi, metu, vel quocunque coactivo medio extorquere, neque aliae sub ictum acceptationis veniant reversales, quam sponte ac libere extradatae. Sed nec cum spiritu legis, articuli quippe 26. 1791. reversales sub praemissa conditione emanatae vel in minimam venire posse collisionem, cum lex per id, quod in mixtis matrimoniis patre helveticam vel augustanam confessionem profitente, proles in patris religione educari admittat, educationem similium prolium in religione etiam catholica nihil minus, qnam impediat, ac proin spontaneam extradationem reversalium de prolibus in fide catholica educandis haud

excludat; iam autem vigentes hoc in puncto benignae Resolutiones eo utique directae sunt, ut non aliae, quam quae sponte, libere, atque procul ab omni metu, aut vi, eduntur Reversales, vigorem sortiantur. Datum etc.

340—344.

Resolutiones Regiae de copulatione Sponsorum diversae religionis per Parochos Catholicos nequaquam deneganda.

a) 340.

Resolutio R. circa copulationem Sponsorum mixtae religionis non impediendam, dd. 9. Augusti 1792.

— Sua Majestas SSma clementer resolvit, ne Parochi Catholici in casibus ineundi inter Sponsos diversae religionis mixti matrimonii quoad copulationes eorum praecise sub spe et scopo Sponsum vel sponsam evangelicae confessionis ad amplectendam Religionem Catholicam permovendi, nisi aliae legales reflexiones, et obstacula subversentur, impedimenta ponant, copulationemque praetextuose difficultent, differant, vel plane denegent.

b) 341.

Resolutio R. de copulatione Sponsorum diversae religionis ob non extradatas Reversales haud deneganda, dd. 9. April. 1799.

E compluribus relationibus respectivarum Jurisdictionum apparet, benignas Resolutiones Regias circa qualiter copulandos mixtae religionis homines apud Ministros et Parochos praesertim Comitatus Zempliniensis in oblivionem venire, cum Ministri actu censeant, Sponsos per Parochum vel Ministrum Sponsae copulandos esse, Parochi vero Catholici opinentur, in mixtis matrimoniis Sponsos ad extradandas Reversales ante copulam commonendos esse.

Hinc quemadmodum concernenti Superintendentiae commissum habetur, ut Ministros suos de eo edoceat, quod vi-

gore ben. Resolutionum Regiarum copulatio mixtae religionis hominum per Parochum Catholicum semper peragenda sit ex eo, quod Sacramentum nonnisi per Parochum Catholicum conferri possit; ita Praetit. DVris iniungitur, ut Parochos Dioecesis huius eo invient eisdem integrum non esse vel momento ob non extradatas Reversales copulam denegare, si partes reversales ultro non offerant, cum lege mixta matrimonia admissa sint, eademque lege etiam religio prolium, quam sequendam habent, distincte definita, et determinata habeatur.

Datum Budae die 9. April. 1799. Capitulo Agriensi.

c) 342.

Intimatum Consilii de copulatione Sponsorum mixtae religionis ob non peractam per Sponsam Catholicam Confessionem haud deneganda, ad Vicarium Agriensem dimissum, dd. 17. Augusti 1802.

Illustris etc. Comitatus Borsodiensis remonstravit isthuc, quod, posteaquam sibi relatum fuisset, Elisabetham Zilay inhabitatricem Dorogmániensem e Parentibus quidem Catholicis genitam, pro transitu nihilominus ad Helveticam Confessionem recurrentem, atque viro eidem Confessioni addicto desponsatam priusquam foedere matrimoniali iungeretur, per eundem sponsum impraegnatam esse, concernentem VADiaconum Kövesdiensem medio Processualis Judlium interpellari curaverit, ut ad antevertendum publicum scandalum circa copulationem earumdem personarum necessaria disponere velit, fatus attamen VADiaconus copulationem tamdiu admittere recusaverit, donec Sponsa Confessionem peregerit, et communicaverit. Cum ex lege Regni matrimoniis mixtis nulla ponenda sint impedimenta, et ad Sacramentum matrimonii Confessio et Communio essentialiter ex eo non requiratur, quod nec formam, nec materiam eiusdem Sacramenti constituat: hinc Consilium hoc L. R. Praetit. Dom. Vrae committendum esse duxit, ut cum personae pro venia ad Evangelicam religionem transeundi recurrentis

ad Confessionem et Communionem adactio tacitam vim redoleat, quae cum assentiali Christianae Religionis charactere, qui in mansuctudine consistit, conciliari nequit, atque insuper sacrilegio sollicite praecavendo occasionem praebet, indilatam suprafatae Elisabethae Zilay cum Sponso suo copulationem procurare velit. Datum etc. Posonii, die 17. Aug. 1802.

d) 343.

Repraesentatio Vicarii Agriensis erga praeattactum Intimatum, dd. 10. Octobr. 1802.

Serenissime etc. Erga Repraesentationem C. Borsodiensis in eo factam etc. *(ut in Intimato.)* Fundamenta huius benigno-gratiosae ordinationis sunt: 1. quod ad Sacramentum Matrimonii Confessio et Communio essentialiter non requiratur ex eo, quod nec formam nec materiam eiusdem Sacramenti constituant. 2. quod ex lege Regni mixtis matrimoniis impedimenta ponere vetitum sit. Quod *primum* concernit, Confessionem et Communionem nec formam nec materiam Sacramenti Matrimonii constituere, per consequens ad essentiam matrimonii non requiri: certum est, nec dubito, quin istud etiam VADiacono Mezőkövesdiensi constet. Verum quia id quoque extra omne dubium est, quod iuxta doctrinam Ecclesiae Catholicae matrimonium sit Sacramentum vivorum, quodve talia Sacramenta in statu gratiae sint suscipienda, et quod sacerdotibus, qui uti dispensatores non dissipatores mysteriorum Dei sunt constituti, integrum non sit, illa manifeste indignis administrare: ideo VADiaconus M. Kövesdiensis non admittendo praefatam personam a Catholico Parocho aliter copulari, quam si illa praemissa declaratione permanendi in Religione Catholica, ritu catholico confessa fuerit, et communicaverit, non aliud fecit, quam quod ratio officii ab ipso desideravit, tanto magis, quod etiam S. Conc. Tridentinum Sess. XXIV. Cap. 1. de ref. matr. expresse praecipiat, sponsosque hortetur, ut, antequam matrimonium contrahant, peccata sua diligenter confiteantur, ac ad SS. Eucharistiae Sacramentum pie acce-

dant, id ipsumque praescribant etiam Statuta Dioecesana et Rituale Dioccesanum. Accedit, quod si praedicta persona non praemissa Confessione et Communione per Parochum Catholicum copularetur, id ipsum possent praetendere et praetenderent etiam multi alii mali catholici, et sic via aperiretur ad convellendam disciplinam Catholicae Ecclesiae, praevaricanda sanctissima eiusdem Ecclesiae praecepta, contemnendasque salutares ordinationes Praesulum.

Quod attinet ad *secundum*, quod nempe mixtis matrimoniis impedimenta ponere de lege Regni vetitum sit: humillime repono VADiaconum Kövesdiensem non ideo exegisse ab Elisabetha Zilay velut adhuc ad iurisdictionem Catholici Parochi spectante Confessionem et Communionem ante copulationem, ut hac ratione matrimonio eius impedimentum ponat; sed ideo, quia, ut praemisi, disciplina Ecclesiae Catholicae hoc ipsum exposcit. Quemadmodum autem Augustanae et Helv. Confess. addicti in iis, quae cum doctrina et disciplina ipsorum non cohaerent, vim sibi inferri nolunt: ita nec a nobis possunt quidquam tale desiderare, quod doctrinae et disciplinae Ecclesiae Catholicae adversatur, sed nec leges Regni quidquam tale exigunt, prout nec possunt exigere. Profecto merito dolet Catholicis, quod nonnulli Comitatus ordinationes Suae Majestatis SSmae pro favore Religionis Catholicae editas effectuare intermittant, ex adverso a Catholicis talia desiderent, et omni conatu adurgeant, quae in manifestum Religionis Catholicae praeiudicium tendunt: prout in praesenti casu videre est. Dignabatur enim Celsitudo Vra et Exc. Consilium Cottui Borsodiensi committere, ut suprafatam personam ad sequendam Religionem Catholicam auctoritate Magistratuali stringat, matrem vero eius actione fiscali conveniri procuret. Et tamen usque praesens nullus est effectus. Humillimis itaque precibus oro, dignetur Cottum Borsodiensem eo inviare, ut ante omnia praecitatas ordinationes altiores effectuet. Effectuatis illis, quoad copulationem saepefatae personae omnis quaestio cessabit.

e) 344.

Repraesentatio Ordinariatus Rosnaviensis ad Consilium Reg. super eo: quod Sponsi ante copulationem suam e mente C. Tridentini S. Confessionem peragere obligentur, dd. 4. Maii 1821.

Serenissime etc. Emanatum dd. 14. Nov. a. p. Intimatum, tenore cuius innuitur, quod serotina pertractatio negotii religionarii prolium Michaele-Medregyianorum non tam Comitatui, quam Parochis ipsis adscribenda veniat, et ideo Suam Maiestatem SSmam clementer praecipere dignatam esse, ut Parochi concernentes medio mei eo invientur, ut, cum lex matrimoniis mixtis nulla ponenda impedimenta praecipiat, quin et C. Tridentinum peragendam ante copulationem Confessionem solum suadeat, et non praecipiat, ii ad copulationem in similibus casibus praestandam eo magis obligentur, quod scandalum, dum partes absque copulatione convivunt, in plebem redundans per eos avertendum veniat; cum veneratione percepi: ast per hoc ipsum necessitatem mihi impositam habeo, Seren. Vrae et Exc. Consilio R. humillime repraesentandi, quod Conc. Tridentinum non *suadeat* Confessionem solum, sed ad eam peragendam *hortetur* unumquemque ad vota matrimonii transire cupientem; quod scripturistico loquendi modo non suadere, sed *praecipere* significat. Act. XI. 23. Tit. II. 6. nec Patres in C. Tridentino congregati terminum „*hortor*" alio sensu sumserunt, aut sumere poterant, perhibente hoc universali Ecclesiae praxi, quae numquam ad copulationem Sponsorum processit, proceditque actu, antequam in rudimentis Fidei R. Catholicae sufficienter erudiantur, et per Confessionem conscientias suas expient; unde manifeste sequitur, eos, qui haeresim externe profitentur, usquedum saniora adoptantes ad sinum Matris Ecclesiae redierint, a Sacramentorum usu arceri, imo et denegari illis usum hunc, qui gravi aliquo scelere, ut est concubinatus, suam oneratam habent conscientiam; Parochos proinde in similibus casibus incidenti etiam ex eo, quod ad Sacramenta vivorum utiliter et licite percipienda necessaria sit gratia sanctificans,

dum Sacramentum Matrimonii administrare renuunt, ad assistendum stringi nequire, nisi sacrilegii, cuius se reum facit, qui gratia sanctificante destitutus ad Sacramenta vivorum accedit, participes fieri debere iubeantur. Cum autem non liceat facere malum, ut eveniat bonum, palam fit, me ea caruisse auctoritate, ut respectivos Dioecesis meae Parochos ad copulandos Medregyianos stringere potuissem; quo non eveniente, nec, cum mixta matrimonia in sensu etiam legum Patriarum eadem qua pura tractari debeant ratione, evenire queunte, non obstante eo, quod Minister Evangelicus inconsulte praeattactarum personarum matrimonio adstiterit, quaestionatae personae non in matrimonio, sed in concubinatu cum gravi eoque publico scandalo convivere censendi sunt. Quamobrem supplex existo, ut cum pravum hoc exemplum praeter manifestum Religionis Catholicae detrimentum insuper et certissimam in plebe morum corruptelam importet, antelatos concubinarios a foedo concubinatus scelere arceri, ac ad observantiam divinarum humanarumque legum stringi, mihique acta per respectivum Comitatum in merito hoc substrata fine adornandae per me finalis repraesentationis et Parochorum pro possibili exculpationis expediri curare dignetur.

345—348.

Resolutiones Regiae de recopulatione Sponsorum diversae religionis.

a) 345.

Resolutio R. circa recopulationem personarum mixtae religionis, dum in obversum legis Minister Evangelicus copulavit, dd. 26. Augusti 1806.

Dignabatur Sua Maiestas SSma clementer resolvere: ut, cum connubia inter partes diversae religionis copulante Ministro Evangelico aut Presbytero Graeci R. n. U. inita, triplicis esse possint generis, dum videlicet 1. persona evangelica aut Graeco n. U. R. addicta cum persona indubie catholica matrimonium init; vel vero 2. dum persona evangelica, aut G. n. U. Ritui addicta cum persona vi quidem le-

gis Catholicam Religionem sequi obligata, a teneris nihilominus continuo evangelicam confessionem aut Graecum n. U. ritum profitente, annos vero discretionis iam superante, connubium init; aut denique 3. dum persona evangelica, aut graecum n. U. ritum sequens cum persona, lege quidem Catholicam Fidem sequi obligata, a teneris nihilominus continuo Evangelicae Confessioni aut graeco n. U. Ritui dedita, annos discretionis necdum attingente matrimonium contrahit: in casu *primo* ad praescriptum legis recopulatio per Parochum Catholicum semper instituatur; in *secundo* recopulatio eousque differatur, donec persona a teneris Sacra Evangelica, aut G. R. n. U. frequentans, veniam liberi Religionis exercitii ab altissimo loco obtinuerit, et praescriptam in huiusmodi casibus catholicam sex hebdomadarum institutionem expleverit; eo suapte intellecto, quod, non accepta liberi religionis exercitii venia, recopulatio per Catholicum Parochum suscipienda sit; in casu demum *tertio*, ut, cum persona de praescripto legis Catholicam Religionem sequi obligata, utut a teneris Sacra Evangelica aut Graecum n. U. Ritum secuta, ante completos discretionis annos in nullo plane casu a Catholica Religione positiva legis dispositione id innuente dimitti possit, adeoque pro reali Catholica censenda sit, in statu autem illegitime contracti matrimonii usque annos discretionis, sequaciter per longius etiam nefors tempus ipsam relinqui sanctimonia matrimoniorum non admittat: recopulatio in hoc casu per Catholicum Parochum fiat, ita tamen, ne in praedeductis casibus, ubi recopulatio differri admittitur, intermissio copulationis per Parochum Catholicum pro casu mortis alterutrius parentum illegitimitatem prolium ac proinde etiam successionis incapacitatem involvat, aut per praemissam benignam Suae Maiestatis Resolutionem ratione prolium quoad religionem, quam de praescripto sequi debent, quidquam mutetur. Insuper vero clementer praecipere dignata est Sua Maiestas SSma, ut Parochis Catholicis sub gravi responsionis onere vigilantia iniungatur, ne in praespecificatis casibus copulatio per Catholicum Parochum differatur, vel

simpliciter intermittatur, cum secus in Parochos non satis vigilantes pro mensura culpae serio animadvertendum sit.

Datum ex Consilio R. Budae die 26. Aug. 1806.

b) 346.

Repraesentatio Com. Thuróczienesis contra Resolutionem R. circa Recopulationem dd. 26. Aug. 1806. editam, sub dd. 16. Dec. 1806. ad Regiam Maiestatem dimissa.

Sacratissima etc. Via Consilii Majestatis Vestrae SSmae L. R. hicce in paribus advoluta, nomine Eiusdem Maiestatis Vestrae dd. 26. Aug. a. c. circa connubia inter partes diversae religionis copulante Ministro Evangelico, aut Presbytero Graeci R. n. U. inita, circulariter dimissa, atque sub hodierno Generali Congressu nostro publicata est Resolutio: ex cuius tenoribus siquidem nos de altissima mente Eiusdem Maj. Vestrae nullatenus convinci possemus, ac vinculum illud, quod Terrarum Principes et populos inter coaluit, animos nostros erigeret, ut consueta compaciscentibus libertate dicamus, quae cogitamus, et cogitemus, quod in sensu legum ac consuetudinum Regni rectum iudicamus; quemadmodum itaque de pietate et observantia sanctimoniae legum Majestatis Vestrae plene convicti sumus, ita in ordine ad provocatam b. Resolutionem occurrentes legales reflexiones nostras pro summa illa, qua erga Maiestatem Vestram velut populum sibi divinitus creditum fide et lege gubernantem, non tantum devotione, sed et filiali fiducia ferimur, Eidem Mai. Vestrae de genu substernere sustinemus.

a) Status et Ordines inclyti Regni istius Hungariae a. 179⁰/₁ diaetaliter congregati ad componendas multifarias illas grave Constitutioni nostrae avitae periculum iam iam minantes rerum vicissitudines benigne annuente Augustissimo Imperatore et Rege Leopoldo II. — Articulum XXVI. ad perpetuam inter Status et Ordines diversis religionibus addictos harmoniam ac unionem qua firmissimam constitutionis basim constabiliendam, contradictionibus nonnullorum nihil suffragantibus, (nulla ceteroquin recopulationis, sed pure mixtorum matrimoniorum mentione iniecta) condiderunt.

b) Quaestio recopulationis adinveniendae vel non adinveniendae involvit quaestionem pure credendorum, et non agendorum: de obiectis autem credendorum disponendi provincia saltem in tantum Jurisdictioni Politicae competit, ut cognosci valeat, num eadem credenda securitati Provinciae conveniant vel minus, ac pro casu nonnisi eo, si eadem credenda securitati publicae obesse viderentur, talia removendi ius eidem assurgit.

c) Ad illegitimam copulationem generaliter praerequiri impedimentum canonicum, quod sive ex nexu indispensabili, sive ex non observato ritu Ecclesiae profluere debet.

d) Siquidem Confessio Augustana in libris symbolicis, qui Evangelicorum credenda, et in legibus Regni, quae eorum agenda complectuntur, radicaretur, iuxtaque praemissos libros Symbolicos non solum adhucdum in Regno permaneret, sed et Ministris ac Superintendentibus provisa foret, attacti vero libri symbolici idmodi recopulationem citra impedimentum canonicum haud admitterent, sequaciter

e) Praevia b. Resolutio tum competentibus ex lege Statui Evangelico attributis iuribus religionariis summum in derogamen, tum vero in perstrictionem eiusdem Status articulorum fidei, adeoque credendorum vergeret, quandoquidem

f) Inde a tempore Pacificationis Viennensis et Lincensis nec regnantes Maiestates, nec Regnum in modificationem Fidei articulorum semet unquam immiserint, imo

g) Per Art. XV. 1647. §. 3. et in eo provocati Art. 1. 1608. per Art. XIX. 1715. confirmati causas eorum matrimoniales iuxta usum consuetum, qui omnem penitus recopulationem excludit, diiudicandas reliquerint, nec ab eo inde tempore per leges contrarium quid sancitum fuerit, aut ex quo lex non credenda, sed, uti supra attactum, agenda pro objecto haberet, sanciri potuerit; insuper

h) Praeattacta b. Resolutio manifestam legis, articuli quippe XXVI. 1791. interpretationem saperet, in Regno autem Hungariae, Partibusque eidem adnexis potestas leges interpretandi alias non competeret, neque talis dictamine Art.

XII. 1791. exerceri posset alias quam in Comitiis cum Statibus et Ordinibus Regni simul congregatis, concomitanter una pars Corporis Legislativi attactum Articulum XXVI. 1791. pro favore suo citra concursum alterius partis interpretari non posset, et si interpretetur, interpretatio talis pro inactiva habenda veniat, tanto magis, quanto clarius foret, quod toties memorata b. Resolutio nihil nisi novum et inauditum remedium recopulationis novitate sua ceteroquin ingratum et ad civiles matrimonii effectus haud necessarium contineat, vimque conscientiis per legis sanctionem sublatam tacite imponere videatur.

Veneratio erga Maiestatem Vestram non admittit, ut hic uberius argumenta, quae nobis leges suppeditant, et ex parte etiam Evangelicorum depromta sunt, super novo hoc recopulationis obiecto, explicemus. Quibus ita subsistentibus, si praealiatae Resolutioni morem gereremus, casum in illum in manifestum praeiudicium legislativae potestatis a dispositione toties mentionati Articuli facto Comitatus istius recessus fieret; dum tamen plene convicti sumus, Majestatem Vestram suapte benigne agnituram, id nec a nobis desiderari, nec imponi posse, ut a conditarum legum tenore, quarum implendarum obligatio nos ita, prout Maiestatem Vestram manet, ququa ratione recedamus.

Sub tutela itaque publicae legis, et Sacrae Regiae assecurationis, cum aditu gloriosi Maj. Vestrae regiminis in eo factae, quod in universis libertatibus, praerogativis, immunitatibus, et consuetudinibus nos publicasque Jurisdictiones illibate conservare dignabitur, stantes provolvimur humillime coram aequissimo Maj. Vestrae clementiae throno, de genu supplicantes, quatenus in cohaerentia provocati Articuli 1791. ad porro quoque constabiliendam inter Regnicolas hucdum vigentem pacem, concordiam ac unionem in animis perennaturam ab observanda in denotatis casibus recopulatione velut inaudita, atque, uti attactum, Pacificationibus Viennensi et Lincensi, prout et legibus religionariis, ac una non solum Statui Evangelico, sed omni Christianae Religioni praeiudiciosa, Comitatum hunc dispensare dignaretur. Qui in reliquo etc. Datum ex Gen. Congregatione nostra die 16. Dec. 1806.

in Oppido Szent Márton celebrata. Universitas Comit. Thuróczieńsis.

c) 347.

Rescriptum R. ad Cottum Thuróczlensem in praeattacto merito, dd. 16. Januar 1807.

Franciscus etc. Ex Repraesentatione vestra sub 16. Dec. 1806. Majestati Nostrae submissa perspeximus, quibusnam motivis et rationibus innixi Recopulationem in casibus, tenore Intimati Consilii Nostrii R. L. sub dato 26. Aug. 1806. emanati denotatis per Nos clementer ordinatam non solum Evangelicae Confessioni addictorum, sed plane omni Christianae Religioni praeiudiciosam esse statuatis. Cum autem in eadem Repraesentatione Vestra copulationem ob impedimentum canonicum, sive ex nexu indispensabili, sive ex non observato ritu Ecclesiae profluens, illegitimam evadere vos ipsimet agnoscatis, in casibus vero mixti matrimonii in praecitato Intimato Consilii L. expressis, dum nempe matrimonium inter personas, unam quidem seu indubie catholicam seu ex dispositione legis Catholicam Religionem sequi obligatam ac alterius religionis exercitium nondum sibi admissum habentem, alteram vero evangelicae confessioni aut Graeco Ritui n. U. addictam copulante Ministro Evang. Conf. aut Parocho G. R. n. U. contrahitur, recte id subversetur: quod ob non observatum ritum Ecclesiae Catholicae, cui matrimonia mixta eo ipso, quod dictamine Art. XXVI. 1791. causae huiusmodi matrimoniorum Sedibus Catholicorum Spiritualibus delatae sint, conformari debent, ac proinde coram Parocho Catholico eoque proprio contrahenda sunt, copulatio illegitima evadat, et ob defectum legitimae copulationis ipsum etiam matrimonium invalidum sit, tale autem matrimonium per legitimam recopulationem validum reddi debere ex ipsa rei natura et indole sequatur, id ipsumque securitas etiam prolium, ne his illegitimitas obverti possit, deposcat; neque dogma seu Evang. Confessionis, seu Gr. R. n. U. id praescribat, ut personae matrimonio mixto secundum principia Catholicae Religionis illegitime contracto, sibi iunctae, si dein pars catholica ad aliam religionem obtento indultu transeat, in statu eiusmo-

di illegitimi matrimonii absque resanatione defectus, qui matrimonium illegitimum effecit, relinquantur, cum ceteroquin eiusmodi matrimonia per transitum partis catholicae valida non reddantur, atque hac ratione omnes argumentationes vestrae enerventur ac penitus concidant, neque ullum seu uni seu alteri religioni praeiudicium, quale vos perperam putatis, inferatur: eapropter vobis districtim ac serio committimus et mandamus, ut benignae Resolutioni Nostrae via Consilii Nostri R. L. sub praecitato dato vobis intimatae, per quam validitati matrimoniorum, et securitati prolium prospicere volumus, pro homagiali obligatione vestra morem gerere noveritis. Viennae, die 16. Januar. 1807.

d) 348.

Resolutio R. circa recopulationem personarum mixtae religionis, priorem dd. 26. Aug. 1806. editam, explicans et confirmans, dd. 6. Oct, 1807.

Reflexionibus illis, quaè in obversum altissime demandatae Recopulationis personarum, per Ministros Evangelicos, aut Parochos Graeci R. n. U. illegitime copulatarum, per nonnullas Regni Jurisdictiones, et Evangelicarum Confessionum Superintendentias Consilio huic R. L. submissae sunt, Altissimo loco demisse substratis, dignabatur Sua Maiestas SSma benigne resolvere: plerasque praememoratas Jurisdictionis eo in errore versari, quasi matrimonium inter Evangelicae Confessioni addictos copulante eiusdem Confessionis Ministro initum, pro invalido apud Catholicos reputaretur, et ideo, si una vel alia aut utraque pars eiusmodi coniugatarum Personarum ad Religionem Catholicam transeat, recopulatio medio Catholici Parochi suscipienda exigeretur; quasi etiam, si inter personas disparis religionis copulatio per Ministrum Evang. Confess. incompetenter peragatur, eundem Ministrum punire sufficeret, recopulatione autem opus non esset. Cum vero benigna Normalis Resolutio Regia — abhinc sub dato 26. Aug. a. p. nota reddita non ad matrimonia, quae inter personas, extra quaestionem, lege quoque Regni admittente, Evangelicam Confessionem profitentes copulante Ministro Evang. Conf. inita sunt, refera-

tur, ast casus matrimonii religionis mixtae, dum videlicet copulatio contra dispositionem Legis per Ministrum Evang. Confess. illegitime peragitur, pro objecto habeat, taliter vero contracti matrimonii illegalitas per solam poenam, Ministro Evang. Confess. irrogandam, non reparetur, sed punito etiam eodem Ministro, illud illegitimum maneat, adeoque per novam legalem copulationem legitimum reddi debeat, et ideo in huiusmodi casibus pro securitate etiam prolium ex tali matrimonio progenitarum, recopulatio clementer ordinata habeatur; quod autem benigne resolutum sit, ne intermissio copulationis per Parochum Catholicum pro casu mortis alterutrius Parentum illegitimitatem prolium, et sic successionis incapacitatem involvat, id nonnisi ex Gratia Regia, iuribus Regiis innixa, et in hoc duntaxat casu, ne mors alterutrius parentum prolibus obsit, benigne constitutum habeatur, et hoc ipsum illegalitatem praecedentis copulationis praesupponat; cum secus in hoc casu prolibus Gratia Regia subvenire non oportuisset, hinc supracitatae b. Normali Resolutioni Regiae porro quoque insistendum esse, ne secus eiusmodi matrimonia iudicio Sedium Spiritualium Catholicarum, ad quarum judicatum ex lege pertinent, dirimantur; de cetero autem in casibus illis, dum de persona ex praescripto legis Religionem Catholicam sequi obligata, religionem attamen Evangelicam, aut Graeci R. n. U. profitente, attactis iam discretionis annis, quaestio admittendi, vel denegandi transitus movetur, si haec, personae Evangel. Confessioni, aut Graeco n. U. Ritui addictae, quacum per Ministrum Evangelicum aut Parochum Graeci R. n. U. copulata est, convivere velit, eandem per Parochum Catholicum recopulandam; si autem recopulatio haec recusaretur, tales personas ab invicem separandas; admisso autem parti, de praescripto legis Religionem Cath. sequi obligatae transitu, per Ministrum Evangelicum, aut Parochum G. R. n. U. recopulationem suscipiendam esse.

Datum ex Consilio, Budae die 6. Octobr. 1807.

349.

Repraesentatio Cleri Rosnaviensis ad Cardinalem Primatem Regni a Batthyán circa differentias Episcopi sui Antonii B. Andrássy cum Augusta Aula ob casum singularem matrimonii mixti, dd. 28. Martii 1797.

Eminentissime etc. Multa sunt, quae nos ad subeundum filiali cum fiducia et devotione sublimem Eminentiae Vestrae conspectum non tam invitant quam impellunt. Seu enim lacessitae nefors Religioni nostrae perfugium velimus parare, ipsa Religio nostra in Purpuratum Eminentiae Vrae sinum, nativum veluti portum suum respiciens nos ad Eminentiam Vram ultro dirigit; seu Regiam illam Augustissimi Terrae Principis clementiam, quae felicitatis subditorum parens certissima est, conciliare nobis adnitamur, quo duce, aut cuius auspicio hanc etiam votorum nostrorum metam possumus contingere certius, faciliusque, quam Eminentiae Vrae, cuius illustria illa operosaque, et non Ecclesiae minus quam Patriae toti utilissima in Thronum Regium studia, nullis sive nostris sive posterorum encomiis satis pro merito celebrantur? Spebus his incensi, audemus cum ea, qua par est, reverentia sollicitudinem nostram Eminentiae Vrae oculis substernere.

Devotissimus Eminentiae Vrae Suffraganeus, noster autem Gratiosissimus Praesul, Antonius L. B. Andrássy, in displicentiam incidit Regiam, imo vi altissimae ultionis Regiae bonis Episcopatus sui interdictus, ea, qua integerrimum Autistitem, et profluentis a Deo regiae potestatis reverentissimum subditum decet, animi alacritate, ac constantia pondus iam sustinet, magisque indignatione Principis optimi, quam vindictae afficitur gravitate. Paravit illi incommodum hunc situm tuendarum veritatum Catholicarum sincerum, et ab omni prorsus inanis gloriae aut aemulationis cupiditate remotissimum studium. Quam non vane de intemerato Praesule nostro istud pronunciemus, vel e molestissimi casus specie, quam germanis adumbratam coloribus exhibemus, perspici satis superque potest.

Accidit nempe tertio abhinc anno: ut in Rosnaviensi hac Dioecesi matrimonium inter nobiles Helveticis ritibus addictas personas multo ante initum ad sponsae petitionem per Civilem C. Neogradiensis Magistratum eo ex capite irritum fuisse declararetur, quod nimirum praelibata sponsa e metu per parentes sibi incusso, sequaciter invitam se ad has nuptias descendisse praetenderit. Nulla causae huius ad legalia altiora Fora seu a matrimonii defensore, seu a partibus interposita provocatione, sententia Sedis Iudiciariae pro testimonio liberi status memoratae nobili mulieri servitura tradita est. Documento hoc instructam nobilis vir Catholicus in futuram vitae sociam sibi despondet, desponsatam inscriptis sibi per eam in casum resultus pro vinculo decem mille florenis, arctius obligat, obligatam ad Parochum loci pro contractu unice roborando induxit, quo coramisato, nec alia ulla penitus actione intercedente, nullis adhibitis ad actum testibus, nulla sive trinae de iure promulgationis, sive petendae ab hac apud Ordinarium dispensationis, sive denique sui mox et hoc ipso tempore peragendae copulationis iniecta mentione Parocho, praetensam sponsam (ita omnia attestante Parocho) in domum suam successive transportat, et ad illud usque tempus veluti iam legitime iunctae cohabitat, quo per Ordinarium ad dimittendam primum paterne monetur, dein etiam stringitur. Tandem edoctus ne clandestine quidem sibi iunctam dici posse, ad se pro prandio Parochum invitat, quo iam praesente, apprehensa coram constitutis ad actum duobus suis amanuensibus, mulieris dextera, declarat, se eam in suam coniugem sumere, ipsam autem vice versa nubere eidem. Et haec erat ignorantiane an studio quaesita duorum, de quibus agitur, post praemissam primum paternis monitis, dein etiam correptione Ordinarii inhibitam cohabitationem, coniunctio. Re ad Episcopum perlata, novis sponsis veluti publici mali exempli reis ad Fiscum Consistorialem dies indicitur. Citatis auctoritatem huius Iudicii spernentibus, causa maturo examini subiicitur, deliberaturque: declarationem de nullitate anterioris matrimonii sponsae per civilem Magistratum factam ex principiis Religionis Catholicae pro vigorosa ha-

beri nequaquam posse, ac proinde attentatum posterius matrimonium ex principiis eiusdem Religionis Catholicae nullum esse. Episcopus deviae, et multis nominibus sibi carissimae ovis huius adeo vehementem ruinam spiritualem miseratus, ac Sacramentorum quoque dignitati et reverentiae pro munere suo consulturus, Pastoralibus literis suis nobis intimat: Catholicum hunc hominem, donec a spirituali lapsu suo resurgat, percipiendorum Sacramentorum sese incapacem reddidisse. Quam autem paterne istud factum sit, li-
A. terae ipsae, quarum exemplum adiicimus, perhibent (A.) Sponsi interea rem suam ad Augustum Thronum deferunt, et mediatione patronorum suorum a religiosissimo Principe non tantum id impetrant, ut pro validitate, efficaciaque matrimonii huius Altissimum suum suffragium elargiatur, verum etiam clementissime, districtimque Episcopo praecipiat, ut Pastorales literas suas nulla interposita cunctatione revocet. In his angustiis positus Episcopus, quod unum reliquum ipsi fuit, iterum ac tertio humillima tenerrimaque cum animi submissione benignissimum Principem de genibus est obtestatus: pateretur hunc calicem, quem salva conscientia fidei illius, qua coelesti, terrestrique Regi suo est obstrictus, si maxime vellet, bibere non posset, clementer
B. a se transferri (B.)

Eminentissime Domine Cardinalis! longissime a nobis temeritas illa et abest et absit, ut cum coronato Capite, Uncto videlicet Domini, contendere iudicio attentemus. Scimus nos, docemusque, Thronos Regios ad communem hominum felicitatem manibus divinis esse fundatos, hodieque fulciri. Scimus, quid Maiestati Regiae, sublimitatis divinae in terris aemulae a subditis nationibus debeatur. Curvamus nos solio Regio promti et alacres non capita tantum, et genua, quae mentiri saepe possunt, sed quod multo excellentius obsequii genus est, corda quoque et animos nostros, atque ad filialem hanc Regum venerationem populos verbis docemus, exemplis ducimus. Et hinc de Regiae quoque in nos clementiae amplitudine id nobis persuademus potius quam pollicemur, quod de proposito per nos matrimoniali casu sensus nostros, quos modo coram Eminentia

Vra, Praeside scilicet Ecclesiae Hungaricae, et benignissimo Patre nostro, filiali cum fiducia retegimus, coram Regia quoque Maiestate Sua (si res ita poposcerit) ausuri simus sine trepidatione explicare, fideique nostrae rationem reddere.

Quamquam autem verissimam esse sentiamus, lubenterque nobis accomodemus illam Divi Augustini Confessionem, quam Lib. de adult. coni. cap. 25. his verbis facit: „Quaestionum de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri, omnes eius sinus vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicuisse, vel iam posse, si urgear, explicare." Duae tamen ceteras inter, quae praesentem rem nostram intimius concernunt, de matrimoniali contractu ita ab Ecclesiasticis Scriptoribus elucubratae, ac complurium etiam Conciliorum oraculis tam diserte nobis propositae sunt veritates: ut, etiamsi ipsos forte Fidei Cath. articulos non faciant, ad hos certe accedant quam proxime, principiorumque loco haberi debeant, a quibus catholico homini et iis praecipue, qui praesunt, discedere quam foret a spiritu veteris Ecclesiae degenerum, admonemur exemplis Sanctorum: Athanasii, Hilarii, et Eusebii, quorum invictam in tuendis Conc. Nicaeni definitionibus constantiam celebrat S. Hieronymus Lib. cont. Lucif: „quomodo, inquit, potuissent adversus Synodum Nicaenam facere, propter quam exilia sustinuerunt;" magnanimitate item Divi Ambrosii, qui Epist. 32. de se profitetur: „sequor tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors nec gladius separabit."

Prima harum est: quod legitimi consummatique matrimonii coniugiique vinculum nulla humana potestate possit resolui. Veritas haec Ecclesiae Catholicae ipsa Ecclesia videtur antiquior esse; nondum certe aedificationi Ecclesiae suae manum ultimam imposuit Christus, dum veritatem hanc Pharisaeis, sollicitatoribus suis, Math. XIX. 7. Gentibus vero Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. hac sententia palam edixit: „omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur." Sensit Divus Augustinus, planiora haec esse Christi Domini verba, quam ut devia interpretatione aut lubrico quopiam effugio

possint declinari; iis proinde tamquam efficacissimo telo adversantium iugulum petiit lib. II. de adult. coni. cap. 8: „qui nos sumus, inquit, ut dicamus, est qui moechatur uxore dimissa alteram ducens, et est, qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat: omnem moechari, qui hoc facit." Subinde vero Christo iam in coelos, et matrimoniali contractu ad Sacramenti dignitatem sublato, Apostolus Paulus Rom. VII. 2. 3. prorsus autem disertissime I. Cor. VII. 10. tenendum fidelibus, verbis his indicavit inculcavitque: „iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quodsi discesserit, manere innuptam." Quae unquam seu in Areopago seu Foro Romano clarioribus verbis perlata aut publicata lex fuit, quam haec christiana? Abuteremur paterna Eminentiae Vrae benignitate, et meridiano soli lucem videremur velle addere, si validissima illa ex omnibus Theologiae locis huc facientia documenta niteremur conferre. Unum subiicimus Divi Hieronymi ad Amand Presbyt. sic scribentis: „Vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit; quamdiu igitur vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis coopertus omnibus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus reputatur; cui alterum virum accipere non licet." — Imus iam ad *alteram*.

Haec explorata aeque ac in pari apud nos luce posita veritas est: quod nimirum quaestiones matrimonii vinculum attinentes ad examen et discussionem Ecclesiasticae Jurisdictionis pertineant. In iuris huius exercitio tamquam genuina haereditate sua per omnem retro antiquitatem stetisse Ecclesiam, irritumque semper declarasse, quidquid in hoc genere, regno quippe non suo, civile Judicium attentavit, e plurimis omnis aetatis documentis compertissimum est. Nos compendii studio duo duntaxat exhibemus: literas videlicet, quas sequioribus his iam annis Pontifex hodiernus ad Sereniss. Ducem Würtenbergensem, et Instructionem, quam ad
C. quemdam Austriacarum ditionum Antistitem dimisit. (C.) Videri in his clarissime potest, quae Purpuratorum Eminentiae Vrae in urbe sociorum mens, et quis sit sensus Ecclesiae Romanae, ad quam ob potentiorem principalitatem omnem

necesse est (clamabat olim S. Irenaeus Lugdunensis Episcopus) convenire Ecclesiam, et a qua ut centro unitatis nemo unquam sine prolapsione se divisit. Sed et unanimis omnium fere Christianarum gentium hanc in rem consensus singularem veritati huic conciliat venerationem. Ut enim domesticos Fidei nostrae praetereamus, ipsi a communione Romana alieni populi, qui licet auctoritatem sacerdotalem omni contentione arrosum eant, causas tamen matrimoniales spiritualibus Consistoriis suis, Catholicarum sacrarum Sedium quibusdam simulacris, pertractandas publicis legibus detulerunt, ut in Jure Imperii Moschovius late ostendit. Intimo nempe sensu Christianae Nationes admonentur: vinculo matrimonii sacrum quidpiam coelesteque inesse, quod profanis manibus contrectare nefas, vel, ut mollius dicamus, indecorum est. Huc indubie respexit ipsa etiam Patriae nostrae legislativa Potestas, quae a. 1791. art. 26. in favorem Protestantium perlato, hanc inseri iussit cautionem: „eo tamen per expressum subnexo, quod divortii sententiae (per Judicem secularem latae) nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur." Quid enim est hoc aliud, quam dicere, in matrimonii contractu fulgere sanctimoniam aliquam, cuius dignitas laicae potestatis excedat conditionem. Ea scilicet est veritatis indoles, ut se opprimi denique non sinat, et ab invitis etiam testimonium sibi proliciat. Sed tametsi nihil aliud haberemus (usurpamus verba Lutheri ex Epist. ad Albertum Braud.), testimonium totius S. Ecclesiae solius nobis sufficere deberet. Ut enim Calvinus lib. IV. cap. 1. n. 10. observat: sic Ecclesiae auctoritatem commendat Dominus, ut, dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Jam vero, quid unquam Ecclesia Universalis, per cuius labia Spiritus veritatis ad nos loquitur, clarius, simplicius, et pressius nobis proposuit, quam C. Tridentini Sessione XXIV. can. 12. veritatem hanc, pro cuius tutela coram Eminentia Vra oratores humillimi stamus? Profecto pro nostra cogitandi arguendique ratione, si a sanctitate canonis huius abimus, nihil ultra erit in Conciliorum, adeoque universae Ecclesiae definitionibus sacrum, nihil firmum, et immobile, deridebiturque iactatum illud ore Divi

Augustini effatum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas. Lib. 2. cont. Epist. fund. cap. 6.

Verum dicent nonnulli: laudatum Trid. Canonem *disciplinam* duntaxat respicere, non autem ad fidei dogma pertinere. Supplices devotissimi, non disceptatores ad Eminentiam Vram petiimus admitti, ideo brevissime insinuamus, novam hanc quorumdam exceptionem nudam et nullius celebrioris Theologi protectione fultam produci in theatrum. Si Melchiores Cani primi subsellii Theologi et Episcopi Concilio Tridentino assidentis mentem sequaciter illius proximius penetrantis regulas, de dogmatibus a disciplina discernendis sequimur; si Pium VI. in actu Synodi Pistoriensis iudicium a. 1794. ferentem, et hinc (ut Theologi loquuntur) e Cathedra fideles universos docentem attendimus: veritas haec dogmatibus certissime omniuo accensenda est. Doctrina enim memorati Conventiculi pag. 32. expressa Canonum 3. 7. 9. et 12. Sess. XXIV. C. Tridentini eversiva haeretica declaratur. Quis unquam solius disciplinae Ecclesiasticae hostis hoc hactenus stigmate ab Ecclesia Romana est inustus? et qui inustus est, an non dogma arietavit? Sed non miramur hanc aliquorum opinationem: damus illis, veritatem, praelibato canone Tridentino definitam, disciplinam esse; at disciplinam eiusmodi, quae Ecclesiae universae definitione, usque consecrata sit, ipsamque ex ingenio suo Sacramenti Matrimonii medullam, et animam contrectat. Quid hinc in intemeratum Praesulem nostrum potest extundi? appellamus conscientias ipsorum, dicant: estne Episcopo, qui ne Nationalis quidem Synodi Constitutiones impune potest infringere, cui Conc. Tridentini Sessione VII. can. 13. vel ritus externos ad Sacramentorum administrationem pertinentes aut destinatos omittere vel mutare sub anathemate est interdictum, disciplinam universalis Ecclesiae, et disciplinam in ipsam Sacramenti substantiam efficaciamque influentem deserere, aut adversus eam agere integrum? dicant: suadere civilibus etiamsi summis Potestatibus in huiusmodi disciplinas Ecclesiasticas iuris usurpationem an non sit armare filios in matres et acerras thuribu-

laque e manibus Pontificum erepta Regum dexteris obtrudere? Pure disciplina Ecclesiae est Clericorum celibatus, disciplina pariter est Sacramenti Eucharistiae sub altera tantum specie laicis administratio: plectendine erunt Episcopi, qui Ecclesiasticarum harum disciplinarum violatoribus froena spiritualia iniicere voluerint? aut adulandumne Civilibus Potestatibus, quae in has Ecclesiae disciplinas pro suo pruritu manus inferrent? Supersunt adhuc et leguntur literae, quibus a. 1564. immortalis memoriae et gloriae Ferdinandus Imperator Pontificem Pium IV. obtestatus est, ut Germanis et Hungaris (sperans sic desultorum filiorum ad gremium Matris reditum) communionem sub utraque specie indulgeret: scivit nempe pientissimus Monarcha, sceptro suo nihil in Ecclesiae campo debere licere, nec Maiestate Sua indignum arbitratus est, si Caesarea Corona debitam partem redderet Romanae Tiarae. Recenti tenemus memoria, quam devota interpellatione Maria Theresia (cuius nominis dulcedo numquam animis Hungaricis excidet) a. 1772. a Clemente XIV. exoraverit dierum nonnullarum Sanctorum nominibus sacratarum relaxationem: pura haec et particularis Ecclesiae Hungaricae fuit disciplina; adeundum tamen Vaticanum, et claves petendae erant, cum nihil Apostolica Regina, nihil Patriae Episcopi, vel in singularem hanc Nationis disciplinam iuris se habere certissime scirent. At Maria Theresia pro sui indole sexus nimium religiosa, Ferdinandus Clero Hungarico nimium devinctus, Principum proinde horum exempla sicio sanctuarii ponderata parum roboris hodie habent: reponent aliqui. Proponimus his Fridericum II. Borussorum Regem Protestantem, et hodiernae magis Philosophiae, quam rei Catholicae deditum Principem. Ille in celebri et in pluribus iam libris edito responso suo, quod a. 1749. Magistratui Halberstadiensi dedit, agnovit, palamque edixit: apud Catholicos ea etiam, quae pure Ecclesiasticae disciplinae sunt, secundum canones et Conciliorum definitiones per Ecclesiasticos Judices debere pertractari, neque se permittere posse, ut in ditionibus suis parte hac vis aliqua spiritualibus catholicis personis intentetur. Patet porro ex hoc Responso manifeste, Principem hunc Prote-

stantem agnovisse: iuvenem Catholicum se in re Ecclesiae suae pure disciplinari Ecclesiasticae iurisdictioni subducentem; usu Sacramentorum legitime fuisse a parocho suo interdictum, atque hinc parochum hunc Dominicanum dignum existimasse, quem Regia auctoritate sua adversus Magistratus Halberstadiensis insultus tueatur. Jam nosne pronunciabimus, Episcopum tam sacram universalis Ecclesiae disciplinam sine gravi apertissimoque conscientiae suae vulnere posse deserere, aut damnabimusne illum Oecumenici Concilii canoni, quoad poterat, se accomodantem, quem seculi sui et Septemtrionis gloria Fridericus non absolvisset modo sed et sub protectionem suam recepisset?

Hae itaque sunt orthodoxae veritates illae, quas nos tenerioribus annis e Magistrorum non tempori servientium, sed per priscorum Ecclesiae Doctorum vestigia euntium labiis sorbebamus, adolescente autem aetate e probatissimorum Auctorum scriptis bibimus; mirum proinde vix cuiquam videri potest, quod intima de iisdem convictio animi sangvinem et conscientias adeo insederit, ut dimitti aut alterari a nobis, nisi cum sangvine, non possit. Atque ex fundatissima hac animorum nostrorum convictione affirmamus, intemeratum amantissimumque Praesulem nostrum in descripto matrimoniali casu nihil attentasse, fecisseque aliud, quam quod Episcopalis muneris sui severissima ratio, quod iura tam Ecclesiastica quam etiam Patria, et hinc ipsa ab illo deposcebat conscientia. Patiatur Eminentia Vra, et sollicite excutiemus singulos ipsius passus.

Dimisit ad nos plenas ecclesiasticae lenitatis Pastorales suas. Instituit, nisi fallimur, in hoc Divorum Petri, Pauli, et Joannis Apostolorum ac una Episcoporum vestigiis, quorum pastorales literas etiamnum miramur, veneramurque ut praecipuam thesauri Ecclesiae partem. Secutus est gressus tot veterum sacerrimorum et aris illatorum Antistitum, ipsius Eminentiae Vestrae in se expressit exemplum. Quis enim unquam Episcoporum suam citra istiusmodi Epistolas recte gubernavit, aut potuit gubernare Ecclesiam? — Dehortatus paterne est filium Dioecesis, et peculiarem alias clientem suum, atque etiam inhibebat ab ineundo matrimonio cum per-

sona, quae ex principiis Religionis Catholicae alterius adhuc uxor debebat haberi. Hic morem laudabiliter gessit sincerae ardentique caritati illi, quae urgere Episcopum continuo debet, ut explicitis amoris paterni brachiis, spirituales filios suos complecti, et a praecipitio satagat evellere. Usus praeterea est auctoritate illa, quam Episcopis anni 1791. art. 26. §. 11. sartam reliquit detulitque. — Inito denique matrimonio disparis religionis, coniuges hos ad tuendam causam suam in faciem Consistorii Episcopalis citari iussit, causam examinavit, in reos sententiam ex mente canonum dixit, huiusque executionem apud I. Universitatem Cottus Gömöriensis sollicitavit. Pedem ad singula haec fixit sub potentissima utique sanctionum Patriarum protectione, factorumque horum suorum coronatos habet evictores, S. Stephanum, Colomannum, Mathiam Corvinum, Ferdinandum et Leopoldum 2. — Unum est, quod cum animi quodam renisu contingimus: Summi scilicet Terrae Principis clementissimo mandato, quo pastoralis illius epistolae retractatio praecipiebatur, non paruit. Hic, Eminentissime Domine, humeros contrahimus, palpebras submittimus, et quid in his adiunctis ab Episcopo, qui Deum, Regem, prementisque humeros suos officii sanctimoniam prae oculis mentis habet, fieri potuerit, debueritque, sublimi integerrimoque Eminentiae Vrae iudicio definiendum substernimus.

Quam luculenter haec innocentiam Praesulis nostri ob oculos ponunt: tam etiam illud certe evincunt, quod Princeps religiosissimus debita de indole negotii huius informatione destituatur hodiedum. Quis enim sibi persuadeat, ut Rex aequissimus, qui in ipso Solii Regii aditu contestatus coram mundo est, velle se famulas sibi nationes lege et fide gubernare, hanc ab Episcopo literae pastoralis retractationem, quae legi et fidei tam est opposita, exigat, et in integerrimo Antistite ideo Regiae auctoritatis suae statuat exemplum, quod in matrimoniali casu hoc singulos gressus suos ad omnes legis et fidei apices curatissime exegerit? Profecto tenera illa devotio, qua animi nostri optimo Principi devincti sunt, non modicam de eo nobis sollicitudinam inii-

cit, ne paterna haec insontis Episcopi castigatio Regii nominis splendori umbram aliquam olim inspergat.

Dum nos, Eminentissime Domine, hanc gratiosissimi Praesulis nostri innocentiam propugnamus, dum intemeratam illam et plurimis exemplis testatam in Terrae Principem fidelitatem, pronamque illius in Civiles Jurisdictiones reverentiam commemoramus: non eo unice defiguntur conatus nostri et consilia, ut temporaneos Episcopatus sui reditus illi vindicemus; haberet hos ille etiamnum, nisi dudum illos virtuti et religioni posthabuisset; nostram potius, nostram propriam, et carissimae Matris nostrae Ecclesiae Hungaricae, cuius in Eminentia Vra caput aureum veneramur, rem urgemus. Jacet prostratus Episcopus noster, et ut agendo prius, ita patiendo nunc vere magni Sacerdotis dat nobis exemplum; at non iacet solus; iacet etiam cum illo Fides nostra, iacet conscientia. Quae cum ex iisdem sanctissimis Religionis Catholicae fontibus sint haustae, arctissimo sibi vinculo nexae, imo eaedem prorsus et erunt et sunt. Ut adeo vulnus illius, vulnus etiam nostrum esse existimare vere possimus. Quid vero de altissimis in negotio progenitarum e mixtis matrimoniis prolium mandatis, quid de ipsa lege Patriae commemoremus? iacent et ista, quorum nullam observantiam, nullam efficaciam tam Excelsum Consilium, quam Ipsa quoque Maiestas SSma displicenter plane experiuntur. Protestantes multiplicibus Maiestatis Regiae mandatis ex lege Regni desumtis prorsus temerarie sese opponunt, nec tamen quidquam triste formidant. Praesulem nostrum sanctissimum disciplinae Ecclesiasticae ipsi fidei iunctae et legi Regni inhaerentem ideoque adversus conscientiam agere renitentem perditum volunt, et apud Apostolicum Regem perurgent. Hinc vel tacentibus nobis perspicere dignatur Eminentia Vra, in quas simus redacti angustias. Maccrat nimirum nos casus praesentis acerbitas, aliorum autem similium metus percellit. Soluta iam sunt et solvuntur in dies Protestantium coniugum per Civiles Jurisdictiones in ambitu Dioecesis nostrae tot matrimonia, ut timendum sit, ne eliminatus per Christum ex Evangelio Judaici repudii libellus sub cultiori titulo in Evangelium ite-

rum irrepat. Quid pronius, quam ut coniuges hi personarum catholicarum matrimoniis innectere se desiderent? Nos autem quid in his eventibus salubris consilii capiamus, prorsus non pervidemus; si nuptiis his annutum et praesentiam nostram impertimur, Deum et conscientiam vindicem expavescimus; si repugnamus illis, Regiae Maiestatis indignatio formidanda nobis est. Triste utrumque, utrumque acerbum! Obtrudat porro, ut facile potest, haec se tentatio Dioecesano alteri. Iste in hoc rerum situ aut aeque ultionem optimi Caesaris in caput suum provocet, aut fide ab eiusdem patriae Episcopo sese separet, est necesse. Scintilla haec est, Eminentissime Domine, quae, nisi iunctis Maiorum Regni Sacerdotum praefocetur dexteris, in totam Hungaricam Ecclesiam si non flammas, incommodissimum certe fumum est importatura.

Nos fluctibus his iactati et portum et aram in Eminentia Vra unice nobis constituimus. Novimus nos illud tot virtutum et meritorum insignibus externe radians Eminentiae Vrae pectus flagrare interno sacro Religionis incendio. Dulci cum solatio experti iam sumus, non minimam cordis Regii partem in Eminentiae Vrae dexteram sese dimisisse. Defigat Eminentia Vra paternos oculos suos in rei, quam agimus, gravitatem paulo attentius. Respiciat benigne humiliatum paulisper gratiosissimum Antistitem nostrum, et cum ipso Dioecesim quoque hanc nostram, minimam licet, non ideo tamen contemnendam Ecclesiae Hungaricae partem. Vir vere consiliorum est Eminentia Vra, et habet scientiam sicut Angelus Dei! inveniet procul dubio viam aliquam, per quam procella haec a Praesule nostro, a nobis, et a tota Hungarica Ecclesia felicissime depellatur.

Spe tenemus certissima, quod religiosissimus et omnium optimus Princeps, magnorum quondam Galliae Regum Henrici IV. Ludovici XII. et XIII. laudatissimis vestigiis insistiturus, hanc paululum severiorem altissimam ordinationem pro ingenti pietate sua mollititurus, et menti Canonum Ecclesiasticorum, legumque patriarum clementissime accomodaturus sit, modo sincere, nervoseque de his edoceatur: *primo*, quod Episcopis ab Oecumenici C. Tridentini

plano strictoque canone, disciplinaris eo, quo exposuimus, sensu, aut dogmaticus ille sit, recedere conscientia admittere nequeat; *secundo*, quod summum Ecclesiae caput Pontifex in obsequium toties memorati Canonis id ab Episcopis diserte exigat, ut causas vinculum matrimonii attinentes per fora secularia pertractatas, ubi fieri aliter non potest, summarie adminus sub suum iudicium revocare teneantur; *tertio*, quod Episcopi Hungariae per ipsam SSmam Maiestatem articuli 26. a. 1791. confirmatione certi de eo iam redditi sint, quod conscientiae ipsorum ad agnoscendum sententiarum de vinculo matrimonii per Judices Civiles latarum vigorem cogendae nequaquam sint.

Quod porro singularem hunc gratiosissimi Praesulis nostri casum concernit, cum ille matrimonii mixti sit, virtute art. 26. §. 16. a. 1791. per Episcopale Consistorium pertractari necessario debet: Consistorium autem istud ferre sententiam, quoad anterius sponsae matrimonium, etiamsi istud principiis Rel. Catholicae non adversaretur, etiamsi patrocinium in hoc praelibati art. 26. §. 11. non haberet, ea ex ratione non posset, quod sententia fori Secularis ad examen legalium altiorum Fororum deducta nondum sit, sint autem momenta non pauca, quae totum illum sponsae metum, qui praetenditur, suspectum iure faciant, et ideo de reformanda per sublimiores Judices primi Judicii sententia spem non modicam praebeant.

Fortia haec et luculenta sunt, quae Eminentia Vra pro celebratissima dexteritate sua, sublimisque officii sui ratione Augustissimo Principi proponere si benignissime dignata fuerit, non possumus, ut iam praemisimus, certissime non sperare, gratiosissimum Praesulem nostrum a sua calamitate, nos autem a molestissima sollicitudine clementissime redimendos esse. In reliquo. Rosnaviae, die 28. Martii 1797. Capitulum, et Clerus Rosnaviensis.

Provocatae sub A. Pastorales literae Episcopi.

Admodum Reverende etc. Cum egregius N. N. quem trinis iam vicibus pro Pastoralis mei officii obligatione admonendo iuxta ac obsecrando conveneram, ut a Nobilis N. N. Egregio

N. N. coniunctae et secundum Helveticae Conf. principia per Civile Judicium divortiatae cohabitatione recederet, gressumque a praecipiti revocaret, nullis meis seu precibus, seu monitis locum usque adhuc dederit, atque in isto lugendo statu, quo Sacramentorum particeps reddi nullatenus potest, (utpote vel ipsius Sacramentalis absolutionis incapax) etiamnum perseveret: ad omnium Dioecesis meae Sacerdotum notitiam pervenire volo, ne quis ipsum durante hoc viri istius statu habituque cuiuslibet Sacramenti participem reddere praesumat. Quod Dom. Vra singulis in suo Districtu cuiuscunque professionis et status Presbyteris notum reddet. Per occasionem hanc omnibus animarum curatoribus et verbi Dei praeconibus stricte committo: ut per tres minimum continuos dies Dominicos, aut festos populum de fidei capitibus in SS. Tridentino Concilio propositis minutim edoceant, quo plene intelligant fideles, per neminem Catholicorum agnosci posse vinculi matrimonialis nullitatem, quae secundum Augustanae, et Helveticae Confess. principia per Civile Judicium asserta sit; ut adeo praetensae etiam cuiuslibet copulationis titulo ita divortiatae personae (etiamsi ad Catholicam fidem conversa esset) cohabitare catholica persona nequeat, nisi citra Sacramentorum, quorum particeps reddi nulla ratione potest utpote vel Sacramentalis absolutionis durante hoc statu habituque incapax, usum vivere infelix velit. Rosnaviae, die 8. Augusti 1794.

Provocata sub B. repraesentatio Episcopi ad Reg. Maiestatem.

Augustissime etc. Posteaquam altissimo Maiestatis Vestrae iussu isthuc adveni, intellexi ex ore Exc. D. C. Procancellarii, me, quod omni temporali iactura mihi utique gravius est, displicentiam Maiestatis Vrae incurrisse, quod altissimis mandatis in causa Egregii N. N. et nobilis foeminae N. N. morem non gesserim. Testis mihi est Deus, cui servio, et ante cuius Tribunal aliquando stabimus, nihil mihi in votis post Deum esse magis, quam ut Maiestatis Vrae non iussui, sed vel nutibus respondeam; facturus itaque certissime eram, quidquid in hac causa etiam a me

exigebatur, si per Deum licuisset; sed quod secundum Deum et salva conscientia illius, qua in Maiestatem Vram feror, fidei, pietatis, et subiectionis facere non possum, potuique, minus certe facere possum poteroque cuiuscunque temporalis detrimenti, incommodique declinandi gratia. Unius certe duntaxat Dei, quem solum Maiestati Vrae praefero, respectu coactus, hanc humillimam declarationem facio: quod ut porro etiam clarius pateat, sequentia, quae a tempore alterius clementiss. Resolutionis, mense Augusto a. p. ad me perlatae partim cogitanti in mentem, partim casu quopiam in manus venerunt, et ad pleniorem adhuc causae huius dilucidationem serviunt, Maiestati Vrae demississime de genu substerno.

Sicut ex Fidei Cath. doctrina, quam conceptis his verbis can. 5. Sess. XXIV. Conc. Tridentinum proposuit: „Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit," suapte sequitur: nullum Catholicum agnoscere posse, vinculi matrimonialis nullitatem, quae ex causis fidei Catholicae repugnantibus per quodcunque iudicium asserta sit: ita prorsus ex fidei catholicae doctrina, quam his verbis concepto can. 12. eiusdem Sess. C. Tridentinum proponit: „si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit" suapte sequitur, nullum Catholicum agnoscere posse nullitatem vinculi matrimonialis ex qualicunque causa, etiam fidei cath. non repugnante, per Judicium Seculare assertam. Quidquid enim sit de scholarum quaestionibus circa Ministrum Matrimonii et circa Sacramenti rationem, an ea nimirum in quibusdam casibus abesse possit: apud omnes omnino Catholicos certum est, esseque debet, non scholarum sententias, sed Ecclesiae decisiones canonesque dogmaticos infallibilem regulam agendorum esse oportere, nec posse ex scholarum sententiis canones explicari, sed ab his debere sententiarum rationes et momenta peti. Atque ut a magis communi potioreque dogmate pressius et constrictius arguam, quemadmodum hoc ipso, quod Ecclesia in Conc. Tridentino collecta can. 1. Sess. VII. definiat nec plura nec

pauciora esse quam septem Sacramenta, omnis catholicus agnoscere debet errare illum, qui sentit et dicit, non esse septem Sacramenta: ita prorsus eo ipso, quod Ecclesia in eodem Concilio hunc Can. 12. Sess. XXIV. proponat, „si quis dixerit, causas matrimoniales etc." omnis Catholicus agnoscere debet, errasse illum, qui sentit aut dicit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos. Sed si istud agnoscere debet, minus utique potest ipse ita sentire aut dicere, et cum secundum fidem vivere oporteat, nec potest in contrahendo vel contracto matrimonio Ecclesiasticum Judicem excludere, et declinare. Quemadmodum enim citatus Canon et eo comprehensa Catholicae Fidei veritas suam relinquit Civili Potestati in causis matrimonialibus auctoritatem: ita nullo Civilis Juris obtentu Ecclesiastici Judicii auctoritas in causis matrimonialibus canone hoc asserta minui restringique potest. Atque ista sunt, quae pro uberiore causae et negotii declaratione prioribus adiicienda mihi interea in mentem venerunt. Casu insuper accidit, ut in manus meas venirent haec in Epistola Summi Pontificis ad Serenissimum olim Ducem Würtembergensem, et responsis ad Episcopum quemdam datis Romanae Ecclesiae — quae Ecclesiarum omnium Mater et Magistra, unitatisque centrum est, ad quam propter potentiorem principalitatem omnem necesse est convenire Ecclesiam, et omnes, qui undique sunt, fideles — sensa, quae clarissima in luce ponunt, quid secundum fidei catholicae principia in similibus casibus fieri possit. Atque ex his et aliis, quae dudum in hac causa exhibueram, momentis satis superque perspici potest, me non quopiam veritatis fuco, sed plena solidaque animi convictione iis, quae in hoc negotio scripsi, egique, ita inhaerere debere, ut non ad immolandos corruptibiles bonorum fructus, sed ad vitam ipsam conservandam paratum me esse oporteat; omnis enim vere fidelis pro fidei veritate sustinendam mortem lucrum reputat, et omnis pastor animam ponit pro ovibus suis.

Qualibet demum molestia etiam ego afficiar, numquam profecto seu saluti infelicis huius viri catholici, seu matrimonii firmitati, seu successionis, si quae ex his nuptiis na-

scerentur proles, securitati consuletur alia via, quam si Ecclesiasticis Judiciis causa definienda relinquatur; illa ceteroquin, quae apud Comitatum acta est, spectatis etiam principiis, iuxta quae Comitatensia Judicia quoad effectus civiles causas matrimoniorum inter partes alienis confessionibus addictas contractorum decidunt, ea parte vitium habente, quod praescripta gradualis appellatio a Foro Cottensi neglecta fuerit.

Dignetur itaque Maiestas Vra demississimas meas preces clementer exaudire, ut si non plus aliquid clementer constituere visum fuerit, saltem liberum relinquatur viro huic, cuius cor miserentis Dei gratia semper utique adhuc ad meliora revocari potest, causam suam legitimo Ecclesiae Judicio substernere, quo et eiusdem saluti, et si fieri potest, matrimonii etiam firmitati, ipsique successionis securitati consulatur, atque ita Maiestatis Vestrae intentioni plenissime et per omnia satisfiat.

Provocata sub C. Epistola Pii VI. ad Ducem Würtembergicum.

Dilecto Nobis Filio etc. Cum pervenisset ad aures Nostras, iam nuptias a Nobilitate Tua contractas esse cum Comitissa de Hohenheim, refugiebat plane animus, ut huic rumori fidem adiungeremus; multum enim praeteriisse temporis videbamus, ex quo Te amantissimis literis Nostris die 23. Maii 1781. datis dehortati ab eo consilio fuimus, neque quidquam tanto spatio actum a Te esse, ac ne cogitari quidem audiebamus, proinde Te Nostris paternis monitis, seu potius precibus acquievisse ac ab eo proposito plene recessisse Nobis persuadebamus, Deoque plurimas agebamus gratias, quod Te a tanto salutis Tuae periculo removerit. Sed tandem contra spem Nostram invitissime credere a re ipsa coacti sumus, quod minime factum esse vellemus, quodque in summum animi nostri moerorem ac maximas sollicitudines Nos coniicit. Et quomodo nunc dissimulemus Tibi dolorem hunc Nostrum ipsi? quomodo Te Nostro fletu de Tua pernicie non revocemus? quomodo paternam manum non porrigamus ad amantissimum in Christo filium e tanta prola-

psione sublevandum? Patere igitur, ut hoc ingratum animo adhuc exulcerato, sed tamen saluberrimum Tibi praestemus officium, et voce non blandiente, sed vera et plane evangelica dicamus: non licet Tibi habere uxorem, quae alterius est etiamnum viventis viri. Atque hic non ignoramus, quas ad causam Tuam rationes afferas, et dissolutum nimirum per heterodoxorum tribunal illud primum a muliere initum matrimonium, et aliquot Theologorum a Te consultorum Tuo faventem animo sententiam. At Nos et Apostolica haec Sedes, ac universa Catholica Ecclesia eam tenet doctrinam ex SS. Literis haustam, constantique sensu comprobatam: matrimonii vinculum inter qualescunque sacrò baptismate tinctos semel validum (quale ex ipsis Tuis literis primum illud praefertur) siquidem consummatum sit nullo unquam pacto, sin ratum duntaxat, nulla ratione et via alia, quam quae Apostolicae Traditionis in Ecclesia Catholica servatur, solvi posse. Non hic locus est dissertationem Nobis ad eam doctrinam confirmandam texere, cum satis omnino esse debeat Tibi, qui Catholicus es, eam per Nos ipsos agnosci. Quod igitur a Catholicis reprobatur, et ipsi etiam Seculares Principes e Protestantibus, invitissimis in Te conspiciunt oculis, si aeque a Te non repudiatur, nimis ab ea, quam profiteris, Religione, ac Tuae Domus dignitate dissides. Et quid Nos aliud a Te nunc flagitamus, quam ut conscientiae Tuae, Tuaequae existimationi consulas? apud Te causam Tuam agimus, non alia ratione, quam precibus, lacrymisque Nostris, quam Te per Deum vivorum, ac Dominum nostrum Jesum Christum obsecrando, obtestandoque, ut videas, quo progressus sis, ut Tuo ipsius consilio, Tuae voluntatis decreto, Tuaque prudentia modereris animo Tuo, exhibeasque praeclarum hoc fortitudinis ac virtutis documentum. Deum interea Patrem, eiusque Filium, quanta possumus, animi contentione flagitare non intermittimus, ut Te recipiat, ut per S. Spiritus afflatum in viam salutis Te referat. Ac ad magis provocandam divinam in Te benignitatem Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae ex intimo paterno sensu profectam peramanter impertimur.

Datum Romae die 30. Decemb. 1786.

Provocata sub eodem C. Instructio Sedis Apostolicae ad Episcopum quemdam Austriacum.

Sedulo perpensis in Congregatione suprema universalis Inquisitionis coram SSmo Domino Nostro Pio VI. habita Fer. V. die 28. Augusti curr. anni nonnullis quaestionibus ab Amplitudine Tua propositis circa matrimonia, Eadem Sanctitas Sua per institutionem respondendum mandavit, quae est huiusmodi. Primum, cum perspectum, exploratumque Amplitudini Tuae probe sit, sententias latas a foris secularibus et Consistoriis Acatholicis, quibus matrimonia vel declarata fuerunt invalida, vel soluta fuerunt, nullius roboris, ac momenti esse: hinc eadem Amplitudo Tua nemini poterit permittere, in vim earumdem sententiarum transitum ad alias nuptias, sed priusquam transitum ad alias nuptias permittat, ad examen revocare debebit in casibus particularibus: utrum intervenerit impedimentum dirimens canonicum, ex quo revera nullum declarari matrimonium possit; nihil tamen impedimento erit, quominus in huiusmodi iudicio instituendo utaris actibus factis a foris secularibus et a Consistoriis Acatholicis tamquam probationibus extraiudicialibus. Attentis vero peculiaribus circumstantiis ab Amplitudine Tua expositis, eadem Sanctitas Sua benigne facultatem ad quinquennium Tibi impertitur, procedendi summarie instituto iudicio in horum impedimentorum examine, quoties aliter fieri nequeat, deputata tamen persona aliqua, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu Juris scientiae pariter et vitae probitate praedita, quae Defensoris Matrimoniorum munere fungatur. Praeterea ut rectum Amplitudo Tua efformare iudicium possit de validitate aut nullitate matrimonii ab N. N. cum N. N. ex metu gravi, ut praetenditur, contracti, opportunum apprime erit, quod prae oculis habeat tutissimas sequelas, quas Doctores passim assignant circa spontaneam cohabitationem utriusque coniugis, quae subsequitur coniugium metu gravi initum, itemque quod probe perspectam habeat formulam, qua matrimonia iniri solent eo in loco, in quo praefatum matrimonium celebratum fuit. Quodsi transitus ad alias nuptias petatur propter non servatam formam a Tridentino Concilio praescriptam Sess.

XXIV. de ref. matr. cap. 1. vel in matrimoniis contractis ab haereticis inter se, vel ab haereticis cum catholicis: magno adiumento poterit esse Amplitudini Tuae Instructio transmissa die 20. Aug. 1780. Episcopo Rosnaviensi. — Quod vero spectat sententias latas a foris secularibus, quibus non ita pridem duo matrimonia contracta ab haereticis inter se soluta fuerunt, unum quidem ob desertionem viri a duodecim annis, alterum ob desertionem mulieris ab annis septemdecim: Amplitudo Tua probe tenet, eas nullius roboris ac momenti esse, et idcirco in vim earumdem sententiarum nec mulieri pro eo, quod spectat matrimonium primo loco commemoratum, nec viro pro eo, quod spectat matrimonium secundo loco commemoratum, poterit permittere transitum ad alias nuptias. Neque vero illud praeteriri silentio debet (quod profecto est exploratissimum), ob desertionem sive viri sive mulieris matrimonii vinculum dissolvi non posse. Quapropter diligentissime cavere debebis, ne sive mulieri sive viro solutis a matrimonii vinculo in vim sententiae a Foris secularibus latae, sententiae nimirum, quae nullius est roboris, adeoque ob causam expresse reprobatam, transitum ad alias nuptias permittas. Ceterum si a muliere, aut viro petatur transitus ad alias nuptias ob praesumtam mortem coniugum, a longo tempore absentium, magno poterit esse adiumento Resolutio, quam SSmus Dnus Noster sequentem in modum efformavit: ad probandam mortem alterutrius ex coniugibus sufficere veram moralem certitudinem etiam sine teste de visu. Tandem si in aliquo particulari casu nequeat Amplitudo Tua quidquam decernere propter negotii difficultatem, deferre illud debebit ad Sedem Apostolicam, priusquam transitus ad alias nuptias aut denegetur aut permittatur. Quod praesertim observandum erit, si agatur de matrimonio contracto non servata forma praescripta Sess. XXIV. de ref. matr. c. 1.

Monumenta ad Epocham IV.

350—354.

Acta in merito mixtorum matrimoniorum sub Comitiis Regni a. 183$^{2}/_{6}$ celebratis interventa.

a) 350.

Nuncium I. Tabulae Statuum ad Proceres circa religionaria Evangelicorum gravamina, et signanter mixta matr. e Sessione XV. die 8. Febr. 1833. celebrata.

Unio est Reipublicae robur, ac potentiae firmissimum fundamentum: huius effectum intendebant Suae Maiestatis SSmae gloriosae reminiscentiae antenati per Viennensem ac Lincensem pacificationes Legum tabulis illatas. Sparsum attamen subseque per altiores Resolutiones dissensionum semen SS. et OO. anno 1790. diaetaliter congregati cernentes, revectionemque mutuae inter eiusdem Patriae filios fiduciae optantes, eotum regnantis Principis consensu fine perpetuae harmoniae, ac arctioris vinculi, condidere articulum 26. ad praeattacta foedera provocantem, iisque innixum. Nunc, dum per Suam Maiestatem ad firmandam internae felicitatis basim, vinculaque mutuae inter Regnicolas necessitudinis arctius adstringenda, ad fundandam rogandis novis legibus in omne aevum perennaturam, augendam item prosperitatem publicam benigne provocamur, convicti nationem tunc solum perenni ac felici in nexu conservari posse, si iura eiusdem in tota sua integritate illaesa foveantur, legibusque innixa iusta vota haud coarctentur: reticere non valemus substrata — praeferentialia merito comitantia Religionaria gravamina.

Haec inter gravamina — primum locum occupant *Reversales*, seu conventio parentum de educatione gignendarum prolium qua in fide suscipienda inita. Praeter id, quod Re-

versales hae Pacificationibus Viennensi et Lincensi, ac etiam Art. 26. 1790. contrariae sint — rogata enim lex, et pacta foederis omne arbitrium excludere debent — Parentum una sanctissimam ratione educationis prolium libertatem coarctant, exuunt discretionis annos attingentem, naturali ac legali iure optimam quam perspicit esse Religionem sequendi, adversantur denique parentali propensioni, nam ad id sequendum adigitur proles, cuius praestantiam ipsi parentes facto haud testantur. Tam ob haec igitur, quam et ea de causa, quod reversales per piae memoriae M. Theresiam introductae anno iam 1785. per Divum Josephum 2. Imperatorem plenarie abolitae solum anno 1792. in obversum legis, per executivam duntaxat potestatem, medio rescriptorum sint in usum vocatae; accedente et eo, quod per impeditam copulationem physicae vi sed et coactioni morali ansa praebeatur, et per hanc affectuum impetu abreptis ac ob id magis sacrarum obligationum immemoribus, mox acerbus dolor inferatur, non raro male contentus animus producatur, iurgia ac contentiones cieantur in matrimoniali foedere, ad assequendam brevis calamitatum plenae vitae beatitudinem instituto. Demum reversales hae et substrato carent; ad antevertendas igitur sinistras interpretationes, ad fundandam a tot seculis antelatam perpetuam harmoniam praeter sublationem legi adversarum attactarum reversalium indeclinabile est, ad exemplum aliarum Provinciarum, Patriae legum tenori, spiritui item seculi conformiter id lege stabiliri: ut cunctae proles sicut Patris conditionem sequuntur, ita religionem quoque discretionis usque annos sequi teneantur, iure, ubi discretionis annos attigissent, Religionem eam deligendi, quae convictioni respondet, animi quietem procurat, taliterque ad summam felicitatem assequendam aptissima est.

Devitabitur sic, ut sub praetextu mansvetae Christianae Religionis cum conculcatione sanctissimorum parentalium iurium proles e parentum sinu eripiantur, a sponso ante nuptias sponsa, aut his etiam initis dilecta super omnia uxor vi ac potentia abducta peregrinis committatur manibus. Opprimitur per haec inter proles arctissimo sangvinis nexu

iunctas, in diversa tamen religione educatas occulte pullulans discordiarum semen, ac inter parentes abditarum licet non raro tamen prorumpentium amaritudinum germen, Patria tandem hucdum exoptatae equidem, ast vane adexspectatae unionis ac concordiae particeps reddetur, quam ab inita Westphalica Pace ceteris in Regnis restabilitam cernere licet.

VI. Gravamen constituunt, *Recopulationes*, quae, nulla harum mentione Art. 26. 1790. iniecta, attactae legi nec inniti possunt, adversantur praeterea Religionis Evangelicae principiis, inamoenis quoad legitimitatem prolium ante recopulationem susceptarum quaestionibus ansam praebent, necesse igitur est, ut hae penitus sufferantur.

IX. Quoad divortiales causas inter diversae religionis personas, naturali aequitati magis consonum equidem videretur, ut actor Incatti forum sequatur; credita attamen Sedibus Spiritualibus hac provincia per §. 16. Art. 26. 1790. cum iuxta Evangelicorum principia matrimonium ut Sacramentum considerari nequiret, si divortio perpetuo quoad thorum et mensam locus esset, rupto per hoc quoad partem evangelicam matrimonii quoque vinculo, naturale est, eidem indultum ad ineunda secunda vota concedendum esse. Nullatenus attamen extendenda lex haec ad casum, si utraque pars evangelicam religionem sequens, legitima sententia mediante divortietur, nec si partium alterutra aut pendente lite, aut adinvento iudicialiter perpetuo divortio ad aliam religionem transeat. Nam sic solum devitabitur conflictus sententiarum eodem in merito ac eadem in causa per varia fora ferendarum, sic antevertetur offendiculum inde emergibile, quod latae per forum legitimum sententiae e diametro oppositum iudicium feratur per Jurisdictionem aliam, cuius activitatem excedit, sententiam non solum alterare, ast vel in scrutinium sumere.

b) 351.

Reflexiones Procerum ad praeattactum Nuncium, e Sessione XXXIX.

— Cum Status et Ordines contractus sive Reversales circa educationem prolium e mixtis matrimoniis progenitarum in quanam religione suscipiendam hactenus usitatas attingendo, penes harum praetensive illegalium abolitionem, simul id quoque assequi desiderent, ut modificata Art. 26. 1791. dispositione, in futurum omnes proles usque 18. aetatis annum Patris religionem sequi obligentur, hoc autem emenso conformiter suae convictioni eam religionem eligere possint, quae internam ipsarum tranquillitatem maxime procurat; ac proinde hic non tantum gravaminis medela, sed insuper novi etiam postulati propositio subversetur: Proceres quoque duplex hoc objectum ab invicem separando, reflexiones suas distincte proponunt.

Quoad *primum* igitur: quo accuratius resolutiones normales intuitu quaestionatarum Reversalium emanatas, et cum his connexas alias circumstantias expendunt ac ponderant: eo firmius convincuntur, similes contractus, pariter ac alia quaevis inter privatas personas super quocunque obiecto libere et licite inita pacta, siquidem nec per Art. 26. 1791. nec aliam legem sublati sint, illegales dici nullatenus posse. Verum quidem est, sub Josepho 2. Imp. abolitas esse eas Mariae Theresiae ordinationes, quae matrimonia mixta absque Reversalibus iniri vetabant: ast dispositionem hanc ad contractus spontanee ac libera voluntate initos nnmquam extensam fuisse, usus perpetuus tum sub imperio Josephi 2. tum deinceps in hodiernum usque vigens, sat superque testatur. Quamvis itaque Proceres in hac parte gravamen nullum inveniant, et quaestionatas Reversales legi adversas nec agnoscant: ad optatum nihilominus consensum primum gressum figere desiderantes, non sunt contrarii, ut, cum nulla positiva lege impediantur, illis, quae hactenus datae sunt, si secus plena cum libertate et suo ordine emanarunt, in vigore relictis, in posterum edendae omni vigore destitutae declarentur. Quoniam vero in Patria nostra Sponsalia etiam

absque consensu Parentum admissa sint, ne sublatis Reversalibus juniores personae in primo aestu talia matrimonia ineant, in quibus postmodum perpetuos inter angores vitam ducerent, hac occasione id stabilire opportunum imo necessarium iudicant Proceres, ut posthac coniunctio personarum mixta matrimonia inire volentium usque annum 18. — qui in futurum pro anno discretionis legetenus defigi posset — haud alias, quam cum consensu Parentum fieri permittatur.

Ast longe diversam subit considerationem *alterum* Statuum ac Ordinum postulatum: ut in posterum modificato articulo 26. 1791. proles omnes e mixtis matr. usque annum 18. Patris religionem sequantur, abhinc vero libere Religionem deligere valeant. Nam quocunque ex puncto motiva illa considerentur, quae SS. et OO. ad fulciendum hoc suum postulatum in medium proferunt, non sunt tanti momenti, ut modificationem praeattacti Articuli Pacificationibus Viennensi ac Lincensi innixi, et quoad quaestiones religionarias inter Catholicos et Evangelicos occurrentes normativi, simulque fine stabiliendae perpetuae harmoniae ac pacis conditi; et ea cumprimis parte, qua religionem prolium e mixtis connubiis suscipiendarum definit, per ipsos Status ac OO. pro fundamentali agniti, necessariam reddant. Quare Proceres modificationi projectatae, quam insuper non modo legi, verum et principiis Religionis Cath. oppido adversari censent, assentiri non possunt.

Puncto VI. propositum postulatum, ut recopulationes in posterum sufferantur, eo sensu, ut lex eatenus ferenda illos duntaxat, qui a teneris Confessionem Evangelicam sequuti per Ministrum bona fide, et absque fraudis aut doli interventu copalati sunt, respiciat —, Proceres acceptant.

Punctum IX. bifariam dividitur: nam primo id petitur, ut pronunciato divortio, pars acatholica in mixtis matr. ad nova vota libere commeare possit; in altera vero parte enunciatur, legem praeexistentem nec ad eos, qui occasione initi matrimonii Evangelicam Confessionem sequuti, per forum competens divortiati sunt, nec ad casus illos extendatur, ubi partium alterutra seu durante lite, seu post pronuncia-

tum divortium Religionem Catholicam amplexa fuit. Parti primae Proceres ex eo accedere nequaquam possunt, quod, cum apud Catholicos omne matrimonium sit indissolubile, iudicatus Sacrarum Sedium in matr. mixtis numquam eousque extendi possit, ut pars evangelica ad ineunda nova vota libera pronuncietur. Partem alteram autem proiecti Statuum in sensu *postulati* non difficultant.

c) 352.

Nuncium II. Tabulae Statuum, e Sess. XL.

Reflexiones circa abolitionem Reversalium — et libertatem eligendae cum annis discretionis religionis per Proceres propositae, Status et OO. permovere haud possunt, ut opinionem eorumdem Procerum suam faciant: sed porro etiam argumentis suis insistunt.

I. Reversales non tantum nullum in art. 26. 1791. cuius scopus perdurans harmonia, et principium Viennensis ac Lincensis pacificationes constituunt, fundamentum habent: sed potius per eundem articulum, libertatem religionis in perpetua tempora stabilientem, quaevis successu temporis in obversum eiusdem, prout et Pacificationum perlatae ordinationes, resolutiones, interpretationes ac privilegia tamquam sublata censenda sunt. Nec valent SS. et OO. assequi, qualiter dici possit, propositam per ipsos antelatae legis modificationem sibi non satis cohaerere: postquam certum est, in hoc Regno Potestatem executivam haud aliter quam secundum sensum literalem legis fungi, et resolutiones edere posse, interpretationem autem legis vigore art. 12. 1791. ad Corpus Legislativum spectare. — Sed porro Reversales pro pactis inter duas partes initis haberi non possunt: nam ubi una solum pars est libera, alia vero a contractu arcetur, ibi deest libera voluntas, ad pactum ineundum necessaria: nec iustitia illic potest existere, ubi similes cum restrictione unius partis contractus usuveniunt. Ubi lex ipsa naturalis prohibet, ibi pactum locum non habet, unde nec opus fuit contractus naturae adversos lege positiva civili vetare, cum quod lex naturae prohibet, huius nova per legem civilem prohibitio superflua sit: imo etsi daretur lex civilis cum laesione hu-

manitatis quidpiam seu permittens seu prohibens: eiusdem sublatio ad primas partes pertineret Legislatoris: idque eo magis nunc, dum cultior ac mansuetus seculi genius perpetuum illum sclavismum in orbe sufferendo, pactiones quoque de personis inire cavit. Errores, abususque in legem irrepentes emendare semper est officium legumlatoris: imo maius est officium removere ea, quae aut contra legem, aut sine lege existunt. — Quinimo tametsi Reversales instar contractus veri nominis inter duas partes initi haberi possent: ii tamen ad summum contrahentibus legem ponerent, et mutuo resultu cessarent, quin interventus tertii eorumdem solutionem impedire valeat; non videtur itaque, qua ratione Regimen ius pro se vindicare possit ad coactivis quoque mediis procurandum contractuum istorum implementum: Regimen enim pro parte contrahente alioquin nullatenus considerabitur.

Ipsi Proceres perspiciendo utilitatem et aequitatem abolitionis Reversalium, illas pro futuro sufferendas non difficultant: quid igitur earumdem pro praeterito manutentionem postulet, Status non concipiunt, imo earum sublationem omnimode urgent; cum ex retentione et vigore illarum inamoenissimas sequelas, puta paeis turbationem ex investigatione certo certius oriundam, praevideant, nonnisique sublatis universim Reversalibus medium illud adfuturum censeant, cuius ope Concives ex incerto statu et dubio eripiantur, legaleque remedium ad sanandum vulnus nanciscantur: id quod iure optimo se postulare posse sibi videntur.

Quod ad projectum Procerum, ut annus 18. pro ineundis mixtis matrimoniis stabiliatur, eoque attacto partes contrahentes libere, et sine consensu parentum matrimonium inire possint, adtinet: id Status et Ordines in numero veri nominis impedimentorum desiderati mutui consensus habent. Si praefixus excelsus finis obtineri desideratur, iura Religionum per Legem receptarum aequalia esse oportet.

Modificationi porro, quam Status ac OO. circa liberam religionis post annos discretionis electionem in suo Nuncio, non uti postulatum, sed tamquam inevitabile gravaminis tollendi remedium proposuerunt, iidem ultro quoque in-

sistunt; hocque eo magis, cum in exteris etiam Regnis, in quibus Religio Catholica floret, principium illud vigeat: quod quilibet maturam aetatem assecutus eam religionem sequendam deligere possit, quae ipsi opportunissima videtur ad internam tranquillitatem, et per hanc ad aeternam quoque beatitatem obtinendam. Sed nec adversatur huiusmodi transitus a Religione Catholica ad aliam articulo 26. 1791: nam hic in tantum solummodo fundamentalis est, in quantum Pacificationi Vienn. ac Linc. et legibus in sensu illarum a. 1608. et 1647. conditis innititur: iam vero in his pacificationibus ac legibus, Diplomatibus quoque Inauguralibus Regum illatis, id diserte continetur: integris etiam Communitatibus liberum esse, ab una ad aliam religionem transire.

VI. Circa Recopulationes ea modalitate, ac in priori Nuncio proposita habetur, gravamen Suae Maiestati repraesentari porro quoque petunt SS. et OO.

IX. Nec quoad ea, quae circa causas divortiales et facultatem ad alia vota transeundi partis evangelicae in priore Nuncio proposita sunt, recedere ab his possunt SS. ac OO. plene convicti, quemvis iuxta proprias duntaxat Confessionis, quam profitetur, leges obligari posse, is autem, qui mixtum iniit matrimonium, per id principiis suae Confessionis nuncium haud miserit. Non postulant equidem Status et OO. sententiarum divortialium rite latarum restrictionem, aut illarum praeter eos, ad quos revisio iure ordinario spectat, alibi suscipiendam investigationem: at una norunt, Judicem sibi ipsi legem ferre non posse, sed ad partes Legislatoris pertinere, talem eidem praescribere, ad quam dein Judex sententiam suam exigere teneatur.

d) 353.

Reflexiones Procerum ex Sessione LV.

Cum Status ac OO. ab opinione sua recedere, et propositas per Tabulam Procerum reflexiones adoptare nolint: coguntur Proceres easdem reflexiones suas uberius adhuc in sequentibus dilucidare.

Et I. quidem quantum ad *Reversales*, quarum tam pro praeterito, quam pro futuro abolitionem urgent SS. et Or-

dines: non subsistit ea Statuum expositio, quasi a. 1785. Reversales universim sublatae fuissent; nam in sensu ordinationis Josephinae id duntaxat stabilitum fuit, ne in posterum matr. mixta pure cum Reversalibus, prout sub regimine Mariae Theresiae, indulgeantur, secus autem prohibeantur: nequaquam vero omnis vel spontaneas Reversales extradandi libertas succisa: id quod innumeris Resolutionibus serie annorum sese excipientibus doceri posset. Signanter ordinationem M. Theresiae de anno 1768. prohibitivam secuta est illa Josephi II. de 16. Maii 1782. per quam Reversales post 1. Octobr. 1781. exigi vetitae fuerunt. Anno porro 1786. die 7. Martii dispositum est: ut quaestiones de legalitate Reversalium motae Loco Altissimo decidendae referantur, ubi cumprimis id indagetur, an eae vi extortae, aut mox post conclusionem reclamatae non fuerint? In hoc situ erat res Reversalium occasione conditi sub Comitiis anni 1790. Articuli 26. Quaestione postmodum de eo posita: an Parentes, qui postea etiam de educatione prolium suarum Reversales extradare vellent, ad harum implementum stringi possint? ipse Rex Leopoldus, sub quo praecitatus articulus conditus est, dd. 17. Nov. 1791. ope decreti resolvit: Reversales, siquidem hae in universum sublatae haud sint, in suo vigore porro quoque conservandas, sed simul circa earum extradationem, anno 1786. emanatam Resolutionem observandam esse. Cuiusmodi altissima Resolutio dum per omnes Jurisdictiones publicaretur, nullibi vel minimam in obversum querelam positam fuisse constat: donec anno 1792. ex incidenti novae circa removenda educationis catholicae prolium e mixtis matr. genitarum impedimenta editae Resolutionis, primum ex parte Com. Gömöriensis, dein nonnullarum Superintendentiarum adversus Reversalium usum querela interponeretur. Atque haec omnia sat superque demonstrant, abolitionem Reversalium, quam SS. et OO. memorant, nonnisi illas, quae vi extortae, nequaquam autem sponte ac ultro extradatas, et semper in vigore relictas respicere posse. Cum itaque contractus hi, quorum spontaneitas in hac parte nulla lege restricta est, nec cum lege civili, multo minus naturali collidant, et pro

illegalibus haberi haud possint: naturale est, quod, tametsi ex studio pacis Proceres in sublationem eorum pro futuro consenserint, in id tamen consentire nequeant, ut pacta iam antea inter privatas personas bona fide, sine ulla coactione, liberrime inita, quae lex non modo non prohibuit, sed potius per verba: „religionem patris sequi possint" tacite indulsit, continuus vero usus tuebatur, nunc quasi legi naturae dissona annihilentur, et sic dum pars una catholica iam ineundo matrimonium pacto satisfecit, pars altera evangelica ab obligatione eiusdem absolvatur.

Quoad principium: ut proles omnes religionem patris sequantur, ea est porro quoque Procerum reflexio: quod, ubi lex reciproca iura utriusque partis tam diserte determinat, prout articulus 26. 1791. non sit consultum, ut cum restrictione iurium partis unius et quidem numerosioris, fine perpetuo stabiliendae harmoniae condita lex alteretur, et novis alterius quoque partis iura facile in perniciem adducere queuntibus, quaestionibus ansa subministretur.

e) 354.

Novum Nuncium Statuum, e Sessione LVI.

1. Principia, quae Proceres ad sustinendum vigorem Reversalium adferunt, non subsistunt. Signanter non subsistit praecipuum illud momentum, e quo egressi Proceres Reversales sic considerant, quasi quaedam matrimoniorum mixtorum impedimenta, et tamen ipsi quoque in uno suorum Renunciorum instar impedimenti horum connubiorum id stabiliri volunt: ut mixta matrimonia prolibus ante 18. aetatis annum sine consensu parentum inire cautum sit, quae restrictio procul dubio cum intento scopo perpetuae unionis aperta fronte pugnat.

E serie recensitarum per Proceres Resolutionum quoad Reversales editarum clare evenit: eas reapse numquam legali fundamento, sed Regiminis solum arbitrio innixas fuisse, ac proin argumenta quoque Procerum inde petita eo minus subsistere, quod Resolutiones antelatae per legem a. 1790. sublatae, illae autem, quae expost in obversum art.

12. 1790. emanarunt, pariter pro illegalibus et non obligantibus habendae veniant, quibus vigorem Reversalium tueri minime liceat. Accedit, quod argumenta, e quibus Proceres in sublationem reversalium pro futuro consentiunt, pugnent una pro iisdem simpliciter, et pro praeterito quoque abolendis: siquidem actus in se illegalis, quamcunque diuturno usu legalis evadere haud possit, et insuper cum sanctissimis humanitatis iuribus collidat: quippe Reversales non aliud sunt, quam pacta inter coniuges de prole adhuc non existente, in re, quae ipsa naturae lege, et positiva art. 26 1790. dispositione, liberae eiusdem electioni relicta est.

Adsertum Procerum, quasi diu nullae adversus Reversales querelae positae fuerint, ipsae per Proceres adductae Resolutiones Regiminis refellunt, quae scilicet in sequelam repraesentationum per Jurisdictiones substratarum emanarunt; refellunt quoque innumera gravamina, quorum medelam Evangelici inde ab annis 42. a Regimine incassum exspectant. Quid quod anni 1790. Corpus Legislativum, teste Diario Sessionis 47. Reversalium illegalitatem clare agnoverit: eoque ipso Resolutionum Regiminis in obversum art. XII. 1790. de re iam tunc pro non legali recognita editarum invigorositas adparet. Nec iuvat allegare, pacta haec ad normam aliorum contractuum libera voluntate conclusorum pensanda esse: ubi enim huius generis pactionum effectus auctoritate Regiminis imperatur, nulla ibi libertas, sed potius sanctissimorum humanitatis iurium conculcatio, et per influxum tertii pacis, ac tranquillitatis domesticae perturbatio. Quare Status et Ordines ad modificationes Procerum nec hac vice accedere possunt, sed postulatis suis legalibus porro inhaerent.

Quantum ad principium, ut proles omnes religionem patris sequi teneantur: Status et OO. iam declararunt, articulum 26. 1790. in eo solum pro fundamentali a se agnosci, in quo is cum sublimi fine per Pacificationes Vienn. ac Linc. intento, videlicet cum libertate religionis ac conscientiae, et firmanda perpetua pace, non pugnat. Alioquin ipsi naturae legislationis adversum est, eandem tam arctis limitibus circumscribi, ut ultra hos ne tunc quidem egredi pos-

sit, dum ratio iustitiae distributivae, et diversorum in Civitate existentium hominum iura reciproca, genius item aevi modificationem quampiam postulant. Ubi lex reciproca partium iura in inaequalem statum ponit: ad partes legislatoris pertinet, accomoda modificatione subvenire, et partem quamlibet ad possessionem iurium naturalium reponere. Cum igitur libertas religionis per Pacificationum Vienn. ac Linc. tabulas enunciata principio perfectae aequalitatis ac reciprocitatis superstructa, parte vero ab altera iuxta universalia Gentium iura proles in omnibus patris sortem sequi obstrictae sint: mutua partium iura tunc solum plena gaudebunt securitate, si omnibus quaestionibus circa educationem prolium inter coniuges superatis, exstinctoque discordiarum ex inaequalitate educationis prolium pullulantium semine, beneficium legis naturali aequitati innixae in omnes partes aequa ratione egerit: atque ideo Status et OO. projectato principio: ut omnes proles Patris religionem sequantur, ultro insistunt.

355.

Repraesentatio Episcopi Rosnaviensis ad Aug. Regem intuitu controversiae circa matr. mixta cum Comitatu Gömöriensi interventae, dd. 26. Novemb. 1838.

Sacratissima etc. Inenarrabili cum animi dolore legi ea, quae Comitatus Gömöriensis e Congregatione sua 11. Decembr. 1837. Pelsützini asservata, ope Repraesentationis suae ad Maiestatem Vestram SSmam exaratae, et via Consilii L. R. mecum communicatae contra me, meumque Clerum coram altissimo Majestatis Vestrae SSmae Throno, posthabito iustitiae sensu, tanta cum emphasi a vero abludente, tantis cum detorsionibus, tanta demum politicam meam existentiam in periculum attrahendi cum voluntate exposuerat. In Repraesentatione hac adducor ego in altissimum Majest. Vestrae conspectum ceu Legum divinarum aeque ac humanarum contemtor, et violator, publicae tranquillitatis turbator, hominum non aeque mecum sentientium

osor, et persecutor, — horrendum vel cogitatu! — ipsius adeo iam Regiae Maiestatis damnabilis vilipensor!

Augustissime Domine! testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, quod immerite patiar; si haec omnia non dico, sed si horum omnium vel unum verum est, snm utique non civis, non christianus, non Maj. Vestrae subditus, his nominibus dignus. Sed alioquin priusquam condemner, naturalis Maj. Vestrae clementia me quoque audiendum esse decrevit. Subeo igitur praesentibus clementissimum Maj. Vestrae conspectum, et ad positas contra me Comitatus Gömöriensis querelas, clarificatoriam illam, quam iubeor dare declarationem, in sequentibus homagiali cum subiectione depromere sustineo.

Iis, quae praelibatus Comitatus Repraesentationis suae initio de Parisiensibus nuptiis, Siculicis vesperis, coniuratione Anglicana, inquisitionis tribunali contra haereticos in Hispania et Portugallia, et cetera commemorat, ad declinandas disceptationes historicas, neve refutationi horum gravissimarum persecutionum per Protestantes in Catholicos excitatarum extranea aeque ac domestica exempla interserere necessiter, velut secus etiam ad rem haud pertinentibus, silentio praeteritis: sequitur primum et ante omnia, ut de piae reminiscentiae Imperatoris *Josephi II. sensu religioso*, in quantum Idem per Comitatum in sua Repraesentatione commemoratus, eidem ipsi Comitatui ceu talis, qui Evangelicis utriusque Confessionis per Edictum Tolerantiale favores tribuendo, Religionis Catholicae principia non debito in respectu habuisse videretur, pauca dicam. Imperator hic edidit utique Decretum Tolerantiale, sed edidit non ideo (prout Comitatus ait), ut Catholicorum persecutionibus contra Protestantes finem imponat; verum idcirco, ut Protestantes cum novis et novis suis in re Religionis postulatis incessanter molestos tandem quietet, et in pacem adducat. Sed Tolerantiali isthoc Decreto sanctissima Religionis Catholicae principia salva certe et intaminata persistere voluit, nec arbitrarium ac promiscuum a Fide Catholica ad alterutram ex Evangelicis Confessionem transitum expost etiam unquam admisit. Exstant, ut alia taceam, plura vel ad hanc Dioe-

cesim Rosnaviensem in casibus specificis post Edictum Tolerantiale edita Consilii L. Intimata, vigore quorum ii, qui hic et ibi apostasiam a Fide Catholica attentarunt, Actione Fisci Magistratus conveniri disponebantur. — Haec in apricum collocant, quantopere santissima Rel. Cath. principia Imp. Josephus 2. veneratus fuerit, quamve ea intacta et inviolata persistere voluerit. Errat igitur Comitatus Gömöriensis, si putat, quod Imperator hic Tolerantiale decretum edendo, aut favores Protestantibus cum praeiudicio Religionis Cath. tribuere, aut arbitrariam quamdam et promiscuam a fide Catholica defectionem admittere, aut plane ipsa sanctissimae huius religionis, quam unice salvificam se tenere dem pius Imperator expost etiam Intimato Consilii dd. 26. Mart. 1782. et 17. Febr. 1783. circulariter publicato, solemniter declaraverat, principia non intacta inviolabiliaque servare voluerit.

Et his de sensu religioso tanti Imperatoris breviter memoratis, atque iis, quae C. Gömöriensis in sua Repraes. de conditi Art. XXVI. 179%₁ adiunctis porro adducit, cum adiuncta illa Diaria Comitiorum anni praememorati alioquin sat superque exhibeant, itidem silentio praeteritis, supcrest, ut ad ea, quae crebrofatus Comitatus contra me coram Altissimo Maj. Vestrae Throno proposuerat, propius accedam, et coram Deo, qui me iudicaturus est, in conscientia mea respondeam.

Adstruitur per C. Gömöriensem, quod ego 1. in obversum Art. 26. 1791. mixtis matrimoniis per Clerum meum iam ad linquenda Sacra evangelica, iam ad extradandas de catholica prolium educatione Reversales partes Evangelicas stimulando, impedimenta ponam; 2. iurisdictionem Comitatus in personas Ecclesiasticas universim negem. 3. Pontificias Bullas sine Placeto Regio publicaverim. Ibo per assertorum horum puncta ex ordine, et quidem quantum.

Ad I. Comitatus, ut gravissimam hanc contra me factam expositionem probis fulciat, in sua Repraes. signanter in huius Provocatis producit fassiones hominum per se auditorum, et in propria causa adiuratorum, ac censet per has suum sufficienter probari adsertum. Productas has hominum

fassiones cum compassionis una ac doloris affectu legi, legi eas cum amaris lacrimis: qui enim nihil mihi eorum, quae exponuntur, conscius sum, qualiter res actae sint, quove conamina tendant, actutum perspexi. In harum fassionum quamplurimis fatentur homines ad fatendum auctoritate Magistratuali attracti: sibi, dum ad vota matrimonii transire cuperent, per Parochos respectivos negatam fuisse matrimonialem copulam eo cum dicto: quod id facere nequeant, cum a me mandatum habeant, ne mixtas nuptias benedicant. Talia cum legi, cohorrui: qui enim mandatum non dedi, ad illud per Clerum meum provocari mihi persuadere non potui. Itaque primum et ante omnia Parochos, qui in productis fassionibus una mecum accusantur, ad dandam in merito accusationis, eamque ad sacerdotalis conscientiae puritatem promendam declarationem attraxi. Accepi ab omnibus et singulis declarationes illas, quas hic exhibeo, Nris I—XXIII. una cum meis ad casus specificos declarationibus.

Si iam declarationes hae in sacerdotalis conscientiae puritate depromtae, adeoque fidedignissimae cum fassionibus hominum per Comitatum productis conferantur: luce meridiana clarius est, me meumque Clerum hoc in merito infundatissime impeti; evidens est, homines, eosque utplurimum Protestantes ad fassiones in causa propria contra Clerum Catholicum promendas attractos multa, ne dicam, omnia a veritate aliena loqui, quod passim resultatum est metus miseris his hominibus ad fatendum, dum iisdem querelas promovere ne inciderat quidem, coactis per Magistratuales incussi. Revera autem ita rem hanc actam esse, quod homines de ponendis querelis nec cogitantes ad fatendum attracti fuerint, patet e nonnullis praeadvolutis Parochorum declarationibus. — Quod generalis idmodi investigatio, nulla interveniente querela praesuscepta cum legibus patriis, iuris ordine, studio pacis inter diversae religionis concives conservandae, cum harmonia denique inter Ecclesiasticam et Civilem Jurisdictionem manutenenda componi nullo modo possit, Ipsamet Maj. Vestra et sapienter perspicere, et benigne admittere dignabitur.

Sed nec comprehendo, qua ratione possim ego, possit Clerus meus argui: quod mixtis connubiis in obversum legis impedimenta ponantur: postquam 1. Circulare aliquod mandatum de mixtis nuptiis haud benedicendis ego ad Clerum meum numquam dimisi, numquam eum vel ad difficultandas, dissuadendas nuptias mixtas seu provocavi, seu animavi, nec in coniugia mixtae religionis alias, quam in casibus specificis ad me quopiam ex incidenti devolutis influxi. Si ergo aliquod tale mandatum credit Comitatus his non obstantibus existere, ad tale producendum Eundem provocare necessitor. Nisi forte illud supponatur, quod contingere potuisse non nego, ut aliquis Parochus sollicitationibus mixti matrimonii, quod infelix futurum praevidebat, semet liberaturus, ad prohibitionem meam eo forte sensu praeexistere intellectam provocaverit, quod quivis Episcopus doctrinam Ecclesiae (qualis etiam circa mixta matr. est) tueri, et eius observantiam adurgere obligetur. Sed 2. quomodo potest dici, per Clerum meum *universim* mixtis matrimoniis poni impedimenta: quandoquidem decursu decennii, quo gubernacula Dioecesis huius teneo, e 16. 355. paribus copulatis octingenta undecim mixta matrimonia conciliata sunt! Num tam ingens mixtorum matr. de anno in annum sub meo Episcopatu conciliatorum numerus mandatum aliquod prohibitorium existere, et impedimenta talibus matrimoniis per me Clerumque meum posita doceat? iudicet omnis! Sed 3. si iam tandem Comitatui, impedimenta mixtis connubiis per me Clerumque meum poni consueuisse, dicendum erat: eccur quaeso, non produxit tales casus specificos, in quibus per Parochos meos mixtae religionis sponsi dispulsi fuissent, vel iis benedictio matrimonialis et quidem praecise mixtae religionis fundamento cum effectu reali fuisset negata? Producit casus 23. sed in quibus omnibus Sponsi copulationem matr. expetentes Sacerdotalem acceperunt benedictionem, unico excepto, sed et in hoc, quid matrimoniali deutralium sponsorum copulationi obstiterit, docet declaratio concernentis Parochi, docet parentum sponsi fassio, qui huic filii sui matrimonio — restiterunt.

Intime persuadeor, quod his, quae in praemissis altissimo Maj. Vestrae conspectui sistere sustinui, eam C. Gömöriensis expositionem, quasi ego, Clerusve meus mixtis matrimoniis cum violatione legis impedimenta poneremus, infundatam esse, me proinde Clerumque meum immerite hac in parte subsumi, sat superque probaverim. Ceterum dum taliter quod verum non est, tale non esse probavi, superest, ut, quod in re verum est, in sinceritate dicam. Ego et Clerus meus mixta connubia non impedimus qûidem, quia id vetat sanctimonia legis: sed ultro fateor, in conciliandas mixtas nuptias tali cum promtitudine Clerum Catholicum duci non posse, quali ducitur in benedicendas nuptias puras: idque ideo:

Primo, siquidem scimus, quod Ecclesia Catholica mixta matr. a suis incunabulis usque hodiernum diem semper fuerit aversata, idque ob imminens e talibus nuptiis parti catholicae, et prolibus ex his matrimoniis progenitis animae periculum. Et ideo totius retro antiquitatis historia, frequentissimi Conciliorum Canones, innumerae RR. PP. Constitutiones, quas ceu in doctrina Ecclesiae radicatas, Clerus respiciat, est necesse, docent: mixta matrimonia per Ecclesiam Catholicam tolerata fuisse tunc tantum, actuque tolerari, si et parti Catholicae nullum exinde imminebat et imminet periculum, et de Catholica prolium educatione sufficienter provisum fuerat et providetur. Peccatne igitur, quisquis de Clero nunc praesertim, dum clamor contra mixtas nuptias velut Catholicae rei periculosissimas undique personat, Ecclesiae Catholicae principiis congruenter in casibus specificis parti Catholicae et prolium educationi impendere periculum prudenter praevidendo, mixtae religionis partium matrimonialem coniunctionem, quin eam contra legem impediret, difficultat? An peccatum habet, dum ad antevertendum idmodi periculum parti non-catholicae pro strictissimo pastoralis sui muneris officio conversionem ad fidem Catholicam suadet, doctrinam Christi eidem praedicat, quia hac in parte adhiberet coactionem? nec enim subsistit illud, quod Comitatus dicit: per Clerum Catholicum partem evangelicam *ad conversionem cogi*. Huius quidem adserti irreali-

tatem praeadnexae Parochorum declarationes ubertim comprobant. An peccatum Clerus Cath. habet, dum ad avertendum a parte Catholica prolibusque periculum, quod prudenter praevidet, partem evangelicam, dum is vir est, ad catholicam nasciturarum suarum mascularum prolium educationem scriptotenus stipulandam provocat, obsecratur, et rogat, quin, si pars haec ad dandas idmodi reversales sponte non accedat, tales unquam *extorqueret*; nec enim stat illud, quod praefatus Comitatus ait: quippe per Clerum Catholicum talismodi reversales de prolibus Catholice educandis extorqueri. Sed enimvero articulus ille Legis patriae, quem violasse insimulamur, claris verbis enunciat: quod casum in eum, si pater est evangelicus, proles quidem foemellae debeant, masculae vero *possint* religionem sequi Catholicam: si possunt sequi religionem Catholicam, an non possit pater Catholicam talium prolium stipulari educationem? an non possit, et iure quidem per hanc legem hoc modo tacite sibi tributo, postulare Clerus a parte evangelica: ut prolium, quae possunt sequi religionem catholicam, hanc ipsam cath. educationem scriptotenus spondeat? quin hoc ipsum in odium Protestantium trahi possit et explicari.

Secundo: in mea hac Protestantibus refertissima Dioecesi Clerus Catholicus iam vel ad insinuationem mixti alicuius connubii animo contristari, cohorrescere debet; utve, in quantum fieri potest, mixtae declinentur nuptiae, contendere cogitur. Etenim asseverare audeo, in Dioecesi hac penes tantam Protestantium praevalentiam, si proles ex mixtis matr. descendentes Parochi mei cum notabilibus certe sacrificiis non foverent, non in aedibus suis parochialibus educarent, non foverem tales ipse: si, inquam, hac in parte Clerus Catholicus sua ultro promteque non locaret sacrificia: prolium e mixtis matr. genitarum vix decima quaeque esset Catholica. Sunt Parochiae, in quibus annue quatuor, quinque idmodi proles providentur — ego decem annorum decursu annue plus minus 30. idmodi proles propriis impensis educavi. An igitur mirum, si Clerus Catholicus, qui suae Religionis principia veneratur, qui horum exactam observantiam et ipse tenere, et aliis sollicite inculcare in con-

scientia obligatur, qui errantes ad ovile Christi adducere pro suo pastorali munere tenetur; an mirum, si Clerus hic, quem e conciliatione mixtorum matr. tanta manet sollicitudo, tanta praestolantur sacrificia, ad benedicendas idmodi nuptias cum peculiari aliqua promtitudine non accedat, sed ab iis retrahatur?

Tertio: effari nequeo, quanta sit in Dioecesi hac Protestantium in prolibus e mixtis matr. descendentibus in religione Catholica educationi subducendis animositas! quanta, quae tamen semper impune exercetur, audacia! Proles, quae religionem sequi deberent Catholicam, occultantur, ad agnatos aut notos secus parentum etiam in longinqua translocantur, inibi per annos et annos detinentur, in confessione alterutrius e parentibus educantur, quin in earum ubicationem sagaci licet perquisitione deveniri posset. Producuntur demum, dum alienae Confessionis principiis imbutae annos discretionis attigerunt, tunc indultum transitus sollicitant, et absque difficultate impetrant. Libri mihi essent concribendi, si horum meorum assertorum realitatem per casuum specificorum recensiones comprobare vellem. Provoco ad Exc. Consilii Archiva, quam vera dicam, docebunt haec indubie. — Innumerae sunt in Dioecesi mea quaestiones religionariae, quae omnes e mixtis matr. oriuntur, et communiter per transitum ad alienam a Fide Cath. Confessionem finiuntur. Deus meus! quid sumus responsuri, dum animas has nobis creditas Pastor aeternus Christus Dominus qua Judex e manibus nostris repetiturus est! Quaestiones hac Clero sunt cognitae, non latent hunc frequentissimi illi transituum casus, scit idem, quantam soleat parere idmodi quaestionum religionariarum publica pertractatio animorum exacerbationem, quantos soleat Protestantibus addere animos vel unius transitus publicatio, quantam ex adverso gignat in animis Catholicorum consternationem; novit etiam id Clerus meus, quod idmodi transitus indultum ordinarie tantum personae e mixtis matr. descendentes accipiant. Quid igitur mirum, si idem Clerus, cui haec omnia nota sunt, qui haec omnia vere pro Religione Catholica tristia lacrymabundus deplorat, mixtae religionis nuptiis sa-

cerdotalem benedictionem cum renisu, animique sui consternatione inexplicabili impertiatur? quid mirum, si vel ad insinuationem talismodi connubii perhorrescat? Perhorrescit omnino, et perhorrescere debet Clerus Catholicus vel ad insinuationem mixti connubii, et id quidem eo magis,

Quarto: quod persuasum teneat, mixta matrimonia esse fontem tristis illius, atque hoc aevo tantopere invalescentis in religione indifferentismi. Ut de indifferentismo hoc, a quo nec ipsam adeo Comitatus Remonstrationem liberam dixero, prolixius disseram, opus non habeo; id certum est, quod in Apostolico Hungariae Regno inde a felici Leopoldi M. regimine usque Tolerantiale Edictum Religio Catholica constanter in incremento fuerit: quia felici hac temporis epocha rara erant mixta matrimonia, nec aliter unquam admissa, quam si omnium prolium catholica educatio securisata fuit; indultus autem alienam a fide Catholica Confessionem amplectendi, numquam posse dari non adstruo, posse hanc in aliquo casu evenire certum est. Sed certum est una id etiam, quod si spiritus indifferentismi, qui certissime hodie cras extrema cervicibus nostris imponet mala, tollendus est, transitus illis universim et semper foret negandus, qui secundum Art. 26. 1791. Catholicam sequi debent religionem. Alioquin in singulo specifico casu transitus indultum sollicitante supponi debet, allectiones, gravissima per legem enunciatione vetitas, intervenisse. Vere pulchra sunt verba legis: „iniungitur sub severa poena, ne quiscunque demum ullum Catholicum ad amplectendam religionis evangelicae professionem quocunque praesumat allicere medio. Art. 26. §. 13." Omnino sanctissima verba! Sed quid fit? coram Rege et quidem Rege Apostolico, elevatis in coelum manibus, edicam veritatem! parentes et cognati in vicem poenae in allicientes per legem dictatae accipiunt pro prolibus suis et cognatis transitus indultum! et haec Clerus Catholicus non sentiat? non ringatur animo? non retrahatur religionis suae (cuius defensor esse debet) sensu a benedicendis mixtis nuptiis, dum tristia haec consectaria necessario praevidere debet? Ille quidem Sacerdos degradari mereatur, qui hic sensu ministerii sui non afficitur! Horum ex intuitu

provolutus ad genua, per merita Christi orando Maj. Vestram, repetitim vi muneris pastoralis enunciare audeo: tunc tollentur saltem quaestiones religionariae, tunc incipiet prolabi indifferentismus, si Maj. Vestra declarare dignata fuerit, quod personis e mixtis nuptiis progenitis tamquam per allectionem ex supposito indubitato seductis, transitus indultum concessura non sit. Addere his sustineo

Quinto: quae in Regno Borussiae e ratione mixtorum matrim. heri acta sunt, et aguntur hodie, publica sunt, quae Clerum Catholicum latere nequeunt. Archiepiscopi Coloniensis deportatio, contra quam Caput Ecclesiae in facie mundi iterato protestatur, et Cleri Curati Borussici spiritui Catholico apprime conformes declarationes, in corda nostrorum Sacerdotum non agere nequeunt: et agunt omnino ea cum vehementia, ut in statu violentissimo constituantur, exerceantque inter peracerbam animi luctam porro patientiam tantum ea spe et fiducia animati, quod nec nos Episcopi, qui Fidei depositum ex munere divinitus nobis collato defendere tenemur, triste hoc Catastrophe, et omni Catholico abominabiles mixtarum nuptiarum sequelas otiosi intueamur, nec Majestas Vestra, velut Princeps zelosissime Catholicus et Rex Apostolicus, in his terribilibus conscientiae remorsibus et animi lucta eos diu sit relictura.

His omnibus spectatis, numquid Clero Catholico universim vitio verti potest, si a mixtis connubiis conciliandis retrahatur, fiat alienus? numquid vitio verti potest, dum tanta, quae e mixtis matr. redundant mala, ab Ecclesia Christi per difficultata in casibus specificis mixta matr. propulsare contendit? Mirandum potius est, et mirandum vehementer, adorandaque est eapropter bonitas divina, quod Clerus Catholicus inenarrabilia haec mixtorum matr. domestica aeque ac extranea mala quotidie sentiendo, videndo, audiendo, et legendo in longa patientia contineatur!

Pro coronide puncti huius 1. oportet refellere ea, quorum me Comitatus per consequentiam arguit. Arguit nempe, quod ego erga Serenissimos de Augusta Domo natos Principes, nominanter Sereniss. Palatinum, in mixtis nuptiis viventes, debito non ferar respectu. Hoc equidem coram Al-

tissimo Maj. Vestrae Throno de me adstruere, est mihi gravem inferre iniuriam. Ex eo, quod ego, Clerusque meus mixtas nuptias cum Ecclesia Catholica reprobemus, etiam ea toleramus: toleramus autem usque adeo, quod intra 10. annos octingenta copulaverimus; toleramus ergo etiam Sereniss. Principum, et toleramus quidem eo promtius et libentius, quod intime persuadeamur, experiamurque, exulare hinc omne perversionis periculum, et omnes natos Principes zelosissime in Fide Cath. educari, firmissimum credulitatis huius habentes vadimonium in congenito Augustissimae Familiae Religionem Catholicam defendendi et promovendi zelo, et in quotidianis in eadem Augusta Domo verae sanctimoniae et pietatis catholicae imitatione dignissimis exemplis. Habemus itaque Sereniss. Archiducum mixtas nuptias pro talibus, quales erant S. Nonnae catholicae viro gentili Gregorio nuptae, vel S. Monicae gentili Patritio elocatae, quae susceptos e viris gentilibus filios Gregorium, et Augustinum ita educarunt, ut prior sub nomine Nazianzeni, et alter Ecclesiae Catholicae lumina evaserint, actuque colantur.

Offenditur Comitatus etiam in opere *Francisci Skalnik,* Dioecesis meae Canonici Hon. et Parochi Svedlériensis *de mixtis matrimoniis* vulgato, velut per me ad typum admisso. Admisi utique opus isthoc ad typum, quia illud Fidei Catholicae et doctrinae sensum exprimit, estque eiusdem cum illo spiritus et tenoris, quod a. 1835. *Josephus Pletz* Augustae Maj. Vestrae Aulae Parochus (auctore *Joanne Kutschker* elaboratum) in suo periodico scripto, cui titulus: *Neue theologische Zeitschrift,* Viennensibus typis vulgavit, quodque subin recusum avide legitur, et utinam de memoria condisceretur! Ceterum Franciscus Skalnik, vir in theologicis disciplinis versatissimus, est idem ille, cui tenore Praesidialium ex Excelsa Maj. Vestrae Cancellaria dd. 6. Febr. 1835. Altissimo Jussu commissum fuerat, ut opus suum, cui titulus: „Veritas Ecclesiae et Doctrinae Catholicae proposita in praescripta sexhebdomadarum institutione" iam perprius editum novitus adpromtet, et typis pro usu communi procudi faciat: quod etiam praestitit, opere in multis e-

xemplaribus per totum Regnum, etiam in Austriam et Bohemiam direptum.

Ex his omnibus clementissime perspicere dignabitur Majestas Vestra, quam iniustam hac in parte ego et Clerus meus a Comitatu Gömör sustineamus impetitionem; perspicere dignabitur, quantam hic Comitatus nomini, honori, respectui, et existimationi Cleri Catholici coram infima adeo plebe inusserit labem, dum e Congregatione sua Generali 18. Junii a. c. celebrata de loco in locum, de possessione in possessionem talem dimisit currentem, qualem reverenter accludo. Universalis est Cleri mei super tanto despectu consternatio. Et quomodo non? Clerus ergo in officiosis suis negotiis inspectioni laicali subiicitur? nec ei super functionibus ministerii sui referenti absque testibus credetur? Quidquid lex (art. 26. 1791.) intuitu mixtorum matr. a Clero exigit, explere, ut debet, promtissimus est: sed inspectioni, cuius in lege nullum est vestigium, munus suum subiicere pro piaculo habet. Sed quid etiam boni ex simili testium praesentia dimanare potest? dimanare inomisse tantum obiocutiones, et animorum dissensiones debent. Si enim Parochum, quocunque ex visus puncto mixtas tales nuptias dissuadere contigerit, si parti acatholicae doctrinam Catholicam proposuerit, vel parti catholicae doctrinam de sola salvifica fide explanaverit, si pericula salutis in mixtis nuptiis frequentissima explicuerit etc. numquid haec animorum coniunctionem, harmoniam operabuntur? nullo modo. Observent saltem ita sancte punctum hoc articuli 26. Protestantes, ut illud Clerus observare contendit, et pax erit. Educentur saltem omnes proles, dum pater est catholicus, sine omni renisu et allectione acatholicarum matrum, in fidei catholicae veritatibus; et permittantur matres catholicae viris acatholicis conviventes libere iure sibi puncto hoc Articuli 26. tributo uti, permittantur, inquam, etiam filios catholice educare; nec sumant in persecutionem matribus catholicis lege permissam actionem: et fiet, ut penes observantiam legis patriae etiam Doctrina Catholica circa mixta matr. vix quando violetur. Non sum exprimendo, quantopere ob dimissas has Currentales Comitatus per Clerum

meum ad ferendam tantae eorum compromissioni medelam provocer et urgear! Tantum Cleri Districtus Rimaszécsensis e Congregatione sua die 3. Octobr. a. c. asservata lamentationes super his Circularibus Comitatensibus advolvo.

Provolvor igitur ad Maj. Vestrae pedes, et enixissimis exorare Eandem Maj. Vestram sustineo precibus: ut a) Comitatui Gömör, quod me Clerumque meum de positis matrimoniis mixtis impedimentis, violatione proinde art. 26. 1791. infundate subsumserit, benigne intimare, b) praeadvolutum summe derogatorium iniustumque Currentem cassare, hocque modo me meumque Clerum in gravissimam de violatione legis suspicionem immerite attractum, ab hac ipsa liberum nunciare, laesum denique honorem ac respectum in contemtum adductum salvum praestare dignetur.

Ad II. Adstruit Comitatus: quod universim negem in Personas Ecclesiasticas Comitatus iurisdictionem. Quomodo id e literis meis ad eundem Comitatum datis possit educi, non perspicio: quemadmodum enim provocando ad legem patriam, signanter Decr. S. Ladisl. III. 25. et Colom. I. 6. 14. Ecclesiasticos privilegio proprii fori in causis personalibus gaudere defendi, ita in casibus lege expressis (pariformiter personalibus) nominanter Part. 2. tit. 44. et art. 16. 1647. foris civilibus eosdem subiectos haberi ipsemet enunciavi: si vero ita, Majestatem Vestram clementer perspecturam totus confido, per me *universim* Comitatus iurisdictionem in Personas Ecclesiasticas non negari. Et revera, si stant per me in quaestionatis literis meis ad hoc meritum provocatae leges civiles; si incl. Tabula Regia in Processu Fisci Com. Honthensis contra Parochum Némethiensem suscitato anno 1804. per sententiam enunciavit: quod contra personam ecclesiasticam Fiscus Comitatensis actionem fiscalem dictam suscitare non possit; si eadem Tabula Regia non pridem, utpote a 1836. die 26. Aug. edixit: quod actioni Fisci Comitatensis contra personas eccles. locus non sit; si ipse Com. Gömöriensis instar postulati Comitiis Regni a. 182⁵/₇ substravit: ut in futurum Clerus Catholicus in causis civilibus personalibus per civilem Jurisdictionem iudicetur: qualiter ego pro asserendo hoc in legibus patriis

et usu fundato Cleri Catholici privilegio vocem attollere non debebam tunc, dum idem Comitatus, posthabitis tantis legalibus motivis, nec respectata sua ante-decennali persuasione declaratorie in suis ad me dd. 10. Aprilis 1837. literis universim pronunciavit: „Clerus in actibus violatae legis civilis Jurisdictioni civili subest, sine exceptione quivis sacerdos, qui quaecunque ex causa mixta matrimonia impediverit, actione Fisci convenietur et punietur." Si quis Sacerdos unice et solum propter diversitatem religionis mixtis nuptiis impedimenta poneret, poneret autem tanta cum efficacia, ut dispulsorum mixtae religionis sponsorum, et denegatae hoc ex unico fundamento copulationis casus producibiles essent; peccaret talis indubie in legem (art. 26. 1791.); sed tali etiam in casu specifico coram Episcopo, in cuius sacra potestate ex dogmatico Ecclesiae Cath. sensu omnis Parochorum iurisdictio originem et concentrationem habet, remedium malo esset quaerendum; ast postquam ex productis 23. et quidem omni cum diligentia per Magistratuales conquisitis casibus, unicum sub Num. 12. relatum Sponsorum par sub Magistratuali perquisitione incopulatum fuit, et hoc iuxta Parochi declarationem ideo, quia obsistentibus catholicis sponsi parentibus sponsus ab expetendis sponsae acatholicae nuptiis supersedit: postquam porro non potest produci casus, in quo ego per Comitatum provocatus malo remedium non tulissem: et tamen his non obstantibus tanta privilegio fori per Comitatus determinationes inferebatur laesio, tantumque cum iurisdictionis meae vilipensione in obiectis pure spiritualibus exercebatur in Clerum meum imperium, ut, foro meo praeterito, Judices Nobilium sub comminationibus copulationem Parochis demandarent; pro iuribus, privilegiisque Cleri mei vocem attollere necessitabar. Si enim mihi in hac Cleri mei tribulatione defensio muneris pastoralis cordi esse debuit: non potuit non esse cordi etiam pacis publicae conservatio, quae penes inexplicabilem Cleri, populique Catholici consternationem facile in periculum coniicienda erat.

Ut Comitatus procedurae huic aliquam veri speciem conciliaret, provocat ad mandatum Divi Francisci I. dd. 11.

Mart. 1825. a Cancellaria Aulica in sensu tali dimissum: quod furti reus Presbyter per Consistorium Rosnaviense non debuisset iudicari. Sed a) magnum est discrimen inter delictum furti, et intermissam, etiamsi culpabiliter, seu alicuius Sacramenti seu functionis sacrae administrationem. b) Nec est sententia Consistorii cassata, ut asserit Comitatus, sed executioni data; et altissima haec Resolutio saltem pro futura cynosura praescripta, et Intimato Consilii dd. 6. Mart. 1827. taliter explicita: ut crimina Clericorum, ad quae seu poena capitis, seu poenae corporis afflictivae per leges defixae sunt, ante incaminationem processus Loco altissimo referantur, non vero Comitatensi Jurisdictioni directe diiudicanda relinquantur. c) Ipsa haec Resolutio privilegium fori Clero competere enunciat, et signanter „dum individuum ecclesiasticum muneri suo et obligationi vocationis suae non satisfacit, illud per Episcopum coerceri et puniri debere declarat:" quis autem dubitabit, collationem Sacramenti ad munus et obligationem vocationis Sacerdotalis pertinere? — Ceterum quae Comitatus ex verbis S. Chrysostomi hom. 60. ad pop. Antioch. per me citatis, et ex provocatis legibus, adlatisque S. Scripturae textibus in contemtum et inauditum Maj. Vestrae despectum interpretatur, aut de iuribus circa sacra maiestaticis, quae nobis sancta esse quotidianis Cleri et meis ad Thronum Regium supplicationibus propalam est, proloquitur: ad conclusionem praemissis latiorem et violentam explanationem et adplicationem referre necessitor.

Rebus sic stantibus, de genu subeo Apostolicum Maj. Vestrae conspectum, Eandem respectu querelae in hoc puncto expressae suppliciter exorando, ut Comitatui clementer intimare dignetur: 1. me per eundem infundate subsumtum fuisse, quasi *universim* negarem in Personas Ecclesiasticas Comitatus iurisdictionem. 2. Ut privilegium fori Clero Hungariae legibus etiam patriis expressum, per Comitatum Gömör vero evidenter posthabitum et laesum Eadem Maj. Vestra voce sua Apostolica tueri dignetur.

Ad III. Adstruit Comitatus: quod Bullas Pontificias sine Placeto Regio publicaverim. Tristissimum sane est, absque omni dato fundamento, indicio, coram summo Terrae

Principe, et quidem per Legalem Jurisdictionem incusari, incusari Episcopum, cui post Deum voluntas Regis Apostolici sanctissima et inviolabilis esse debet! Sto coram Maj. Vestra, sed innocenter laesus, laesus autem vehementer, quia falsi accusari est calumniam pati. A decennio, quo Episcopali munere defungor, eas tantum Bullas Pontificias per Dioecesim meam publicavi, quae occasione indicti, et quidem per piae memoriae Pium VIII. a. 1829. die 18. Junii, et per modernum Summum Pontificem Gregorium XVI. a 1832. die 2. Decembris pro impetrando Divino Auxilio cum aditu Pontificatus, Jubilaei penes Exc. Consilii L. R. Intimata cum Episcopis fine publicationis et dispositionis communicatae sunt. Ego ipse a. 1833. in Comitiis Regni Posonii constitutus pro exigentia Dioecesis meae ex literis Apostolicis centuriam emi. Et nominanter haec est illa Bulla, quam Comitatus altissimae dispositionis notitiam non habens, ait literis meis pastoralibus die 9. Maii 1833. ad Dioecesim dimissis sine Placeto adnexam esse. In reliquo quidquid ego in literis meis pastoralibus ad Clerum exaratis de spiritu indifferentismi, perduellionis, mixtis matrimoniis scripsi, exscripsi e Bullis duorum horum Pontificum, ut dixi, via Dicasteriali, adeoque penes Placetum R. ad me perlatis; exscripsi ea, quae per quasvis Ephemerides non solum publicabantur, sed quae in Typographiis emta, quorumvis manibus usque ad publicam veritatis recognitionem volvebantur. Sed haec etiam exscribere oportuit, quia non cogitata mea, sed neo-electi Supremi Ecclesiae Capitis alloquium ad totius Orbis Catholici fideles directum, ad notitiam Dioecesanorum perferendum fuit.

Porro subsumit acerbius Comitatus, quod in his Bullis Pontificiis, meis literis pastoralibus, et Sermonibus Quadragesimalibus exprimatur: „in sola Ecclesia Catholica, exclusis aliis Confessionibus, dari salutem" — et hoc quidem publice etiam in Templo annunciatum fuisse, ubi praesentes Protestantes, aut in mixtis nuptiis viventes Catholici, et de salute compartis acatholicae persuasi, scandalisari poterant. Haec Principi Catholico, Regi Apostolico in faciem dicere est intolerabile! Ergo iam nec fidei dogmata, quae

ipse Pater Patriae confitetur, praedicare licebit? Dum Universitas coram Maj. Vestra et Summis Eiusdem Tribunalibus tanta cum libertate indifferentismum religiosum enunciare non veretur: meum qua Fidei Custodis et Doctoris est, ea hic exprimere, quae in Epistola Encyclica Pii VIII. dd. 28. Aug. 1829. *Traditi humilitati*, b. Placeto R. provisa taliter lego: „Loquimur de innumeris errorum commentis, quibus non occulte et clanculum, sed aperte utplurimum et acerrime Catholica Fides oppugnatur, Praesides sacrorum in invidiam rapiuntur, et in contemptionem, omnia quae religionem sapiunt anilibus fabulis accensentur. Huc spectat teterrima Sophistarum huius aetatis machinatio, qui nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, omnibusque aeternae salutis portum ex religione qualibet patere arbitrantur; horrendum sane impietatis monstrum! quo eadem veritati et errori, virtuti et vitio laus et praerogativa iusti rectique adscribitur; hoc nimirum lethale est de religionum indifferentia systema, vel ipso naturalis rationis lumine explosum, qua admonemur, ex religionibus, si una vera sit, alteram necessario falsam esse, nullamque exstare posse tenebrarum cum luce societatem; adversus hos veteratores edocendi sunt populi: Catholicae fidei professionem unice veram esse, etc." Ita est, edocendos esse credo, et quidem nunc, dum de indifferentismo Thronis Regum, institutis Nationum, paci publicae periculosissimo, supprimendo pro virili agendum est! nunc sane supremum tempus est, et summa necessitas, ut Maiestatis Vestrae ore apostolico id clementer pronuncietur, quod eiusdem spiritus epocha Josephus 2. Imp. dd. 17. Febr. 1783. per Consilium suum publicavit: „Conservationi, et propagationi verae et unice salvificae Religionis Catholicae pro munere suo Caes. Regio clementer intenta, toto pectore desiderat Sua Maiestas, ut omnes eandem orthodoxam Religionem amplectantur et constanter profiteantur."

Nolo esse fusus in iis, quae de compendioso meo Catechismo in usum populi curae meae spirituali crediti, maximo cum fructu edito, dicit Comitatus, quasi quippe hic non illum, qui in Catechismo Normali elucet, mitem spiri-

tum redoleret. Si in meo Catechismo Comitatui id displicuit: quod enuncietur, tantum unam veram religionem existere, et hanc esse Religionem Catholicam: quid dicturus erat de Catechismo normali per ignorantiam dilaudato, in quo non solum unam veram religionem, Ecclesiam esse posse edicitur, sed additur una, extra hanc unam Ecclesiam salutem nec sperari posse.

Horum in sequelam complicatis manibus Maiestatem Vestram exorare sustineo: ut a) Comitatus circa Bullas Pontificias praesumtive absque Placeto publicatas subsumtionem pro infundata declarare — b) indifferentismum religiosum in remonstratione Comitatus evidenter defensum pro merito perstringere — c) qua haeres pietatis catholicae cum Magni Francisci nomine perennaturae in sensu Intimati Consilii dd. 9. Febr. 1813. eundem Comitatum a principiis Religionis, quae in Ecclesia Catholica fixa sunt, subsumendis et vellicandis inhibere dignetur.

Et haec sunt, quae pro infundatis C. Gömöriensis Majestati Vestrae SSmae contra me et Clerum meum substratis querelis, subsumtionibus, incusationibus, et respective mei meorumque defensa adferre, et Maj. Vestrae in illimitata fiducia venerabundus porrigere sustineo. Si longior fui, veniam a Clementia Regia exoro etc. Rosnaviae, die 26. Nov. 1838. Joannes Scitovsky, Episcopus Rosnaviensis.

Monumenta ad Epocham V.

356.

Episcopi Magno-Varadinensis litera pastoralis ad fideles circa matrimonia mixta, dd. 15. Martii 1839.

Franciscus Laicsák etc. Sancta Mater Ecclesia nullo unquam tempore destitit velut praecipuam suae erga fideles sollicitudinis partem considerare Sacramentum foederis coniugalis; praeterquam enim quod maior eorum pars vitam in hocce connubii statu transigat, fructus quoque sacri huius foederis tamquam sacrae fidei germina, et spem Ecclesiae Christi laetissimam continuo spectaverat. Admittere itaque potuit numquam, vi maternae suae erga fideles sollicitudinis, ut ipsi momentosum adeo, totamque vitam complectens, et Ecclesiam ipsam tam prope concernens foedus coniugale, sibi unice relicti, animo nefors incurio inirent: verum inde a primordio singulari semper attentione prosequebatur fideles suos matrimonium ineuntes, et cum legibus certis foedus isthoc connubiale circumscripsit, tum sapientissimis ordinationibus sequelas periculosas praecavere studuit, eoque universim intenta fuit, ut Sponsi momentosum hunc pro tota vita sua gressum ita figant, quo et in praesenti vita veram felicitatem, puramve animi tranquillitatem adipiscantur, et immortalis animae salutem futuram mutuo auxilio strenue operentur, et demum in gnatis suis eam ad promovendam Dei Omnipotentis gloriam, Ecclesiaeque gaudium progeniem educent, in qua benedicatur nomen Domini in secula seculorum. Tob. VIII. 9.

Ex his iam perspicuum est, matrimonium in Ecclesia Catholica non esse mere contractum civilem, aut carnalis duntaxat concupiscentiae, et finium terrestrium partum: sed tale foedus indissolubile, in quo coniuges virtute Sacramenti gratiam divinam consecuti non modo praesentis vitae fe-

licitatem junctis viribus quaerere obligantur, sed eo cumprimis omnes conatus suos convertere, mutuumque convictum dirigere, ut coelestem destinationem suam auxilio reciproco adsequi contendant, animae salutem operentur, fidei fiduciaequae in Deo locatae spiritum in se custodiant, alant, et adaugeant, in via Christianae probitatis mutuo se adiuvando progrediantur, et fructum sui amoris in eodem verae fidei virtutisque tramite juncta parentali sollicitudine manuducere non desistant.

Quodsi iam ex puriori hoc et superiori obtutu Sacramentum vitae coniugalis consideremus, non agnoscere non possumus, foederis huius coniugalis, quod Deo placeat, et ad salutem animae ducat, primam, praecipuamve conditionem esse fidei unitatem; nam indubium est, de matrimonio in Ecclesia Catholica tunc solum sermonem esse posse, dum amor ac zelus huius ipsius Ecclesiae corda contrahentium connectit, nec posse Ecclesiam aliud foedus materno cum gaudio intueri, illique sacramentalem suam benedictionem impertiri, quam ex quo tum fidei verae custodiam, tum verae Religionis conservationem et incrementum sperare licet.

Ex adverso ubi haec omnia deficiunt, ubi iam in principio diversitas religionis coniuges muri instar ab invicem dividit, et ubi eo ipso, quod fidei tamquam lucis vitae spiritualis adsit discrepantia, de perfecta animorum harmonia sermo esse nequit: ibi sane praevie iam moestissimo corde tristes coniugii sequelas spectare oportet, cum in eiusmodi connubio fidei puritas, vitae coniugalis vera beatitas, et recta prolium educatio in discrimen vocetur.

Fides nimirum, pretiosum hoc cuiuslibet cordati hominis clenodium, beatifica illa lux est: quam sollicite conservare, alereque oportet, ne secus refrigescens exstingvatur. Quam fortunati igitur sunt iam vel ex hac causa coniuges illi, qui, eiusdem cum sint fidei, in officiis quoque suis erga Deum adimplendis se se mutuo ad aemulationem excitant; quos item sacer Religionis spiritus ad eandem Ecclesiam vocat et ducit fidei etiam externe profitendae causa; connubium huiusmodi est profecto vitae christianae Schola verissima, salutisque instrumentum. At in matrimonio, in quo

coniuges religione ab invicem dissident, omnia contraria sunt: hic enim inter coniuges mox in principio in sanctissimo et gravissimo negotio separata vita ducitur. Quod uni parti momentosum, id alteri nec consideratione dignum; quod uni sanctum et venerabile, id alteri fors risu dignum apparet. Estne igitur hic, quaeso, possibile, ut coniuges se mutuo in fide aedificent? negotiaque animae salutem concernentia sibi invicem communicando, seseque taliter mutuo adiuvando, in Religione se perficiant? cum potius, ne pars una alteram laedat, vel ipsos de religione sermones declinare, et ea, quae spiritualia sunt, ne quidem verbo attingere liceat! Profecto coniuges religione dispares sic se ad invicem habent, ac si uterque pro se et solitarie viveret, imo adhuc deterius; nam si reapse separati existerent, adminus impedimento et scandalo sibi non essent. Ita vero in proximo periculo versatur praeprimis pars debilior: e respectu humano et metu suam religionem primo quidem erubescendi, eoque ipso illam rarius exercendi, dein sensim lenta desuetudine a propria Ecclesia abalienata, et sensu religionis in ea refrigescente etsi palam illam non abneget, interne tamen parum aut nulli curae sibi eam ducet.

Nec laetiora in connubiis talibus sperare licet ex obtutu felicitatis coniugum domesticae. Quis enim nescit, harmoniam perfectam, quae tantum dari potest, esse unicum pignus felicis connubii? Si iam discrepantia in minoris momenti rebus paci coniugum domesticae noxia est: profecto longe magis noxia erit diversitas in religione, qua nihil sanctius, nihil maius cordato homini esse potest. Nam affectus flagrans, qui personas tales univit, cito pertransit: et si tunc intimior unio desideretur, sacerque religionis spiritus ab Alto vim initi foederis non roboret: actum de vera harmonia, hanc quippe nec fines terreni, nec respectus mundani procurant. Connaturale est homini, ut proprium, quod possidet, alieno magis arrideat: ideoque quisque admodum proclivis est, pro eo, ut convictionem alterius suae contrariam debito honore prosequeretur, eandem potius contemnere, aut plane ludibrio habere. Neque interna solum fidei sanctitas, sed externa quoque religionis exercitia, singulares ritus et devotiones

tristissimarum dissensionum domesticarum causae esse solent. Acerbum enim dolorem nemo continere valebit, qui viderit, qualiter is, qui secus in vita sibi proximus est, obiectum summae suae venerationis animo aut indifferenti, aut plane maligno despiciat, et clam irreligiosa plane irrisione prosequatur, aut pro superstitioso reputet fanatismo. Ex dolore huiusmodi abalienationem, diffidentiam, male contentum animum, inquietudinem, suspiciones varias, et postremo apertam quoque collisionem oriri necesse est. Qua ratione fit demum, ut eadem ipsa, quae pacis domesticae angelus esse debuit, religio fontem praebeat et causam infaustissimae vitae coniugalis, iique, qui mutuam quaesivere felicitatem, ad obitum usque perpetuo sibi oneri evadant.

Maximam attamen attentionem meretur evidens illud periculum, cui religiosa prolium educatio ac institutio in matrimoniis istis exponitur. Quantopere mutuus Parentum consensus et reciproca cooperatio requiratur ad hoc, ut proles eorumdem non tantum in tempore et aetate, sed in vero Dei timore et probitate adolescant: ipsi Parentes sollicití optime norunt. An non veritates fidei, teneraque sensa religionis omnis probae educationis sunt fundamenta? haec mature, unitisque viribus sunt cordibus adhuc intaminatis a Parentibus instillanda, si volumus, ut germina haec olim veri Religionis cultores, et fideles Ecclesiae filii, bonique Patriae cives evadant. Sed an sperari id potest: dum in summe momentoso isto negotio Parentum vires, et conatus iam in principio ab invicem divelluntur, aut plane in aperta contradictione constituuntur? an non quaelibet pars id vult, ut suus gnatus iuxta propriam suam cogitandi et sentiendi rationem educetur, et ad suas partes alliciatur? et si in Matre Catholica sacer fidei verae cultus, Religionisque ac Ecclesiae suae amor nondum penitus exstinctus est, potestne ipsa sine summo dolore et remorsu conscientiae contemplari, quod dulcissimorum natorum suorum fidem, propter vesanum terrenum affectum immolaverit? et proles suas a gremio Ecclesiae, cui ipsa internam suam tranquillitatem et futuram salutem in acceptis debet, divelli siverit? Aut demus, si fieri potest, quod Parentes ob bonum pacis dome-

sticae conveniant in eo, ut proles suas ad neutram partem alliciant: quod erit, quaeso, consensus huius formidabilis consectarium? Non aliud sane, quam quod miserae proles aequa ratione suos Parentes diligendo, primo quidem existimaturae sint, quamlibet religionem eiusdem esse pretii ac momenti; dein vero, evolutis facultatibus, ingens inter utramque discrimen videntes, id sint iudicaturae, neutram religionem quidquam valere, et en! taliter postremo sibi ipsis interitum tam quoad religionem, quam consequenter societatem civilem seque ipsas consciscent!

Omnia haec attenta mente combinantes, et multiplicia pericula, quae quotidiana vitae exempla affatim testantur, propius expendentes, non possumus non intima cum veneratione eam Sanctae Matris Ecclesiae piam prosequi sollicitudinem, cuius ope foedus matrimoniale suorum fidelium cum alienae sectae personis, ob infausta consectaria et pericula cum animae tum corporis, constantissime reprobavit, reprobabitque semper, donec Fidei a Salvatore custodiae suae creditae integritatem, fideliumque suorum spiritualem tranquillitatem, et temporalem aeque ac sempiternam beatitatem cordi habitura est.

Nec destitit hanc suam intentionem quavis occasione palam facere, dum editis constanti Fidei doctrinae conformiter in plurimis Conciliis legibus, et per S. Sedem Apostolicam multifariis ordinationibus similia matrimonia adprobari non posse, disertis verbis edixit. Licet autem lex haec nonnumquam exceptionem passa fuerit, et Ecclesia non semel necessitate cogente indulgentem se praebuerit: id tamen numquam non difficillime, et ex causis nonnisi gravissimis, universimque ad maiora duntaxat mala propulsanda evenit: quodque notatu dignissimum, semper sub certis tantum conditionibus, queis imminentia pericula et consectaria evitarentur. Certam se Ecclesia in quibusvis indulgentiae huiusmodi casibus reddere voluit tum de eo, quod pars catholica extra periculum defectionis a Fide posita sit, imo ei incumbat, consortem a via erronea retrahere; tum et praecipue de eo: quod nasciturae utriusque sexus proles in sacrosancta Catholica Religione educandae sint. Sub hac duntaxat condi-

tione sivit se Ecclesia Catholica eo flecti, ut mixta matrimonia in facie sua contrahi, et in gremio sui benedici permitteret.

Haec est doctrina, haec lex universalis, et praxis continua Ecclesiae Catholicae, quae in centro unitatis fidei, in gremio Sanctae Romanae Apostolicae Sedis ininterruptim inde a primordio usque huc illibate, et sancte custodita fuit. Quidquid praeter hanc, aut contra illam, ubicunque locorum, quocunque demum tempore factum: id exceptio erat, aut abusus, qui legem universalem abrogare numquam potest.

Ne autem abusus huiusmodi cum manifesta Fidei Catholicae, et Sacrorum Ecclesiae Canonum violatione irrepere possint: omnium et singulorum pastorum e praecepto Ecclesiae interest, in publicis non minus ac privatis institutionibus irremisso zelo eo contendendi, ne inter fideles Catholicos doctrinae Ecclesiae matrimonia mixta reprobantis memoria obliteretur. Atque hoc ipsum, nimirum Praesuleae istius obligationis sensus, et conscientiosa erga doctrinam fidei legemque Ecclesiae veneratio, incitamento Nobis fuere: ut praesentes Literas Pastorales ad dilectissimos in Christo fideles Nostros dirigeremus. Docere, instruere cupivimus fideles Nostros carissimos vi muneris Nostri apostolici, ut sciant Nobiscum, et scientes custodiant ea omnia, quae Religio postulat, Ecclesia praecipit, urget conscientia. In memoriam revocare voluimus funestissima illa consectaria, quae matrimonia mixtae religionis tum quoad fidem, tum quoad felicitatem coniugum, tum denique quoad aducationem prolium pariunt: ut non solum noverint, quid vera fides praecipiat vel prohibeat; sed haec ipsa pericula probe perpendentes una perspiciant, qualiter Ecclesia ex respectu propriae eorumdem salutis ab his foederibus abhorreat, et quod omnino causas sufficientes habeat fidelibus ea dissuadendi.

Confidimus etiam per Gratiam Domini, verba haec teneri paternique moniti Nostri et apostolicae instructionis sincera praecordia inventura esse; nec dubitamus, fore, ut fidei ac conscientiae vox, et Ecclesiae praeceptum vim affectuum in quibusdam erumpentium superent. Merito desi-

deramus et exspectamus a carissimis fidelibus Nostris, ut improbantes id, quod Ecclesia improbat, et metuentes pericula, a quibus haec illos tutos reddere satagit, postulata quidem iustitiae et caritatis proximi erga quoslibet homines absque discrimine fideliter adimpleant, et prout Ecclesia Catholica in his etiam legibus suis unice sincerae caritatis spiritu ducitur, ipsi quoque ad eius exemplum faciant: at simul constantem Ecclesiae doctrinam et fidei postulata non minus fideliter et zelose ac constanter custodiant: videlicet, ut singulas proles e Gratia Dei nascituras in omnem casum fidei ac conscientiae suae conformiter in gremio ac sinu Ecclesiae Catholicae educent.

Itaque, dilectissimi, „state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam Nostram; ipse autem Dominus Noster Jesus Christus et Deus et Pater Noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono. II. Thess. 2, 14—16.

Datum in Residentia Nostra Episcopali MVaradini die 15. Martii 1839.

357.

Instructio Episcopi MVaradinensis circa ineunda matr. mixta Parocho MVaradinensi data, dd. 22. April. 1839.

Reverendissime etc. In sequelam relationis Rmae DVrae in merito Sponsorum N. N. Helveticae Conf. addicti, et N. N. R. Catholicae Parochianae MVaradinensis mihi praestitae, Rmam DVram hisce inviandam habeo: ut, siquidem Catholica Ecclesia a mixtis matrimoniis, utpote quae non parum deformitatis et periculi praeseferunt, semper aliena fuerit, taliaque iuxta disertas Summorum Pontificum constitutiones nonnisi sub conditione catholicae utriusque sexus prolium exinde generandarum educationis in facie Ecclesiae celebrari et benedici admittat: hinc Rma DVra ante omnia Sponsam Catholicam in principiis Religionis rite instituat, eidemque obligationem, vi principiorum Religionis Catholicae sibi qua Matri incumbentem, ob oculos ponat, eandem-

que de eo, quodsi obligationis huius incuria in aliam quam catholicam prolium suarum educationem conseutiendo, nascituram sobolem suam salutis aeternae discrimini exponere nihili duxerit, facto hoc fidem neget, et qua talis ad suscipiendum Sacramentum Matrimonii, quod qua Sacramentum vivorum nonnisi in statu gratiae suscipi potest, incapax, atque benedictionis matrimonialis in facie Ecclesiae recipiendae indigna sit, capacitet, taliterque capacitatam et sponsum suum in catholicam prolium educationem medio reversalium stipulandam permovendum cohortetur. Porro et ipsum sponsum ad id praestandum, et hac ratione conscientiae sponsae catholicae citra laesionem utique propriae conscientiae et principiorum suae confessionis, subveniendum in conformitate circularium meorum ordinum dd. 27. Octobr. 1833. editorum disponere contendat. Si vero conatus Rmae DVrae ultro in irritum reciderent, et aut Sponsus in catholicam prolium educationem consentire pertinaciter renueret, aut sponsa conscientia obligationis suae haud tangeretur: eotum Rma DVra ab administrando Sacramento Matrimonii ob indispositionem partis catholicae et huius ad recipiendam benedictionem Matris Ecclesiae indignitatem hoc magis abstineat, quanto certius est, tali in casu ministrum Religionis Catholicae iuxta principia eiusdem Religionis citra laesionem propriae conscientiae matrimoniali copulationi per Sacramentalem benedictionem cooperari haud posse.

In quantum autem ex dispositione legis patriae parte ex una mixta matrimonia impedire haud licet, parte vero ex altera haec coram Parocho Catholico ineunda venirent: hinc ne in obversum legis catur, Rma DVra sponsae catholicae declaret, quod si ipsa proposito suo, dicto N. N. Helv. Conf. addicto citra praehabitam de catholica prolium Deo dante suscipiendarum educatione securitatem, nubendi inhaerere ultro cupit, matrimonium eius per Rmam DVram haud impediatur; ac tum praemissis more consueto promulgationibus, et tertia promulgatione absoluta, Sponsos opportuno tempore cum duobus solitis ad mentem SS. Concilii Tridentini requisitis testibus ad Parochiam vocet, et illic (non autem in Ecclesia) coram se qua solum teste qua-

lificato et authorisabili constitutos audiat, eorumque mutuum in hoc matrimonium consensum, solita iuramenti hungarici formula per illos confirmandum excipiat, assistentia mere passiva et materiali, quin ulla ratione cooperetur; et ideo nec Rochetum nec Stolam adhibeat, aut aliquas preces sacras aut quemvis ritum ecclesiasticum admisceat, denique audito Sponsorum consensu, actum hunc valide gestum iisdem declaret, et mox in librum distinctum matricularem inferat. Qui in reliquo etc. Varadini, die 22. April. 1839. Franciscus Laicsák, Episcopus.

358—364.

Acta in Dioecesi Neosoliensi circa matrimonia mixta interventa an. 1838—1840.

a) 358.

Repraesentatio Districtus Libeth-Bányensis ad Episcopum, dd. 6. Novembr. 1838.

Gravissima sunt illa mala, quae exinde redundant, quod nonnulli Curati Dioecesis huius erronee, an rectius licentiose dixerimus, mixta matrimonia indiscriminatim citra praeviam sponsionem ab acatholico obtentam de prolibus omnibus in Religione Catholica educandis, benedicant: quo fit, ut tam in dogma sanctissimae Religionis nostrae *de Ecclesia una sola salvifica*, quam in pervetustam disciplinam Ecclesiae, semper sancte observanda, offendant. Offendunt in dogma, secundum quod Religio nostra est una sancta, una vera, una divina, ceteras quaslibet reiiciens professiones; dum autem matrimoniis praevio modo conciliatis assistunt, temere et catholicam personam, et futuram sobolem periculo perversionis committunt. Offendunt etiam in pervetustam Ecclesiae disciplinam, secundum quam Catholicorum cum haereticis connubia illicita, perniciosa, et detestabilia perpetuo interdixit et reprobavit Ecclesia, quod innumeris Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis clarum est. Quodsi quandoque Romani Pontifices a sanctissimo illo Canonum interdicto nonnumquam dispensarunt, id gravibus ex causis, et aegre admodum fecerunt, et suis dispensationibus adii-

cere consueuerunt conditionem expressam: ne videlicet coniux catholicus ab acatholico perverti posset, sed ut potius hic ab errore retrahatur, et ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae Religionis sanctitate educarctur: unde liquet, matrimonia mixta esse illicita, et citra dispensationem a S. Sede contrahi non posse.

His itaque e motivis supplices fimus illustritati Vestrae, ut mala haec praepedire dignaretur mediantibus gratiosis ordinibus: ut Curati absque speciali Illustritatis Vestrae dispensatione non audeant mixtas nuptias nisi cum praeviis canteiis benedicere. Neque haec proferre in mentem nobis venit, ut super obiectum attactum Illustritatem Vestram, sacra omni doctrina peritissimam, edocere velimus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit; sed quia in merito praevio et videmus et legimus, ab anno uno quanta fiant! sed vel in primis conscientias nostras Allocutio feliciter Ecclesiam Dei gubernantis Gregorii XVI. in causa Archiepiscopi Coloniensis ad Cardinales in secreto Consistorio habita, excitavit; hunc excitatum stimulum conscientiae cupimus per illustritatis Vestrae gratiosum praesidium tranquillare; nam de generali facultate Curatis per Praesules Ecclesiarum, ut libere mixta matrimonia copulare possint, data nobis nihil constat. Quod in praesens fecimus, egimus ex ignorantia, cui cui imputanda? Scrutator cordium novit! nunc vero cognoscentes errorem, tenemur eundem deponere, nec amplius conscientias nostras gravi piaculo gravare.

Profecto conscientiae nostrae redargutiones graves sunt. Episcopi Rhenanae Provinciae, et Westphalicae, atque Hannoveranae, quin et in iis partibus Germaniae, quae Augustissimo sceptro nostri Clementissimi Regis subiectae sunt, imo ad notitiam nostram etiam bini Praesules Dioecesani in Regno nostro, hoc ipsum, in quo illustritati Vestrae supplicamus, iam apud Clerum Curatum introduxerunt. Articulus 26. 179%. nil in obversum normae huius praeiudicare potest, siquidem contradicente Clero latus sit, unde Clerus R. Hungariae numquam in mixta matrimonia, quae contra sanctiones Ecclesiasticas ineuntur, consentire potuit. Prae-

terea in lege eadem, ubi directe de educatione prolium e mixtis nuptiis progenitarum agitur, dicitur: patre catholico existente utriusque sexus proles sacra patris sequi tenentur; patre vero acatholico, subiungitur: proles masculae sacra eius sequi possunt; quae legis dispositio non coactive sed facultative expressa, facultatem *Reversales* expetendi admittit, quae si negentur, negenda quoque venit benedictio e doctrina et disciplina Ecclesiae tot decisis et rescriptis Summorum Pontificum manifestata. Haec si Illustritas Vestra Episcopalis dignabitur gratiose inducere, et conscientiis nostris tranquillitas procurabitur, et onus, quod nobis ex his mixtis matr. exurgit, leve, atque iugum suave evadet.

b) 359.

Rescriptum Episcopi, dd. 30. Nov. 1838.

Quod attinet matrimonia inter Sponsos diversae religionis, haec apud nos vigore legis, articuli quippe 26. 179⁰/₁. §. 15. semper coram Parochis Catholicis iniri debent, nec unquam legitime matrimonium huiusmodi coram Ministro alterius religionis contrahi potest. Id quod in Provinciis Borussicis, ad quas hic non sat reflexe provocatur, longe aliter se habet. Ibi enim etiam absque interventu Parochi Catholici civiliter legitimum matrimonium inter Catholicam et Evangelicae Confessionis personam contrahitur. Ego articulum 26. 179⁰/₁. usu fere semiseculari roboratum, pro constitutionali et fundamentali agnosco, nec unquam eo aduisurus sum, ut is in Religionis Catholicae praeiudicium et detrimentum alteretur. Eius enim vigore, quem sub postremis Comitiis adversa pars multo conatu subruere contendebat, Clerus Catholicus omnia mixtae religionis matrimonia suae curae et sollicitudini directe commissa habet; occasione proin institutionis religionariae omnia media ad assecurandam partis catholicae eiusque prolium aeternam salutem adhibere et potest, et in conscientia etiam obstrictus est. Si ei partem catholicam a proposito ineundi eiusmodi matrimonii, in quo proles non suae religionis educandas haberet, removere, aut ad impetrandas a sponso suo de ca-

tholica omnium prolium educatione Reversales adducere non successerit, eaque ex parte sua debita et sufficiente institutione religionaria superata in sensu legis praecitatae, qua impedimenta matrimoniis mixtae religionis quocunque sub praetextu ponere cautum est, nuptias huiusmodi inire tamen voluerit: nec mihi, nec alteri cuipiam integrum est, sed nec paci et tranquillitati publicae, quin imo nec ipsi Religioni nostrae proficuum atque utile esse censeo, tali in casu benedictionem mixtae religionis nuptiis, contra vigentem hucdum a semiseculo in Regno hoc usum, cum periculo intentae ex adverso supracitati Religioni Catholicae favorabilis articuli subversionis, denegare. Ceterum dum talia mixtae religionis matrimonia inter nos, quae nulla lege Oecumenici cuiuspiam Concilii prohibita, lege autem Regni nostri sub certis cautelis admissa sunt, plane reprobari et damnari non posse existimo, nulli tamen fidelium commendanda, imo multis ex rationibus dissuadenda esse profiteor, damnata si quam Curati Catholici, de quibus libenter meliora suppono, hac in parte admisissent, seu licentia seu negligentia.

c) 360.

Altera eiusdem Districtus remonstratio ad Episcopum, dd. 14. Maii 1839.

Sanctimonia pastoralis officii nostri, quo cum Illustritate Vestra Episcopali tamquam Capite, in salutem animarum pretioso sangvine Jesu Christi Dei ac Domini nostri redemtarum procurandam fungimur, nos exspectare sivit: ut, cum Matrimonium sit Sacramentum, et quidem magnum in Christo et Ecclesia, nobis quoad ea, quae a Sponsis mixtae religionis iniri tentantur, ancipitibus non tam ex obtutu politico et civili, quam potius e Sacramentali atque e doctrina Ecclesia ac praeceptis subveniat Pastoralis Instructio, atque sic conscientiarum nostrarum anxietates sufferantur. Verum diffiteri non possumus, vel sola Illustritatis Vestrae ad legem civilem Regni, art. quippe 26. 179⁰/₁. provocatione, consternationem et animorum nostrorum angores fuisse adauctos. Lubenter omnino agnoscimus, quod in potestate

Illustr. Vestrae situm non sit, mixta matrimonia prohibere, cum ea alioquin Ecclesia Catholica, semper prohibuerit, et pro illicitis declaraverit; ast quod eo non obstante lex civilis pro stricta observantia proponatur, ita, ut ea praeponderare debeat legi Ecclesiae vetanti etiam apud Ecclesiasticos in sortem Domini vocatos: istud est, quod animos nostros intime conturbat. Nam recte id, quod lex illa civilis praecipit: reprobat et prohibet Ecclesia, cuius nos non tantum filii, sed etiam ministri et dispensatores mysteriorum sumus, quibus ante omnia cordi esse debet, ut fideles inveniamur. Quomodonam vero eam (legem) favorabilem pro Catholicis esse persuadeamur, cui omnes Episcopi, totusque Clerus, ac multi seculares cordati viri in Comitiis contradixerunt, non perspicimus. Equidem cit. Art. §. 15. decernit: mixta matr. semper coram Catholicis Parochis ineunda erunt, quibus tamen impedimenta quaepiam quocunque sub praetextu in contrarium ponere cautum esto. At vero e diametro contrarium multis seculis ante, imo semper et ubique tam dispersa, quam in Conciliis congregata sensit, tenuit, et sanxit Ecclesia, ac in ea primatu iurisdictionis pollentes Romani Pontifices. His autem tot ac tantis sanctionibus afflatu Spiritus S. latis lege nova in Regni Conventu civili in favorem utplurimum Acatholicorum unilateraliter, repugnante quippe et reclamante, nihilominus tamen insuperhabito Statu Ecclesiastico perlata, quidquam praeiudicari posse minime censemus, eo minus, quod contra legem Dei aut Ecclesiae in dogmate fundatam nulla unquam, qualisqualis, nec immemorialis, praevalere possit usus praescriptio; secus enim transgressiones et peccata per continuam praxim converti possent in virtutes et bona opera. Ceterum cum circa sanctiones Conciliorum quoad mixta matr. unicum obortum fuerit dubium, ad hoc tollendum adducimus in medium Conc. Oec. Chalcedonense a. 451. celebratum, quod Sess. XV. Can. 14. in priori parte huius Canonis Clericis quidem, posteriori vero parte omnibus fidelibus indiscriminatim mixta matr. prohibet, nec aliter, nisi consuetis sub cautelis admittit. Id ipsum Conc. quoque Agathense de a. 506. Can. 67. decrevit, cuius Canon cum in

Decretum Gratiani, atque adeo in Corpus ipsum Juris Canonici relatum existat, eo ipso normalem et universim obligantem constituit canonem, Caus. 28. q. 1. — Idem praecipitur in Decretalibus Bonifacii VIII. Lib. 6. Decr. Cap. 14. de haeret. Quid quod in Patria nostra Synodus Nationalis Posonii an. 1309. sub praesidio Apostolici Legati Cardinalis Gentilis celebrata Can. 8. districtim prohibeat: „filiam, neptem, consangvineam detecto haeretico, vel schismatico connubio tradere, vel eis aliquomodo copulare" ex rationibus fusius ibidem deductis: „qui vero contra inhibitionem praesentem fecerit, eo ipso excommunicationis mucrone perculsum se noverit, et ecclesiastica sepultura privatum". Atque huius Concilii acta Summus Pontifex Clemens VI. confirmavit.

Quidnam vero ipsa Romana Ecclesia, *ad quam utique propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, cum e Petri Cathedra, atque ab Ecclesia principali unitas sacerdotalis orta sit*, in isto negotio a zelosis salutem animarum omnimode prae oculis habentibus diversarum dioecesium et provinciarum orbis Catholici Episcopis consulta, responderit: quantopere mixta matrimonia semper damnaverit ex eo, quod adversa sint dogmati de sola salvifica Ecclesia: testantur Literae Apostolicae, Bullae, Constitutiones, et Brevia innumera dimissa. Quam quidem salutiferam in arduis ad Sedem Centri Unitatis recurrendi praxim in Patria nostra exolevisse, ex adverso autem Sacra et Sacramenta civiliter accomodandi abusum inolevisse, non immerito lugere cogimur. Profecto si metiamur secula, et antiquitatem huius sanctionis eiusque praxis in Ecclesia disquiramus: non sine devota admiratione ac divinae assistentiae intima persuasione fateri cogemur, inde a Leone M. usque ad modo feliciter Ecclesiam Dei gubernantem Gregorium XVI. mixta matrimonia velut saluti fidelium pestifera constanter fuisse reprobata, atque damnata. Praesertim recentiora quod attinet tempora, quibus tot ac tantae, ut antea numquam, ad semel propullularunt haereses, ac totam longe lateque Europam non modo inundaverunt, sed etiam vi, potentia, et favore Principum Terrae diuturnam consi-

stentiam adeptae in ipsa Ecclesiae viscera saevire numquam destiterunt: Sedes Apostolica, licet infinitis adversitatibus, periculisque summis cincta et pressa, numquam tamen a fundamentali hac regula sese deturbari passa est. Sufficiet fortasse hanc in rem commemorare *Benedictum XIV.* qui in sua Constitutione de 29. Jun. 1748. etiam apud nos, signanter in Dioecesi Strigoniensi, publicata sequentia in memoriam revocat: „Neque vero necessum habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas eius disciplinae, qua semper Apostolica Sedes Catholicorum cum haereticis connubia reprobavit. Sed aliqua duntaxat sat erit adferre, quibus ostendemus eandem disciplinam ad nostra usque tempora constanter servatam ac apud nos et Apostolicam Sedem non minus integram vigere et religiose custodiri." Longe strictius idem Summus Pontifex in Declaratione sua l. dd. 4. Nov. 1741. se enunciavit: in qua postquam praemisit „S. Matrem Ecclesiam perpetuo mixtae religionis nuptias damnasse et interdixisse," simul adiunxit: „ut Antistites Ecclesiarum Catholicos a sacrilegis his vinculis cum haereticis iungendis, propositis severioribus etiam poenis coercere studeant."

Inde quoque perspicitur fundamentum, curnam Ecclesia Catholica hanc regulam constanter firmiterque servaverit: quia nempe innititur dogmati de una sola salvifica Ecclesia; non videtur itaque illa nobis mera tantum, et pro diversitate locorum, temporumque mutabilis disciplina, sed salutifera ac invariabilis Ecclesiae doctrina. Non ignoramus quidem emersisse casus, quibus Romani Pontifices in mixtis matrimoniis dispensarunt; sed isti erant extraordinarii, dispensationes vero ipsae ad singulares personas restrictae non aliter adplacidabantur, quam gravissima eaque urgente ad bonum publicum pertinente causa, adiectisque semper opportunis cautelis, quibus non modo catholicae coniugis sobolisque salus, sed etiam constans Ecclesiae doctrina sarta tectaque servetur. Non secus certum tenemus, omnem dispensationem esse vulnus legis, nihilominus hanc per illam neutiquam tolli, verum potius firmari, ac nonnisi per universalem dispensationem, quae abolitioni aequivaleret, cuius

tamen nullum legitimum exstat exemplum, legem Ecclesiae mortificari posse. — Quantum denique modernum SSmum Papam attinet, non possumus a nobis impetrare, ut credamus, Eundem, qui tot palmaria quoad omnes orbis Catholici Ecclesias sollicitudinis suae edidit documenta, apprime informatum ac probe gnarum rerum, quae apud nos aguntur, abusibus his diuturnis mixtorum matr. consulto quasi connivere velle.

Interim ad refroenandam hanc licentiam propositum nobis et inculcatum ab Illustritate Vestra medium, quantum in nobis est, et opitulante Deo efficacissimum proni veneramur, ac sicut hucadusque, ita in futurum quoque adhibere paratissimi sumus, spe freti, quod in hoc solo summa totius officii non sit reponenda, nec praesidium nobis necessarium sit defuturum. Institutionem populi fidelis ad avertenda mixta matrimonia multum conferre, intime persuasi, et in Deo salutis auctore confisi, non intermittemus qualibet opportunitate, praeprimis tempore contrahendorum matrimoniorum perspicue exponere: quae sit Ecclesiae doctrina et Canonum sanctio circa mixta matrimonia; quantopere illa (Eccl. doctrina et Canonum sanctio) innitantur fidei articulo de una sola Ecclesia salvifica, ob oculos ponere, inculcareque illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non peccata solum, sed ipsa etiam pericula ad peccata proxime inducentia vitare jubemur, quemadmodum etiam aliud praeceptum eiusdem legis, qua parentibus iniungitur liberos educare in disciplina et correptione Domini, ideoque eos manuducere ad verum Dei cultum, qui unice in Catholica Religione invenitur; hortari non desistemus, ut in conscientia serio expendant, quantam Supremo Numini iniuriam illaturi, quam crudeliter in se, futuramque sibi sobolem acturi sint, si nuptiis temere cum acatholicis contrahendis, et se et ipsas suas proles perversionis periculo et salutis aeternae discrimini exposuerint. Hoc omnino loquemur, et exhortabimur in Christo Jesu Domino nostro. Sed quia semen est verbum Dei, de quo praeter id, quod in bonam terram, aliud in saxum, aliud inter spinas, aliud secus viam cadit, quid tum? si omnis institutio nostra,

quaevis monita et adhortationes inefficaces maneant? quid si sponsa inordinato sponsi amore excoccata, aut spe adipiscendae per tale connubium melioris suae subsistentiae futurae, vel plane quod aevi nostri moralis pestis est, typho indifferentismi religiosi correpta, institutionem catecheticam, ceu ad scopum suum parum facientem, surdis exceperit auribus, cautelas ab Ecclesia praescriptas repudiaverit, tam suam quam futurarum prolium salutem prorsus contemserit? integrumne nobis erit, huic et aliis similibus prorsus indispositis et manifeste indignis Sacramentum administrare? licitumne margaritas proiicere ante porcos? an non maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter? Sed nondum satis: si his divinis eloquiis minime deterritos nihil proficientibus nostris publicis et privatis dehortationibus a contrahendis mixtis matr. velut illicitis et peccaminosis, tamen eorumdem copulationem in facie Ecclesiae susceperimus: nonne quod verbis affirmavimus, factis propriis negabimus, et falsum esse ostendemus? atque sic assimilabimur super cathedram Mosis sedentibus Scribis et Pharisaeis, de quibus Salvator ait: dicunt, et non faciunt, quibus eapropter tamquam hypocritis tremendum *Vae* interminavit! Sic inquam tota quanta praeconum verbi Dei veracitas, et fides, cui reciproca populi fiducia innititur, atque ipsa Ecclesiae auctoritas per nos, ipsos eius ministros, funditus subvertetur, nedum ludibrio exponetur.

Memores itaque, esse nos simul omnes in opus Domini consecratos, posthabito respectu civili et politico, quem saepe saepius in diminutionem Regni Dei, quod est Ecclesia, tendere experientia docet, et Scriptura S. in Sacerdotibus reprobat, dicens: „nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est Regno Dei:" unice quod obiectum Religionis eiusque mysteriorum tangit, quod sphaeram nostram concernit, in qua sine discrimine cunctos conscientiose versari oportet, religiose prosequentes, quum gratioso Illustritatis Vestrae rescripto nondum plene tranquillatae, continuo adhuc incertae, revera inter sacrum et saxum fluctuent (conscientiae nostrae); idcirco Eandem Illustr. Vram qua Episcopum animarum nostrarum iterum iterumque de-

misse interpellamus, dignetur quoad Administrationem huius Sacramenti super sequentibus, quae ad paucissima puncta contrahimus, pastoralem nobis elargiri instructionem: An fideles nostri possint libere ac licite matrimonia cum haereticis contrahere, non modo non impetrata Ecclesiae dispensatione, sed praetermissis etiam debitis cautelis, illa praesertim, quae est de sobole universa Catholice educanda? atque an nos Parochi possimus in Domino idgenus, ut praemissum est, mixtas nuptias, postquam eas illicitas et ab Ecclesia prohibitas esse populum fidelem diligenter edocuimus, easdem contrahendas in Ecclesia coram eodem populo proclamare, ac postmodum etiam assistere actui, quo illae contrahantur, id est, sacramentaliter copulare absque piaculo et reatu conscientiae? Nam nos subordinati, Episcopalique directioni subiecti Pastores animarum de his onus responsionis coram Divino Pastore in nosmet solos assumere neutiquam audemus: ideo enim Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento Doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. *Ephes. IV.*

d) 361.

Responsum Episcopi dd. 15. Junii 1839.

De diversae religionis matrimoniis nec ego aliam possum adferre doctrinam, quam quae a principio obtinuit in Ecclesia Catholica. Ea nimirum licet, quantum fieri potuit, vetita, causa nihilominus maioris boni inter Christianos sponsos, inter quos diversitas religionis numquam fuit impedimentum dirimens, non obstante circa educationem prolium multiplici praxis varietate, tolerabantur, et secundum receptum apud nos uniformem usum benedicebantur etiam hucadusque. Et ideo donec hac in parte aliud universaliter statutum non fuerit, inculcata curatoribus animarum in quovis singillativo casu partis Catholicae diligentissima praeprimis de officiis parentum in mixtis matr. institutione, partialiter nihil innovandum, sed quod recepto communi, antiquo, et

immemoriali usu traditum est, ultro quoque tenendum erit; praestabilius namque est, animas in periculo perversionis positas communione Sacramentalis fidei Ecclesiae nostrae conservare, et lucrifacere, quam tales subtrahendo et denegando iisdem expetitam benedictionis matrimonialis gratiam prorsus ab ea abalienare. Non semper enim optimos fructus tulit strictus rigor disciplinae, insuper quis minister Sacramenti Matrimonii sit, variat apud Theologos Catholicos sententia. Ad singula, quae hic adducuntur, supervacaneum censeo reflexiones ponere, cum generalia haec ex obtutu politico-ecclesiastico desumta et spiritui Ecclesiae Catholicae propria, ad tranquillandum salutaris discretionis sensum abunde sufficiant; non possum attamen hic adhuc et illud non animadvertere, quod sub quaestione positum sit, utrum ea, quae per Districtuales e Decretis Conc. Chalcedonensis, aliorumque citatorum, et signanter etiam ex Synodo Posoniensi de an. 1309. in medium proferuntur, recte ad Evangelicos utriusque Confessionis, longe tardioris aetatis, quibuscum nobis vel maxime res est, applicari possint ac valeant? Practerea vero merito supponatur, Praesules Hungariae aut Nuntium Apostolicum Viennae a. 1790. existentem, legem nostram de mixtis matrimoniis S. Sedi Romanae fideliter retulisse: a qua siquidem speciale Breve desuper adusque haud emanaverit, et usus communis et uniformis benedicendi mixta matrimonia per Parochum Catholicum, invariatus hactenus perseveret: sine ratione turbantur animi Curatorum ob differentias in Germania longe diverso ex obtutu suscitatas.

e) 362.

Tertia repraesentatio Districtus Libeth-Bányensis, ddo. 21. Augusti 1839.

Quamvis spe obtinendae instructionis pastoralis ad puncta humillime proposita frustrati, tamen consolatione animi recreati sumus, intelligentes, nec ab illustritate Vestra adferri posse de diversae religionis matrimoniis aliam doctrinam, quam quae a principio obtinuit in Ecclesia Catholica. At vero cum doctrinae huic opposita disciplina ab eadem Ecclesia constitui nullatenus possit, secus altera alteram tolleret:

sequitur, quod, qui veram doctrinam agnoscit, simul etiam disciplinae eiusdem in dogmate fundatae sese conformare debeat, proinde impossibile est huic disciplinae multis seculis observatae contrariam, utplurimum aetate nostra invectam, praxim pro antiquo, immemoriali, et legitimo usu statuere, quasi avita disciplina posset hoc solo facto sufferri. Nihilominus commendatur nobis, ut partialiter nihil innovemus, sed quod recepto usu traditum est, teneamus: „nam 1. praestabilius est, animas in periculo perversionis positas communione Sacramentalis fidei Ecclesiae nostrae conservare et lucrifacere, quam tales subtrahendo et denegando iisdem expetitam benedictionis matrimonialis gratiam prorsus ab ea abalienare.“ Haec legendo sacer nos horror pervasit, nec abs re sane; nam ullo non tempore licet facere malum, ut eveniat bonum, in praesenti autem casu nosmet sacrilegio pollueremus, si animam talem scelestam, matrimonium cum viro acatholico temere anhelantem, quaevis monita et instructiones pastoris proterve contemnentem, propriam suam sobolisque suae futurae salutem vilipendentem, quae quasi ex proposito Ecclesiam Dei audire non vult pertinaciter, adeoque ab ea prorsus iam alienata est, participem redderemus Sacramenti, quo suscepto maneret tamen ut ante fuit. Variet pace nostra Theologorum sententia in quaestione nobis iniecta, quisnam sit Sacramenti Matrimonii Minister? nos enim cum omnibus Catholicis tenemus, matrimonium esse Sacramentum, illudque, sicut cetera Sacramenta, digne suscipi, indignis negari debere, secus committitur sacrilegium. Verum quidem est, diversitatem religionis inter personas numquam fuisse impedimentum dirimens matrimonium: quod alioquin nec Ecclesia universalis statuit, neque nos asserimus; sed Ecclesia dogmati suo innixa matrimonia mixta sub certis nonnisi conditionibus admittit, quibus non servatis ritu sacro probari vetat. Nos igitur legi huic obsequentes, nihil omnino innovamus, verum tenemus quod traditum est; nihil partialiter agimus, non enim scindimur in partes, sed Ecclesiae universali, eiusque centro unitatis coniuncti manemus; innovationis ergo partialis rei illi potius dicendi sunt, qui in partes abeunt, ac ad-

versus genuinam vetustamque Ecclesiae disciplinam novam praxim semper ab illa reprobatam, hoc est, spuriam pro legitima sectantur. 2. Ideo haec praxis nobis servanda suadetur, „quia non semper optimos fructus tulit strictus rigor disciplinae," quibus verbis ferme videtur per latus nostrum peti ipsa Ecclesia, et stricti rigoris argui. Nobis etenim, ad quos illa verba diriguntur, duntaxat obsequii gloria relicta est: atque si rigor est, is utique non nobis, sed Ecclesiae praecipienti attribuendus erit; si vero verbis praemissis a nobis praetenditur, ut in executione rigorem hunc indigitato modo temperemus, id quid aliud esset, quam ministerio nostri porro et ultro continuativo reformare velle avitam disciplinam Ecclesiae? talibus autem reformatoribus non indiget Ecclesia.

Quoad reliqua, quae in priori nostro demisso responso exposuimus, censuit Illustritas Vestra supervacaneum reflexiones ponere, „cum generalia haec ex obtutu politico-ecclesiastico desumta, ac spiritui Ecclesiae propria ad tranquillandum salutaris discretionis sensum abunde sufficiant etc." Liceat nobis ad haec, salva profunda nostra, quae dignitati Illtis Vrae debetur, veneratione, filiali cum candore sequentia profiteri. Inprimis haud esse datum nobis cum salutaris discretionis sensum, quo ipsi privata auctoritate nostra, ausu proin poena digno, scienter alteremus sanctiones illius Ecclesiae, cui omnes Catholici orbis Episcopi et Pastores prae ceteris tenentur obedire; nec inesse conscientiis nostris tantam elasticitatem, ut uno eodemque tempore in contrarias partes, videlicet spiritui seculi, et spiritui Ecclesiae proprias, expandi, levigari, ac ad palatum politico-ecclesiasticum aptari valeant. Imo nobis animarum pastoribus per obtutum politico-ecclesiasticum obversari oculis abnormitatem quamdam, velut si quis sacerdos diceretur ecclesiastico-politicus, seu secundum Apocalypticum vatem calido-frigidus (Apoc. 3.). Deinde intime convicti, quod olim Princeps Pastorum non ex obtútu politico-ecclesiastico, sed iuxta legem suam, quae nobis est Dei et Ecclesiae, iudicaturus sit: coram Illte Vra humillime adaperimus, quod nullam quoad spiritualia legum aut ordinationum civilium in collisione cum

SS. Ecclesiae canonibus praerogativam agnoscentes, donec S. Sedi Apostolicae circa mixta matrimonia in accidentalibus nefors quaepiam modificare visum fuerit (in essentialibus namque propter dogmatis fundamentum nil mutari posse res ipsa loquitur), nos a vigentibus Ecclesiae sanctionibus ne latum quidem unguem discessuros, sed ceu normam Summi Pontificis Benedicti XIV. de 29. Jun. 1748. constitutionem, quae incipit: *Magnae nobis admirationis*, tum Pii VIII. Breve Apost. de 25. Mart. 1830. cum adnexa Instructione Card. Albani, denique hodie feliciter Ecclesiam gubernantis Papae Gregorii XVI. Encyclicam ad omnes Episcopos, Clerumque universum dd. 15. Aug. 1832. eiusque Allocutiones hucadusque ternas, dd. 10. Dec. 1837. dd. 13. Sept. 1838. et dd. 8. Jul. 1839. omnimode observaturos esse. E quibus insuper clare dispicitur, nullam subversari posse quaestionem, an Decreta Conciliorum de connubiis fidelium cum haereticis quondam lata ad hodiernos, adeoque tardioris aetatis, quibuscum nobis vel maxime res est, et quos Illtas Vra Evangelicos compellare dignatur, applicari possint, ac valeant? quin imo illud quoque elucet, differentias in Germania nequaquam e longe diverso obtutu, verum maxime propter leges civiles quoad mixta matrimonia in praeiudicium Ecclesiae latas, pullulasse.

Ceterum Deus Omniscius quam optime cognoscit, utrum sine ratione turbentur animi nostri: quod sentimus tamen, loquimur, nempe nec sola Nuntii Viennensis ad Sedem Apostolicam notificatione, neque nuda tantum futurorum exinde exspectatione, sed unice energica, zelosaque Praelatorum Hungariae tam apud Suam Maiestatem, quam Suam Sanctitatem remonstratione, invictaque animi constantia noxam hanc Ecclesiae gravissimam, cui indormitum fuit, reparari posse; merum vero suppositum, sine ullis indiciis, de factis Romae passibus, ad summum langvidis conscientiis adferre dormitationem, et ulteriori continuatione eiusmodi abusuum reatus quoque conniventium augeri debere. Quantum denique nos contingit, fatemur: non tam exemplo extraneorum, quam remorsu conscientiae, ex uberiori materiae huius disquisitione, oborto, nos esse ab errore expergefactos,

tum vicinae nobis Dioecesis (Rosnaviensis), ac quorumdam Patriae ac Monarchiae Austriacae Episcoporum edito zelo confirmatos, quorum quidem utinam et alii aemularentur carismata meliora! nam falsam sententiam numquam tenere prima laus est, secunda mutare: scripsit S. Augustinus ab errore conversus.

f) 363.

Resolutio Episcopi dd. 25. Sept. 1839.

Procul absit a nobis Fanatismus aeque ac Indifferentismus religionarius! Matrimonia diversae religionis etiam cum gentilibus viguisse, et ritu ecclesiastico celebrata fuisse, non est ambigendum, si vel ad nuptias Clodovaci, Vratislai, et plurium aliorum reflectamus, non est itaque nova et aetate nostra invecta haec praxis. Si talia matrimonia praesertim inter Christianos valida sunt, et apud nos etiam legitima: non est ratio sufficiens, ut recepto in eorum solennisatione ritui sic dicta assistentia passiva, quae sanae logicae repugnat, substituatur, cum Conc. Tridentinum Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matr. expresse praecipiat: ut in conferendo matrimonii Sacramento ritus, qui in singulis provinciis vigent, retineantur. Falsum porro est suppositum, quod persona alterius religionis viro nubens, ab Ecclesia Catholica prorsus sit alienata, secus enim non expeteret gratiam sacramentalis benedictionis iuxta ritum Ecclesiae; et innumera exempla docent, quod tales non tantum fidem intaminatam servaverint, sed etiam coniuges atque proles Ecclesiae Catholicae lucrifecerint. Quisnam vero gradus dignitatis requiratur ad valide suscipiendum Sacramentum matrimonii, decisum non est; nefas autem foret administrationem Sacramenti unice propter scrupulum, ubi nulla aperta ratio illud conferre vetat, denegare, cum satius sit Sacramentum invaliditatis periculo exponere, quam ut homo, in cuius salutem moralem Sacramenta instituta sunt, sacramentalis gratiae adminiculo destitutus relinquatur. Nec Ecclesiam, quae matrimonia mixta ex obtutu politico-ecclesiastico semper toleravit, sed eos, qui hac in parte disciplinam Ecclesiae ultra, quam iustum est, arctare volunt, haec reflexio respicit; cui salutaris di-

scretionis sensus datus non est, pro tali suppliciter oret ad Dominum, nam si habuerit fidem ita ut montes transferat, caritatem autem non habuerit, erit sicut aes sonans, et cymbalum tinniens; et qui prudentiam, seu quod idem est, politico-ecclesiasticos respectus non noscit, indiscretione sua et Ecclesiae et publicae tranquillitati plurimum officiet. Praetenditur, quod Districtuales quaestionatis matrimoniis assistere non possint, quia id Ecclesia vetat: ubi est eatenus Decretum oecumenici Concilii? et si est, quando tale recepit Hungaria? Constitutiones quoque Pontificiae tantum ibi valent ubi receptae sunt; iam autem has, quae sic dictam assistentiam passivam ex ratione particularium rei adiunctorum Catholicis sub Borussico Regimine gementibus suadent, Ecclesia Hungarica necdum adoptavit. Ceterum quod nefors parte in hac pro ratione necessitatis, e communi Episcoporum Hungariae sensu, medio distincti Brevis Apostolici ordinatum fuerit, id nobis, eousque praxim hactenus usitatam secuturis, pro futuro cynosuram dabit.

g) 364.

Quarta et ultima repraesentatio Districtus antelati, dd. 29. Octobr. 1829.

Exaudito Rescripto Suae Illustritatis Eppalis nos congregati in unum, sensu communi percipientes, quod causa mixtorum matrimoniorum alioquin per doctrinam Ecclesiae non minus, quam avitam hucadusque perdurantem eius disciplinam, per Canones Conciliorum, et Constitutiones Sedis Apostolicae, quae omnes Catholicos in conscientia obstringunt, plene decisa, in disputationem probrosam nos inter et Praelatum nostrum vergere incipiat; memores praeterea, quidnam huic dignitati, et quid nobismetipsis debeamus, gradum sistimus: atque Rescriptum istud (dd. 25. Sept.) hodie publicatum inter rariora habituri, intimam nostram cum Ecclesia Catholica, eiusque Centro Unitatis communionem iterum iterumque profitentes, exactam simul quoad mixta matrimonia latarum sanctionum observantiam Deo opitulante promittimus; quod et Illtis Vrae calculo tanto firmius speramus probatum iri, quanto sanctius tenemus esse depositarium fidei,

et vindicem SS. Canonum, nobisque effatum S. Cypriani Ep. 69: „Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo" super hoc vadimonium praebeat: imponimus finem dicendi, ac ingredimur campum agendi, non enim in sermone, sed in virtute est Regnum Dei.

Memoriale Curatorum Distr. Libeth-Bányensis in eodem merito ad Episcopum dimissum, et repraesentationi seu declarationi praeattactae adnexum.

Magno nostro cum moerore, atque animi perturbatione non modica ingemiscentes intelleximus, Illtem Vram eam concepisse suspicionem, quasi Districtus hic, propugnando ea, quae absque dispendio et iactura animarum curae suae commissarum, magnaque Catholicae Religionis iniuria fieri non posse videt, Illustritatem Vram Fanatismi, aut potius Indifferentismi arguere vellet, ob quod necessum esset, alterutrum a se procul amovere. Illme D. Praesul! probe noscimus Illustr. Vrae sicut quoad universam Ecclesiae divinitus sibi creditae curam, ita et circa munus docendi primas competere partes: et ideo ea qua par est cum submissione, ab errore expergefacti, obortos conscientiae nostrae angores, nec non enatas in exercitio muneris pastoralis perplexitates in paternum Praesulis nostri sinum effundere eo consilio sustinuimus, ut in re tanti momenti subveniat summi Pastoris instructio. Ast ea tribus iam gratiosis resolutionibus contenta, rationum momentis ibidem expositis suffulta, est intimae nostrae convictioni e diametro opposita, ut adeo persuasionis nostrae vim non imminuerit, sed potius adauxerit, atque in exercitio muneris pastoralis numquam non ad normam SS. Canonum exigendo, eam demum pepererit alternativam: num liceat obedire magis hominibus quam Deo; Episcopo magis, quam universae Ecclesiae? quo fit, ut tacere nullo modo, sed potius porro urgere omni modo debeamus. Haec dum facimus, nequaquam ludibriis febricitantis aut exaestuantis phantasiae delusi novam doctrinam praedicamus, aut adscitis sociis, stipulato partium foedere, igne et ferro more fanaticorum eam propugnare et propagare

contendimus: sed placido animo, principiis catholicis, itaque innegabilibus subnixi, cum Centro Unitatis sociati, antiquam Ecclesiae doctrinam instantius urgemus, atque avitam doctrinae superstructam disciplinam, deterso omni rigore antiquo, revectam desideramus unice ideo, ne aliquando coram tremendo iudicio in ministerio nostro infideles inveniamur, eamque gravissimam conscientiis nostris noxam consciscamus, quae inest Salvatoris verbis: „si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo."

Sic animo comparati, ultro agnoscimus, matrimonia diversae religionis etiam cum gentilibus viguisse: sed ea ritu ecclesiastico celebrata fuisse merito ambigimus; nullum enim in tota antiquitate adest exemplum, nuptias inter christianos et infideles, ceteroquin inde a primordiis Ecclesiae semper illicitas, serius et invalidas benedictione sacerdotali fuisse obsignatas. Exempla adducta nonnisi innuunt, viguisse huiusmodi nuptias: ast Ecclesiam in his partem habuisse quampiam, in re e natura sua iam incredibili omnive fundamento historico destituta nec per coniecturam asseverare licet; idque eo minus, quod in Tertulliani lib. 2. ad uxor. nec non in Ambrosii Epist. ad Vigilium Epp. haud obscura adsint indicia negatae his nuptiis sacerdotalis benedictionis. Deinde certum est, idgenus nuptias cum requisitis cautelis fuisse contractas; sane perversionis periculum longe aberat a foeminis religiosissimis, in fide radicatis et firmatis, quae utut motivo religioso agitatae, aegre admodum, utplurimum invitae et coactae e voluntate nonnisi parentum in nuptias vetitas consenserunt; proles quoque e nuptiis his prognatae omnes in Religione Cath. educabantur: ut adeo praetensa circa educationem prolium multiplex praxis varietas ne unum quidem e tota antiquitate producere possit sibi favens exemplum. Sic, ut aliqua saltem in medium proferamus, *Nonna* invita, contraque mentem viro gentili nuptui data (perhibente suo filio S. Gregorio Naz.) liberos iam ante ortum Deo promisit, atque in lucem editos statim consecravit; idem valet de *S. Anastasia* e nuptiis mixtis genita, et a matre Flavia verae Dei cognitioni statim post partum sacrata; haud

absimiliter *S. Euphrosina* puerulum e nuptiis cum gentili susceptum magis pietate quam lacte nutrivit. Pauca haec exempla venerandae antiquitatis perhibent: viguisse quidem olim nuptias inter Christianos et infideles, eas tamen numquam benedictione sacerdotali insignitas fuisse, licet cautelis sufficientibus salutem uxoris et universae sobolis respicientibus fuerint provisae, ut adeo praxis antiqua confundat praxim novissimam in nonnullis locis vigentem. — Dissipatis deinceps superstitionis ethnicae tenebris, et varitatis christianae luce collustratis gentibus, non alia de matrimoniis catholicorum cum haereticis emergere potuit doctrina, nec essentialiter diversa, principia catholica convellens, induci potuit praxis: sed idgeuus matrimonia pro validis quidem, semper tamen illicitis habita, nonnisi impetrata ob gravissimam causam ab Ecclesiae lege dispensatione, eaque iam ad plures, iam pro re nata ad pauciores cautiones alligata, contrahebantur, ita tamen, ut cautelae ad assecurandam partis catholicae et futurae sobolis salutem pertinentes tamquam essentialiter et indispensabiliter necessariae semper appositae fuerint.

Qnaenam porro fuerit disciplinae ratio circa solennisationem mixtornm matr. quae cum dispensatione Ecclesiae, et cantelis necessariis contrahebantur: ea non e praxi recentius vitio non Ecclesiae sed hominum iuvecta, seu non ex abusu est determinanda, sed ceu quaestio facti ex historicis eruderanda est documentis. Testem omni exceptione maiorem praxis post C. Tridentinum vigentis, habemus Summum Pontif. Benedictum XIV. qui in suo percelebri opere de Syn. Dioec. lib. 8. c. 5. n. 5. haec scribit: „Putant aliqui, et fidenter docent, huiusmodi matrimonia (cum dispensatione et cautelis inita) a Sacerdote benedicenda esse; sed rectius iudicant alii, huiusmodi matrimoniis sacerdotalem benedictionem impertiendam non esse — quoniam nihil horum ad validitatem matrimonii intervenire est necesse;" sufulcit autem suam sententiam provocatione ad ritum, quo nuptiae mixtae religionis inter Carolum I. Britanniae Regem, et Henrichetam e Regio Francorum sangvine Principem celebratae fuerunt, quibus licet Apostolica dispensatione Ur-

bani VIII. munitis benedictio nuptialis data non fuit; provocat porro ad Praedecessoris sui Clementis VIII. vetitum, nec non ad preces Cleri Gallicani, queis Ludovicus XIV. exorabatur, ne Parochi ad benedicendas huiusmodi nuptias compellantur. Jam si nuptiis mixtis, cum dispensatione et necessariis cautelis inter ipsos adeo Principes Regnantes (qui tamen, ut notum, in dispensationibus matr. plurimis favoribus cumulantur) contractis benedictio sacerdotalis denegata fuit: profecto omni iure concludere licet, eo tempore mixtis matrimoniis absque dispensatione et cautelis celebratis omnem solennisationis ritum negatum fuisse.

Interim animus non est, exemplis vel citatis e Constitutionibus Summ. Pontificum, et Synodorum disciplinam Ecclesiae genuinam comprobare, cum alioquin reflexio posita: „non esse rationem sufficientem, ut recepto in eorum solennisatione ritui sic dicta assistentia passiva substituatur," duram nobis necessitatem imponat, fundamentum disciplinae exponere, atque e visceribus causae rationes sufficientes depromere, ob quas nuptias absque notissimis illis cautelis contractas evidenter peccaminosas solenni Ecclesiae ritu cohonestare, aut iis quoquomodo positive cooperari, est summum nefas et grande piaculum. Fundamentum isthoc (prout iam saepe innuimus, et iterum repetimus) est firmissimum illud Religionis nostrae dogma, quod extra veram Catholicam fidem nemo salvus esse possit. Jam dogma hoc ceu norma credendi includit in se et normam agendi, seu sanctum et inalterabile officium, ut per fidei conformem agendi rationem in vita exprimatur id, quod corde creditur; quicumque proin credit Eccl. Catholicam esse solam salvificam, intime una persentiscit absolutum e fide profluens officium, in Ecclesia hac permanendi, et ab omnibus actionibus abstinendi, queis pericula perversionis aut saltem indifferentismi superinduci, et alienatio ab Ecclesia salvifica procurari possit; si itaque foemina de veritate dogmatis huius persuasa nuptias cum acatholico ita contrahat, ut se et futuram sobolem periculo perversionis temere committat, non modo ponit actum fidei suae repugnantem, sed et directe gravissimeque in naturalem et divinam legem peccat; occa-

sionem enim proximam seu pericula ad apertam apostasiam vel ad indifferentismum proxime inducentia non vitat, sed potius studiose quaerit et expetit avide; proles vero, quas indiscriminatim omnes in Religione unice vera, unice salvifica educare obligatur, vel omnes, vel saltem partem earum manifesto salutis discrimini exponit. Hinc exploratum est, disciplinam Ecclesiae, quae cautelas, illam praesertim quae est de prole universa catholice educanda, exposcere debet, eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur, utve dogma de sola salvifica non solum in literis mortuis Catechismi haereat, sed et actionibus fidei conformibus in vita practica exprimatur; profecto disciplina haec cum e dogmate prono alveo fluat, legique tum naturali tum divinae innitatur, non est mutationi vel modificationibus obnoxia, sed invariabilis et perpetua, quia eiusdem cum dogmate indolis, hoc ipso spectans ad categoriam disciplinae dogmaticae, ad quam v. g. referuntur dogmata disciplinaria e principali dogmate Transsubstantiationis ultro fluentia, uti in aedibus sacris recte Eucharistiam asservari, deferri ad infirmos, nec non populo adorandam proponi, porro in quavis specie et sub singulis utriusque speciei partibus integrum Jesum contineri, sufficere idcirco, si alterutra tantum species fidelibus praebeatur. Tollat quis vel unum e memoratis momentum practicum, et disciplinare: protinus sufferret ipsum dogma Transsubstantiationis; pari modo si quis e disciplina Ecclesiae circa matr. mixta vel unicum requisitum de universa sobole in Ecclesia Cath. educanda expungeret, hoc ipso dogma de Ecclesia sola salvifica evanesceret; inde explicandum est, quod omnes matr. mixtorum irrestricte contrahendorum patroni primum et ante omnia dogma de Ecclesia Cath. sola salvifica subvertere omni studio fuerint adnisi.

Enodato itaque disciplinae fundamento, perspicue intelligere licet, nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si disciplinam e dogmate derivatam legi naturali et divinae innixam insuperhabendo, atque recenter invectae praxi seu abusui inhaerendo, praesentia activa seu positivis factis probaremus id, quod e lege naturali

et divina est illicitum et peccaminosum; tales vero positivos cooperationis actus esse ritus solennisationis, nec non benedictionem sacerdotalem, qua nuptiae in facie Ecclesiae probantur, et obsignantur, ipsa rei natura, Summi Pontifices, orbis catholicus uno profitentur ore. Quia tamen praesentia Parochi proprii ad antevertenda clandestina matrimonia e dispositione C. Tridentini est necessaria, factum est, ut nuptiis mixtis post C. Tridentinum invalescentibus, oborta infausta legum civilium cum legibus Ecclesiae collisione, in vicem praesentiae activae substituta fuerit passiva: per quam Curati tum cooperationem positivam lege naturali et divina vetitam devitant, tum impedimento clandestineitatis semoto, matrimoniis validitatem procurant. Num haec assistentia passiva, vi cuius menti C. Tridentini satisfaciendo peccati alieni reatum una devitant, sanae logicae repugnet? nullo modo perspicimus; id tamen fide certa tenemus, assistentiam activam principiis Ethicae Christ. repugnare, proinde omnino impossibile esse, ut haec e mente quoque C. Tridentini praestetur, aut plane pro ea argumentum petatur e praecepto Cap. 1. de ref. matr. Sess. XXIV. huius tenoris: „ut in conferendo matrimonii sacramento ritus, qui in singulis provinciis vigent, retineantur." Prout enim contextus decreti citati evidenter docet, ibi sermo est de diversis in diversis provinciis receptis et usitatis formulis benedictionis, quae quibusnam applicandae veniant, tum ex ipso decreto liquet, tum aliunde, e principiis nempe catholicis constare debet.

Ex hucusque dictis luculenter perspicitur, quid ad reflexionem ad sacramentalem matrimonii proprietatem et naturam spectantem sit reponendum. Ultro quidem largimur, nefas esse administrationem Sacramenti unice propter scrupulum, ubi nulla aperta ratio illud conferre vetat, denegare: ast non hic scrupulus, sed iusta animi formido, e solida et evidenti descendens ratione subversatur, quae ut cunctis patula fiat, provocamus ad Catechismum Romanum iussu Conc. Tridentini editum, qui de matr. Sacramento haec docet: „Quemadmodum matrimonium ut naturalis coniunctio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est,

ita deinde, ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cultum et religionem procrearetur, sacramenti dignitas illi tributa est." Ob sublimiorem hunc finem matrimonia Catholicorum merito ceu seminaria Ecclesiae Christi suspiciuntur, ea de causa coniuges gratiam percipiunt, ut eo facilius gravissimum et palmare officium educandi proles in religione vera, unice salvifica, adimplere valeant, sicque Ecclesia Christi nova succrescentia magis amplietur, atque Regnum Dei ampliora in dies capiat incrementa. Si sic, tunc profecto in oculos incurrit, omnino absonum esse, si ex una parte persona catholica in antecessum intendat proles futuras Ecclesiae Christi abalienare, ex alia vero parte si gratiam sacramentalem expetat, quae tamen eum potissimum in finem datur, ut proles suas eo facilius Ecclesiae lucrifaciat, incassum proin vult percipere gratiam, quia eius destinationem frustrare sibi proponit; haud absimiliter evidens est, quod Ecclesia, ni seipsam neget, in huiusmodi mixtis nuptiis nullam possit capere partem, nullo enim pacto potest permittere, ut e nuptiis sua auctoritate conciliatis proles succrescat, quae in Christi grege non censeatur.

Subnexa observatio: „quisnam vero gradus dignitatis requiratur ad valide suscipiendum Sacr. Matrimonii, decisum non est, nefas autem foret administrationem Sacramenti — — denegare, cum satius sit Sacramentum invaliditatis periculo exponere, quam ut homo, in cuius salutem moralem Sacramenta instituta sunt, Sacramentalis gratiae adminiculo destitutus relinquatur" — haec observatio principiis catholicis adversa, nos gravissimis perplexitatibus involvit; nos etenim absque haesitatione fide divina credimus, iam pridem decisum esse, ad Sacramentum matr. valide suscipiendum nonnisi capacitatem, non vero dignitatis gradum requiri; Sacramenta enim gratiam conferunt ex opere operato, ut adeo vis Sacramentorum nec a conficiente, vel dispensante, nec a suscipiente pendeat; ast cum attacta observatio salutis moralis et sacramentalis gratiae mentionem faciat, manifestum fit, cardinem rei in hac quaestione versari: quidnam requiratur ad Sacr. Matrim. non solum valide sed et licite suscipiundum? cui e doctrina Catholica sub-

venit responsum: in Sacramentis vivorum, quale est Matr. Sacramentum, non tam gradus, quam simpliciter dignitas, debita scilicet dispositio, seu status gratiae desideratur, eapropter C. Tridentinum Sess. XXIV. Cap. 1. de ref. matr. disponit: ut coniuges antequam matrimonium contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiae Sacr. pie accedant; hinc gravissima exurgit quaestio: licetne notorie indignae — et talis est, quae matr. absque indispensabiliter necessariis cautelis inire in animo habet, quae postpositis omnibus adhortationibus auctoritatem Ecclesiae proterve contemnit — absolutionem sacramentalem elargiri? licetne sponsam, quae proximam peccandi occasionem devitare recusat, et pericula fidem amittendi vel in ea tepescendi studiose quaerit, absolvere? licetne hanc consolari mitissimis illis Salvatoris verbis: confide filia, remittuntur tibi peccata tua, quae in seipsam crudelis, hanc saevitiem in proles quoque futuras exercere intendit, dum coelestis benedictionis pignora novercali odio e sinu S. Matris Ecclesiae eripere, ea ad sentinam errorum abiicere, et salutis mediis mulctare proponit? nonne patulum est, indispositae absolutionem omnino negari debere? nonne luce meridiana clarius est, spiritualiter mortuae Sacramenta vivorum subtrahenda esse? Sane recte propterea, quia Sacramenta in salutem fidelium sunt instituta, indispositis et indignis administratio sacramentalis gratiae est deneganda; absente enim statu gratiae sponsa rem quidem Sacramenti, non autem eius efficaciam et gratiam perciperet, sicque omni fructu spirituali orbata, in susceptione Sacramenti non salutem moralem, sed eius iacturam et perniciem animae suae inveniret, conscientiae suae piaculum profanationis seu crimen sacrilegii consciseeret, cuius nos quoque Sacramentum indignis administrando, proinde ad sacrilegii crimen positive cooperando, participes redderemur. Atque haec est gravissima illa e sacramentali proprietate derivata ratio, cur Summi Pontifices miro consensu connubia huiusmodi sacrilega, hoc ipso detestabilia et illicita nominent; haec est ratio, quae praxi modernae (sic dictae mitiori) stigma ter-

ribilis abusus, et horrendi sacrilegii inurit, quod nec in eum casum averuncamus, si contrahentes ipsos Ministros Sacramenti esse tenemus: utrumque enim, Sacramentum conficere aut percipere illicitum et sacrilegum esse, nemo dubitat, inquit Benedictus XIV. in Syn. Dioec. lib. 7. cap. 8. Imo nos quoque sacrilegii reatus manet, dum nuptias sacrilegas etiamsi nuda et simplici benedictione obsignamus. Nec iuvat in controversiam vocare id, quod foemina matrimonium cum acatholico temere anhelans, quaevis monita et instructiones pastoris proterve contemnens, propriam suam sobolisque futurae salutem vilipendens, quae quasi ex proposito Ecclesiam Dei audire pertinaciter recusat, sit prorsus ab Ecclesia alienata. Qui Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; qui non est mecum, contra me est; qui non colligit mecum, dispergit; qui suorum maxime domesticorum curam non habet, est infideli deterior; sunt omnis falsitatis expertia divina oracula. Quod autem ita comparata sponsa nihilominus gratiam sacramentalis benedictionis expetat, non expedit concludere hanc eidem impertiendam esse, voto enim suscipiendi Sacramentum non semper includitur dignitas et requisita dispositio, secus enim sicut matrimonii Sacramentum, ita et reliqua expetentibus licet indignis administranda forent, atque vetitum effati divini: „nolite sanctum dare canibus, nolite proiicere margaritas ante porcos" esset nullius applicationis; deinde in cura animarum locati optime perspiciunt elateres et illicia sensualitatis, quibus agitata et in transversum acta sponsa Sacramentum matrimonii (a quo valorem ipsius vinculi matrimonialis pendere autumat) quidem flagitat, ast gratiam parvi pendit. Quod denique regulam nobis suggestam: „satius est, Sacramentum invaliditatis periculo exponere, etc" attinet, declaramus: eam in quaestionata Sacramenti Matr. administratione nullius prorsus esse applicationis et usus; hanc enim in cura animarum nonnisi in certis circumstantiis in Sacramentorum mortuorum administratione, numquam in dispensatione Sacr. vivorum, observare fas esse ducimus.

Taliter evoluto genuino fundamento, perspecta disciplinae dogmatica indole nec non sacramentali proprietate,

superfluum esse existimamus, decreta oecumenicorem Conciliorum citare. Ex institutione quippe divina credimus, sensum seu doctrinam Ecclesiae non solum e solenni Ecclesiae in Concilio congregatae declaratione, sed et e consensu Ecclesiae dispersae patescere; iudicia enim Episcoporum in Synodis congregatorum non secus ac locis disiunctorum, si illa conspiraverint, assenauque Romani Pontificis probata fuerint, sunt erroris expertia, rata fidei et morum regula, cum utriusque modi, substantiam quod attinet, par sit ratio, ob perpetuam Spiritus S. assistentiam nec loco nec tempori alligatam. Talem vero consensum unanimem Ecclesiae dispersae in obiecto mixtae religionis matrimoniorum adesse, nemo nisi peregrinus in Israel in controversiam vocabit: dissensus enim unius, v. g. in Provinciis Borussicis Vratislaviensis Episcopi, non turbat consensum omnium reliquorum Episcoporum, et anomalia etiamsi 20. Episcoporum non potest praeindicare regulae, quam maioritas Episcoporum cum centro unitatis junctorum tenet. Quod vero attinet Ecclesiam particularem Hungariae, ea in obiecto nostro fidem suam iam a. 1309. in Provinciali memorabili Synodo Posoniensi luculentissime manifestavit; eam fidem cum fide totius Ecclesiae conspirasse non est ambigendum, siquidem suffragio Clementis VI. fuerit obsignata; hanc fidem et praesentis Ecclesiae Hungaricae esse merito supponimus, Episcopi enim Seculi XIV. non secus ac XIX. sunt unius eiusdemque sacri depositi custodes, „depositum vero, iuxta Vincentium Lerinensem, id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii sed doctrinae, non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor esse debes, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens." Nec iuvat robur argumenti ex auctoritate Syn. Posoniensis et Chalcedonensis petiti, illa animadversione infringere: quod decreta haec ad Evangelicos utriusque Confessionis longe tardioris aetatis non spectent. Evidens namque est, Protestantes, quibuscum vivimus, non secus ac antiquos Patarenos, Gazanos, qui (iuxta effata Synodi) in diminutionem catholi-

cae fidei, opprobrium Jesu Christi, et S. Romanae Ecclesiae, quae est verae fidei fundamentum, Catholicae Ecclesiae salutifera Sacramenta damnabiliter contemnebant, veri nominis haereticos esse, nomine quidem et aetate diversos, re tamen ipsa, erroris identitate sibi prorsus similes; deinde perhibente S. Cypriano, Dominus noster Jesus Christus aliquam speciem haeresis non designavit, cum in Evangelio suo testaretur, adversarios suos esse eos, qui secum non essent, et secum non colligentes, gregem suum spargerent; eapropter nos probe persentiscimus fundamentum gravissimae illius synodalis sanctionis, vetito mixtorum matr. his verbis adnexae: qui vero contra inhibitionem filiam, neptem — — pestiferis hominibus, qui, quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit aut danti consenserit, vel ex proposito et scienter huiusmodi scelestis nuptiis adstiterit, excommunicationis mucrone perculsum se noverit.

Quantum denique ad Constitutiones Pontificias hoc in merito editas, cum hae indolis utpote dogmaticae totidem decreta fidei et morum constituant: officii nostri esse ducimus, categorice declarare, has ipsas nobis esse normas credendorum et agendorum, proinde nos omnimode refragari illi in ruinam unitatis et perniciem Ecclesiae recentius invecto centrifugali placito, vi cuius Constitutionum Pontificiarum valor et efficacia a *receptione* putatur dependere Quis enim ambigat, Vicario Christi, cui unitatis pro omni tempore singularem custodiam Auctor Ecclesiae commiserat, primas partes sicut in magisterio, ita et in iudicio sacro competere? quis ambigat, Ecclesiae Romanae singularem illibate conservandae fidei et morum integritatis praerogativam competere et pro hac in controversiis de fidei ac morum regula excitatis responsa, decretaque edendi esse potestatem? ac proin quis ambigat, decreta huiusmodi, utprimum innotescunt, ea praestare virtute ac efficacia, ut ceteris cunctis strictissima parendi incumbat obligatio? „Ex Petri Cathedra, atque ab Ecclesia principali unitas sacerdotalis orta est" (S. Cypr. Ep. 55.) „ad hanc propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Eccle-

siam" (S. Iren. l. 3. c. 3.) „Quodsi igitur controversia aliqua fuerit excitata, ea non aliter est interpretanda, quam iuxta probata ab Apostolica Sede iudicia, illius enim sanctione uti ab ore Petri derivantes normam praebuerunt iis, quae in Conciliis postmodum acta sunt, contra ea, quae Apostolicis sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur." (Pius VI. Epist. ad Josephum Epp. Clusinum et Picentinum dd. 20. Octobr. 1786.)

Libenter quidem, si per nos staret, persuasionem illam nobis propriam redderemus, quod Constitutiones Pontificiae, quae assistentiam passivam non tam suadent, quam potius ad evitanda maiora Ecclesiae mala permittunt, ad nos in Regno Apostolico degentes non spectent: tunc enim in eum felicissimum locaremur statum, matrimoniis mixtis, semper ceteroquin illicitis, nullo modo nec positive nec negative cooperandi, et hoc ipso nec activa nec passiva praesentia ea cohonestandi. Verum enimvero cum praxis nova inde a Josephi II. aetate per indifferentismum religiosum prognata et fota nobis pro cynosura proponatur: declarare identidem cogimur, rem conscientiae et prudentiae christianae esse, ut inter duo mala minus (cum systemate tamen Catholico compatibile) eligamus, Bullasve Pontificias, puta Benedicti XIV. Clementis XIII. Pii VI. Pii VII. Leonis XII. Pii VIII. Gregorii XVI. quae assistentiam activam, ut par est, sub peccato gravi inhibent, et assistentiam passivam ad avertenda graviora mala, ceu ultimam in naufragio tabulam concedunt, nobis normae instar praefigamus. E numerosis his Constitutionibus Pontificum ad diversos diversis Ecclesiis praepositos Praesules editis satis liquet, Constitutiones has de passiva assistentia nequaquam praecise Catholicos sub Borussico Protestantico Regimine gementes, sed et Regimini Catholico subiectos respicere; quo inprimis refertur modo feliciter Ecclesiam Dei gubernantis Summi Pont. Gregorii XVI. Encyclica dd. 27. Maii 1832. nec non Instructio Cardinalis Bernetti dd. 12. Sept. 1834. ad Epp. Bavariae submissa: e qua haud difficulter perspicitur, novum in hoc merito Breve Apostolicum (quod in votis esse videtur) pro nobis Catholicis si non ad superflua, certe

ad minus necessaria referendum esse. Cum enim Sua Sanctitas disciplinae rationem quoad mixta matrimonia in Regno Bavariae observandam fundamento dogmatico superstruat, assistentiam activam velut divinae et naturali legi repugnantem prohibeat, assistentiam vero passivam aegre admodum ad evitanda nonnisi maiora Ecclesiae mala permittat, cum relate ad concessiones in Allocutione sua prima dd. 10. Dec. 1837. diserte profiteatur, Apostolicam Sedem eousque protulisse indulgentiam, ut ipsa verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit, cum denique in Allocutione novissima dd. 8. Julii 1839. Archiepp. Gnesnensem et Posnaniensem iustis encomiis celebret ex eo, quod Sacerdotes suos districte admonuerit de ratione, quam tenere illos oportet, ut sacrilegum facinus Catholicorum, illicitas coram Deo et Ecclesia nuptias inire volentium, paternis instructionibus et adhortationibus impediant, aut certe ut illorum peccatum suo ipsi facto non approbent: quid tandem novi idem Summus Pontifex novo Brevi Apostolico pro Regno Hungariae constituet? quid is, iam Encyclica pro R. Bavariae dimissa, quae Cath. doctrinae fidei et morum, nec non cohaerentibus Canonum sanctionibus subnititur, in novo Brevi pro R. Hungariae alterabit? quaenam dubia, quas quaestiones solvet, quas novas controversias dirimet? quae tamen proprie ansam constituunt novae declarationis? aut quas novas concessiones, exhausta iam hoc in obiecto omni plenitudine potestatis et indulgentiae, elargietur? Integrumne est, rebus sic stantibus, cunctatores agere, nuda futurorum exspectatione conscientiae remorsus supprimere, moras nectere, errori inducias largiri, et sacrilegia sacrilegiis cumulare? sane si alicubi, certe hoc in merito verissimum est illud aureum S. Augustini effatum: Roma locuta est, controversia finita est, utinam finiatur et error!

Tandem coronidis instar liceat adhuc pectore conclusum moerorem effundere, quem iure persentiscimus, dum videmus ea, quae in humillima nostra ultima remonsratione de obtutu politico-ecclesiastico deve salutari discretionis sensu attigimus, perperam intellecta et in sinistrum detorsa fuisse sensum; quare necessum esse adinvenimus, clarius

nos explicare, et declarare, quod nos illos nonnisi politico-ecclesiasticos obtutus, qui postposita lege naturali et divina nec non Ecclesiae Dei sanctionibus, praerogativam ordinationibus civilibus eo consilio vindicant, ut utilitatis publicae idolo ipsa Ecclesiae doctrina huicque subnixa disciplina sacrificetur, ceu prudentiam seculi cane et angue peius detestemur; illum vero salutaris discretionis sensum et prudentiam Salvatoris nostri effato: „estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae" commendatum, et numquam non a RR. PP. in negotio nostro observatum supplicibus precibus a Deo exoratum iri; quae nimirum (prudentia) parte ex una matr. mixta utut semper illicita, tolerat, conditiones omnes antiquitus vigentes usque ad duas eo consilio dimittit, ut publicae saluti et tranquillitati nec non commodo Religionis Cath. consulatur; ex altera vero parte in iis nuptiis ab omni positivo actu, qui earum approbationem praeseferret, perpetuo abstinet ea ex gravissima causa, ne tolerantia approbationem sapiat, neve indulgentia extremos limites sancti et divini egressa, in proditionem rei Catholicae degeneret; quodsi hac observantia, tristissimae sequelae, turbae, caedes etc. exortae fuerint, eae in caput eorum recidunt, qui urgent obediendum esse magis hominibus quam Deo. In his consistit summa prudentiae christianae, et sobrietas obtutus politico-ecclesiastici. Hoc genuino salutaris discretionis zelo animati, levantes oculos in montes, unde veniet auxilium nobis, id una petemus a Domino Dominantium, ut fidem, sine qua impossibile est placere Deo, eam scilicet, quae per caritatem operatur, largiendo, voci nostrae det vocem virtutis.

365—367.

Acta in Comitiis Regni a. $18^{39}/_{40}$. circa meritum mixtae religionis matrimoniorum interventa.

a) 365.

Nuncium Tabulae Statuum ad Proceres e Sess. 56. die 9. Nov. 1839.

Gravamina religionaria sub elapsis Comitiis collecta adeo momentosa, eorumque sublationem ad omnium patriae civium, tametsi diversae religionis existant, tamquam sub

tntamine eiusdem Legis constitutorum et aeque fidelium subditorum pacem et mutuam harmoniam stabiliendam tantopere necessariam esse credunt Status et Ordines: prout ipsam internam libertatem conscientiae sanctam et inviolabilem tenent. Homo sane iuribus sanctissimis per ingressum ad civilem societatem non modo se non abdicavit, sed potius merito exspectare potest, ut in eorumdem exercitio iustum adversus quaelibet impedimenta in legibus inveniat praesidium. Ex hoc fundamento coaluit Pacificatio Viennensis et Lincensis, quae basim articuli 26. 179⁰/₁ constituit; ex eodem fundamento igitur tuto confidunt Status quoque et Ordines, deliberationes atque consultationes quoad gravamina religionaria in praeteritis Comitiis ductu praecitatae legis institutas, sed interruptas in moderna Diaeta optatum exitum nacturas.

Inter haec gravamina principem tenent locum *Reversales*, seu contractus intuitu educationis religiosae prolium praevie initi: quorum plenariam abolitionem Status et Ordines in prioribus Comitiis congregati ideo postularunt, quod in Pacificationes non minus quam legem 26. 179⁰/₁ impingant; cum ex adverso Proceres contractus istos legi nequaquam repugnare censuerint, et ideo, si sponte initi fuissent, saltim pro praeterito manutenendos esse iudicaverint. Verum Status et Ordines seu materiam sive formam Reversalium considerent, nunc quoque plene convicti sunt, eas a ceteris contractibus toto, ut aiunt, coelo discrepare. Dum enim aliorum privatorum contractuum materiam quidem res mere civiles, actusque externi constituunt, ratione formae autem prout mutuo consensu partium coalescunt, ita reciproco dissensu solvi possunt: Reversales de religione entis necdum existentis disponendo, nec materiam substratam habent, et vim obligandi, aut sublationem non a mutuo partium consensu accipiunt, sed a tertia quadam potestate, quae influit, atque sic reversales naturam privatorum contractuum exuunt, earumque conservatio illis duntaxat ordinationibus civilibus attribui debet, quae praeter legem praeattactam a. 179⁰/₁. perferuntur, et quae eo ipso in quantum legem istam antecesserunt, per hanc sublatae, in quantum vero eandem subsecutae sunt, in obversum illius vigorem nancisci non possunt.

Quemadmodum autem Proceres sublationi Reversalium pro futuro suum iam praebuerunt assensum: ita ultro confidunt Status et Ordines, eosdem Proceres contrarios haud futuros, ut omnes universim quaestiones religionariae e Reversalibus quomodocunque provenire queuntes absolute pro cessantibus declarentur, et clausula illa restrictiva, quod matrimonia mixta infra annum aetatis 18um nonnisi cum consensu Parentum permittantur, aboleatur: nam sic tantum occurretur multiplicibus illis coactionibus et violentiis, quibus proles vi Reversalium educandas saepe plurium annorum decursu involvi contingit; sic tantum praepedientur inamoenae investigationes, quae de personis huiusmodi, dubio semper cum exitu, institui solent; demum Status et Ordines, qui mutuum inter homines diversae religionis amorem per mixta matrimonia insigniter promoveri credunt, nonnisi per sublationem absolutam reversalium finem hunc excelsum certius obtineri posse existimant, prout ex adverso retento reversalium vigore, sequelas ingratas et fini praeattacto summe damnosas exorituras praevident.

Quoad religiosam educationem prolium e mixtis matrimoniis progenitarum, ad evitandas dissensiones e diversa educatione in familiis oriri queuntes, Status et Ordines medio legis determinari proposuerunt: ut proles tales semper patris religionem usque annos discretionis sequantur, tum libera eligendi religionem facultate donentur; in obversum huius oppositus per Proceres articulus 26. 179%₁. iam vel ideo non subsistit, quod lex haec cum Pacificationibus Viennensi et Lincensi, quarum fundamentum et basis perfecta reciprocitas et aequalitas fuit, pugnare haud possit, et sic ex principio huius reciprocitatis lex ipsa mutationem per circumstantias temporis, et iustitiae rationem depostam pati omnino valeat.

Projectum Articuli, praeattacto Nuncio adnexum.

Articulus 26. 179%₁. ductu et fundamento Pacificationum Viennensis et Lincensis sequenti ratione uberius declaratur, et respective modificatur:

§. 1. Reversales religionariae, sive contractus de educatione prolium in qua religione suscipienda sunt invalidi, et quaelibet praetensiones ac quaestiones religionariae, ex respectu Reversalium seu hactenus formatae seu in posterum quomodocunque formandae pro sublatis declarantur.

§. 2. Proles e mixtis matrimoniis natae utriusque sexus patris religionem sequantur; iis autem, quae 18. aetatis annum superarunt, liberum relinquitur, religionem, quam iuxta propriam convictionem procurandae tranquillitati conscientiae suae maxime idoneam crediderint, eligendi.

§. 6. Recopulatio personarum quaestioni religionariae obnoxiarum prohibetur, Curatusque, qui talem in obversum art. 26. 179⁰/₁. §. 15. scienter peregit, tamquam officio suo abutens secundum strictam iuris viam in quaestionem trahetur.

§. 8. In Processibus divortialibus mixtorum matrimoniorum, pronunciata pro divortio ad thorum et mensam sententia, parti evangelicae liberum manet, ad nova matrimonialia vota transire.

b) 366.

Renuncium Procerum e Sess. Diaet. de 9. Jan. 1840.

Proceres e priori generali Conventu transumta, et denuo exposita gravamina ac postulata religionaria pro obiecti gravitate in seriam deliberationem sumserunt, sensaque sua sequentibus declaranda censent: signanter relate ad Reversales seu stipulationes de educatione prolium in mixtis matrimoniis: utut Proceres huiusmodi pacta, velut iam ante praescriptum legis 179⁰/₁. vigentia, nec per praeattactam legem abolita, aut exclusa subseque in pleno vigore permanentia talibus accensere haud possint, quae illegalia ac nullitatis vitium in se ipsis ferentia sint; attamen ut quo citius approximent, nulla ceteroquin lege obsistente, in id assensum praebent, ut dehinc dandae literae reversales nullius sint roboris; e contrario ut huiusmodi literae hactenus datae, si plena libertate et cum debitis requisitis provisae sint, nec ullum aliud dubium subversetur, plene cassentur, iam

in priori Diaeta factae declarationi conformiter nec nunc admittere queunt; suumque assensum in id nulla ratione praebere possunt, ut conventiones inter privatos bona fide, absque coactione, libere factae ac ceu tales, quae lege haud vetabantur, consuetudine autem perpetua fulciebantur, nunc sanctione naturae legum prorsus adversa annihilatae plurium generationum ac familiarum tranquillitatem perturbent, dumque pars catholica sub hac conditione matrimonio iuncta eidem exacte satisfacit, alia ab hac obligatione prorsus liberetur; literas itaque has reversales pleno in vigore retineri cupiunt; ut tamen soliicitudini Statuum et Ordinum relate ad investigationes, quae ad integras generationes extendi possent, satisfiat, ab eo haud sunt alieni, ut, si reversales effectum sortitae non sint, filii 18. annum attingentes, filiae vero nuptui traditae, hoc in merito amplius in quaestionem haud vocentur. Relate ad educationem prolium e contrahendis mixtis matrimoniis progenitarum e rationibus in priori Diaeta adductis, eam legum tenori conformari cupiunt. — Relate ad substernendum Suae Maiestati legis proiectum observationes suas ad illud tempus differunt Proceres, dum quoad obiectum ipsum pertractationis plena concordia fuerit.

c) 367.

Proiectum legis circa mixta matrimonia consensu utriusque Tabulae Regiae Maiestati substratum dd. 7. Maii 1840.

Fundamento Viennensis et Lincensis Pacificationis lex anni 179⁰/₁. 26. in sequentibus amplior redditur et respectivo modificatur:

§. 1. Reversales religionariae, seu de prolium gignendarum in qua religione educatione ineundae conventiones invigorosae declarantur.

§. 3. Mixta matrimonia, quae hucusque coram parocho catholico, ast absque benedictione sacerdotali contracta sunt, cum etiam absque hac robore polleant, natae exhinc proles aut nasciturae pro legitimis habeantur.

§. 4. Matrimonia mixta udituri in posterum semper a ministro Religionis *Sponsi* copulentur.

§. 5. E matrimoniis mixtis in posterum contrahendis nasciturae proles omnes in religione *patris* educentur.

368—371.

Sensa Episcoporum circa matr. mixta, et projectum legis in Comitiis postremis a. $18^{39}/_{40}$. conditum partim in Sessionibus Diaetalibus, partim in Repraesentationibus ad Regiam Maiestatem enunciata.

a) 368.

Enunciatio Primatis Josephi Kopácsy in Sessione Diaetali 64. de 30. Decembr. 1839. dum Reversales pro futuro sufferri concluderentur.

E praesenti consultatione, in qua pluralitas votorum Statibus et Ordinibus assentiendo, Reversales in futurum omni vigore destitutas rursum declarat, ultro consequitur: Catholicos praecipuo in mixtis matrimoniis principii sui praesidio ac fulcro destituendos fore, quod eius conservationi haud parum profuit, et poene unius seculi usu firmatum exstitit. Hac opportunitate nos Archi- et Episcopi, qui Fidei Catholicae, vi divinae missionis, custodes ac defensores sumus, non possumus non attentionem eo convertere, quod leges Patriae Religionis Catholicae iuxta propria eiusdem principia exercitium clarissime in tuto collocent, eaque in genuina forma per nos doceri ac fidelibus proponi non modo permittant, sed oppido praecipiant. Attentionem nostram et muneris conscientiam multo magis accuunt adhuc in praesentibus rerum adiunctis eventus infausti in oris exteris, fidei munerisque nostri Consortes, ut cuilibet notum est, attinentes. Serenitatem itaque Vestram et Exc. Proceres pro sua prudentia et aequitate, locum, in quo positi sumus, attendentes, aegre haud laturos confidimus: quod his ducti obtutibus, et genuino quoque Articuli 26. $179^{0}/_{1}$. sensui innixi, hac occasione e dictamine conscientiae declaremus, nos subseque in mixtis matrimoniis prout ex una parte legum civilium aut iurisdictionum sphaerae propria postulata adimplere haud intermissuros, ita parte ex altera in

spiritualibus, signanter in sacrorum rituum administratione id facturos esse, quod Religionis et Ecclesiae vere intellecta ac per Sedem Apostolicam recentissime constanter defensa principia a nobis poposcerint.

b) 369.

Repraesentatio Episcoporum ad Regiam Maiestatem dd. 12. Januar 1840.

Sacratissima etc. E relatione Fratris Nostri Episcopi MVaradinensis Lat. Ritus Francisci Laitsák, gravamine item Comitatus Bihariensis Regni Comitiis contra illum proposito, et in diaetalem pertractationem assumto innotuit Nobis, Pastorales literas nunc nominati Episcopi, quibus Ecclesiae Caholicae constantem et veram de matrimoniis mixtis doctrinam fideli populo suo in Ecclesia ad peragenda divina congregato proponi disponebat, non secus modum, quem in harum nexu pro ineundis mixtis matrimoniis tardius praescripserat, in quaestionem Altissimo iussu venisse, negotiumque hoc sub pertractatione Dicasteriali constitui. Intermedio porro tempore gravamina et postulata Evangelicorum Aug. et Helv. Conf. in sequelam Instructionum per nonnullos Comitatus Deputatis suis, dum hi ad Comitia ablegarentur, datarum in discussionem diaetalem assumta, eoque directa sunt, ut Articuli 26. 1791. mutatio in essentialibus etiam partibus urgeretur, et signanter Reversalium de catholica prolium e mixtis matrimoniis progenitarum educatione edi hactenus solitarum abolitio pro futuro suffragiis Procerum Tabulae quoque die 30. Decemb. a. p. decerneretur.

In hoc rerum situ nos Archi- et Episcopos e missione divinitus accepta ad tuendam Catholicae Ecclesiae doctrinam ac disciplinam obligatos non potuit non seria sollicitudo ex eo etiam subire, quod hae de matrimoniis mixtis quaestiones hac aetate alibi etiam gentium ea publicitate agitarentur, ut eatenus repetitim editae Summorum Pontificum Constitutiones vigentem semper Ecclesiae Catholicae doctrinam declarantes omnibus palam fierent, et tum harum medio, tum ipso curatiori quaestionum axamine, quidnam ductu catholicorum principiorum hoc in puncto tenendum sit, et

agendum: in plena luce collocatum haberetur. Sollicitudinem Nostram amplius adhuc intenderunt variae Parochorum, imo integrorum Vice-Archi-Diaconalium Districtuum ad Fratres Nostros Episcopos factae interpellationes, quibus illi, conscientiae suae stimulos secuti, quid in emergentibus mixtorum connubiorum casibus agere debeant, inviari postularunt.

Persuasum itaque fuerat Nobis, Nos ipso diaetalium discussionum progressu provocatos, nisi Episcopalis muneris Nostri immemores esse velimus, tacere amplius non posse. Quare sumta e Concluso Procerum diei 30. Decemb. a. p. occasione, in hac eadem Sessione palam enunciavimus: nos in mixtis matrimoniis dehinc eo tramite processuros esse, ut sicut parte ex una civilis legis et potestatis in sua sphaera formatis vel formandis postulatis deesse nolumus, ita parte ex altera in iis, quae spiritualia sunt, et notanter quoad preces et benedictionem in celebratione matrimonii mixti adhibendas id facturi simus, quod a Nobis fidei et Ecclesiae Nostrae probata ac per Apostolicam Sedem recentiori etiam aevo firmiter propugnata principia fieri deposcent: quam Nostram enunciationem SSma Maiestas Vestra ex eius tenore sub ⁒ humillime advoluto clementissime intelligere dignabitur.

Ingenua hac et publica declaratione Nostra viam Nobis ad ea agenda sternere voluimus, quae muneris Nostri ratio his in adjunctis fieri a Nobis postulat. Simul vero praesenti occasione ad difficultates quasvis hoc in genere removendas aperte, sineque ambagibus uti consultius esse duximus, quam Nos subordinatosque Curiones Sacros particularibus impetitionibus in quavis fere Dioecesi facile secus occursuris exponere.

Quamvis autem nulli iustae exceptioni relinquatur locus, si (quod intentio Nostra Summo Pontifici quoque qua Capiti Ecclesiae, in quantum forte necesse subin videretur, cum benigno SSmae Maj. Vrae annutu proponenda, secum fert) in matrimoniis mixtis, dum cautio de prolibus in Religione Catholica educandis praestita non est, omnia quidem ad valorem matrimonii rati et validi requisita coram

Parocho Catholico peragantur, benedictio tamen et preces, ex quo conditionibus, quibus illas Ecclesia alligavit, non satisfit, non impendantur: non Nos tamen latet, esse nonnullos, qui spiritualia haec beneficia indispositis quibusque et se Ecclesiae doctrinae, legi, scopo, intentioni, dum proles suas alienis a vera fide sacris devovent, facto suo opponentibus, cum praesentissimo profanandi Sacramenti periculo impendi, nuptias sic initas Ecclesiae sanctione approbari, et communiri debere, ac ideo hanc Nostram de Ecclesiae Catholicae principiis illaese servandis sollicitudinem in Art. 26. 1791. impingere praetendunt.

Verum Articulus hic non aliud hoc in puncto praecipit, quam ut mixta matrimonia semper coram Parochis Catholicis ineantur, benedictionis autem vel rituum sacrorum velut extra sphaeram suam positorum ne meminit quidem: imo haec consulto ab invicem discriminata fuisse vix est ambigendum; cum statuta in attacto Articulo 26. 1791. circa matrimonium condita plane sint affinia principiis, quae posterioribus illis annis vigebant, quaeve in Evangelicorum matrimonialibus causis diiudicandis interimalem apud Nos quoque normam praebere debebant; horum autem praecipuum caput, discriminatio contractus civilis a matrimonio qua Sacramento constituerit. Sane principia haec in vicinis haereditariis provinciis hodieque vigent, nec tamen eo exporriguntur, ut inde benedictio matrimoniorum in casibus copulationum e regulis catholicis denegatarum imperetur, aut in illa impertienda Episcoporum et Cleri conscientiis quaecunque demum vis inferatur.

Praeterea Evangelici in sequelam liberi religionis exercitii Articulo illo securi redduntur, quod ad nullos actus religioni suae contrarios cogendi sint, quod religionis obiecta etiam in coordinatione scholarum cuivis religioni propria manere debeant, quod in iis, quae ad religionem pertinent, unice a religionis suae superioribus dependeant, quod relate ad ipsas disciplinae partes intacta religionis libertate constabiliendus sit certus ordo principiis ipsorum religionis adcommodatus. Nisi ergo quis statuere velit, Catholicos libero religionis exercitio destitui, vel quae iura Evangelicis hoc titu-

lo asserta sunt, eadem Catholicis, in vetusto possessorio constitutis, eodem ipso tempore succisa ademtaqne fuisse: inferendum est, praemissa omnia Catholicis ex aequo propria esse, proinde in iis, quae circa matrimonia mixta ad Religionem pertinent, suis ipsos legibus canonibus, principiis regi.

Plene quoque convincimur, hoc pacto illam legis dispositionem, qua mixtis matrimoniis impedimenta in contrarium quocunque sub praetextu ponere cautum est, neutiquam infringi; non enim impeditur ullus, quominus etiam in casu, quo absque cautelis per Ecclesiam Catholicam requisitis matrimonio mixto illigare se vult, si aliud non obstat, matrimonium tale coram Parocho proprio in forma per Conc. Tridentinum praescripta inire, adeoque matrimonium omni sub respectu validum et ratum contrahere possit. Ad ipsos ritus sacros, preces et benedictionem attactam legis dispositionem non extendi e superioribus, indeque maxime patet, quod sicut Evangelici totum hunc Articulum salvis suis principiis conditum esse identidem declararunt, ita illum salvis etiam Catholicorum principiis perlatum esse dubitari nequeat; cuius quidem iustae imo necessariae ad Catholicorum principia habitae reflexionis tum in matrimoniis mixtis quibuscunque ad Sedes Spirituales Catholicorum ob subversantem Sacramenti rationem revocatis, tum etiam in eo evidens est documentum, quod relate ad sententias de matrimoniis Evangelicorum per fora sua latas diserte addatur, effectus illarum civiles tantum ubique pro validis haberi, Episcopos autem ad agnoscendam sic pronunciatam vinculi nullitatem, illamque ad Catholicos extendendam non obligari. Alioquin si id, ut principia Catholica intacta maneant, in attentionem, dum lex rogaretur, non venisse supponatur, sequetur etiam impedimento ligaminis, ordinis, voti etc. irretitos, si modo mixtum matrimonium inire velint, a tali ineundo nec horum impedimentorum praetextu removeri posse, cum eo facto ineundis mixtis matrimoniis impedimenta ponerentur.

Non negamus, usum a condita saepementionata anni 1791. lege illum viguisse, ut etiam dum alterius religionis vir reversalibus vel alio cautelae genere ad proles omnes in

Catholica Religione educandas non se obligavit, matrimonium mixtum nihilominus ritu sacro administraretur; verum usus hic sicut ab initio non per legem civilem introductus, nec vigore illius continuatus fuit, ita ut porro continuetur, illius virtute urgeri non potest. Indulgentia Cleri Catholici a sincero colendae pacis studio profecta, paucitas mixtorum matrimoniorum, et vel maxime possibilitas medio ultronei Noncatholicorum virorum in educationem prolium catholicam assensus aut medio reversalium, quae vix restrictionibus per Aug. Josephum 2. introductis solutae mox amplius invalescere coeperunt, obtinendi id, quod principia catholica fieri poscebant, in causa fuerunt, ut usus ille non interrumperetur. Ast nunc aliter omnia comparata sunt: religionariae quaestiones ad mutandum usque adeo in substantialibus nonnullis punctis articulum 26. 1791. tendentes, altera iam vice ad discussiones diaetales pertractae sunt. Deviationes a positiva lege, quae transitum ad Evangelicorum sacra, vel prolium in religione catholica institutionem determinat, cum non exiguo Catholicae Religionis praeiudicio invalescentes, ac per has provocati frequentes ad altiora loca recursus longe maxima sui parte e mixtis matrimoniis in dies magis multiplicatis profluunt, perraraque est remediorum in his casibus imploratorum efficacia; indifferentismus in religione ampliora in dies incrementa capit, ingentemque parat rei Catholicae ruinam. Reversales multo rariores effectae sunt, eoque res propemodum deductae esse videntur, ut efficacia qua antehac apud Civiles Jurisdictiones pollebant, plene exuantur. Denique isthoc disciplinae Catholicae caput, in tantam positum est hac aetate lucem, ut hanc sequi nolle tantumdem reputari deberet ac Pastoris officio deesse.

Omnia proinde conscientias Nostras urgent et impellunt, ut usus spiritui et principiis Ecclesiae Catholicae difformis, qui invitis sacris canonibus et sub spe disciplinae sensim ad eos propius adducendae penes contradictionem a. 1791. adeoque necessitate potius, quam positivo Episcoporum assensu tempore aliquo obtinuit, facessat, et praxis illi succedat doctrinae Catholicae consentanea. Quapropter qui non Nostro duntaxat, sed absentium quoque Episcoporum

suam ad Nos adhaesionem literis suis declarantium communi consensu causam Ecclesiae Catholicae in Domino agimus, Nostraque hac in re studia Episcoporum aliorum sub Augusto Maj. Vrae SSmae Sceptro quietam vitam degentium consimili zelo coniungimus: humillime SSmam Maj. Vram oramus, ut pro sua in Deum pietate clementissimae protectionis suae praesidio munire Nos, et si quid nefors circa Fratris Nostri Episcopi M.Varadinensis factum benigne disponendum videretur, ad haec nunc demisse exposita communia Corporis Episcoporum sensa principiis Catholicae Ecclesiae, a quibus deviare piaculo duceremus, omnimode consona iustam reflexionem benigne habere dignetur. In reliquo etc. Posonii die 12. Januar. 1840.

c) 370.

Repraesentatio altera Episcoporum mense Maio a. 1840. sub ipsum tempus conclusorum Comitiorum ad Reg. Maiestatem dimissa.

Sacratissima etc. Post diuturnas prioribus Comitiis coeptas, et his ad finem vergentibus continuatas Tabulam inter Procerum et Statuum ac Ordinum disceptationes in obiecto religionario, recentissime coalitio quoad complura puncta locum sortita est, prout id rogandae eatenus legis proiectum nunc admodum benignae Maj. Vrae sanctioni Comitialiter substratum demonstrat. Nos demisse infrascripti Archi- et Episcopi eum in momentosi prorsus huius meriti discussionibus tenuimus modum, ut in iis quidem, quae cum principiis Religionis Catholicae haud ullatenus componi posse, aut manifestum Ecclesiae Cath. praeiudicium involvere perspeximus, in contrarium sensa, votaque Nostra promeremus; in ceteris Nos haudquaquam difficiles praeberemus. Quippe quemadmodum parte ab una nos ipsi nil desideramus ardentius, quam ut pax illa et harmonia, quae cum primis Reformationis initiis in Nostra quoque Patria tam acerbe perturbata fuit, ac ab eo tempore iteratis Pacificationibus, rogatisque Regni legibus constabiliri tentabatur, tandem aliquomodo firmius coalescat; sic parte ab altera ad sacerrimas muneris Nostri partes attinere intime

Nobis persuasum tenemus, custodire sacrum depositum divinitus Nobis creditum, omnique virium Nostrarum contentione elaborare, ut ne quidquam patriis etiam decernatur legibus, quod fidei et ecclesiae Catholicae principiis sit adversum, aut iuribus perniciosum. Non ignoramus Nos, Clementissime Domine, civilem potestatem in sua sphaera ab Ecclesia esse independentem; scimus his cumprimis recentioribus temporibus in Catholicis quoque ditionibus perlatas esse leges, quae principiis Ecclesiae Cath. plus minus repugnant. Sed existimamus, hos recentiorum temporum partus neque Majest. Vrae SSmae, et Augustae Domus Austriacae pietati ac sapientiae, neque Patriae Nostrae prosperitati ullatenus congruere. Videlicet Augusti Maj. Vrae Praecessores, in quibus Ecclesia Catholica firmissimam, atque adeo unam e praecipuis suis semper venerabatur columnam, tanta erga Religionem ferebantur pietate, ut non paterentur perferri legem, quae sanctae huic fidei aut Ecclesiae repugnaret. Faciebant autem id, non solum cordis sui pietate impulsi, sed et pro insigni providentia sua rite perspicientes, quod nullum firmius Imperio Civili accrescere possit robur, quam ex intima cum Religione coniunctione; neque volentes populos suos in tristem illam coniicere fluctuationem, quae necessarium est dissensionis civiles inter leges et praecepta religionis consectarium; denique intelligentes legum idgenus rogationem manifestum esse ad indifferentismum passum, qui Statibus non minus, quam privatis summe sit perniciosus. Existimabamus porro, in Regno Hungariae hanc principia inter Religionis Catholicae et civiles leges harmoniam tanto maiori iure deposci, quanto certius foret, Constitutionem Nostram natam et educatam quodammodo esse in sinu Ecclesiae Catholicae, eiusdem Const. Nostrae typum ex Sacrae Coronae origine, Statu Praelatorum, qui in ea honorificum locum obtinet, omni denique conformatione sua esse Catholicum, legislationisque spiritum adusque sempes hunc retinuisse characterem; utpote ubi tot tantaeque in succolamen Religionis Catholicae perlatae sunt leges, et ubi in ipsis Pacificationis Viennensis tenoribus, quibus liberum religionis exercitium Pro-

testantibus concessum fuit, principia religionis et iura Ecclesiae Catholicae per clausulam: „absque tamen praeiudicio Catholicae Romanae Religionis" praesalvata fuerunt. Nostris his conatibus non obstantibus, ut praemissum est, coalitio inter utramque Tabulam in pluribus punctis subsecuta est, quae partim aperte impingunt in Religionis Cath. principia, partim talia sunt, ut ex iis, si vim legis adipiscerentur, tristissimas in Ecclesiam Hungaricam dimanaturas praevideamus sequelas. Puncta haec mox singillative demisse indicabimus: primum tamen de generico, quem Status et Ordines in religionariis negotiis fovent, et ex quo corollariorum instar cunctae eorum propositiones profluunt, obtutu quaepiam homagiali cum veneratione memoranda censuimus.

Videlicet ex eo, quod tenores Pacificationum Viennensis et Lincensis Evangelicis liberum religionis usum et exercitium concedant, arbitrantur Status et Ordines perfectam iis in cunctis religionariis correlationibus, cum Catholicis competere aequalitatem et reciprocitatem; et hinc est, quod absque ullo ad diversarum religionun principia respectu leges quoque religionarias huic reciprocitatis et aequalitatis principio velint superstruere. Sed vero quantumvis expressio „liberum religionis exercitium" admodum ampla sit et generica: tamen sensu Nostro ex illa nonnisi ea, quae libertatis idea comprehenduntur, possunt derivari; in idea autem libertatis conceptus aequalitatis iurium et reciprocitatis nullatenus includitur; potest enim nova in statu aliquo religio perfectam consequi sui exercitii libertatem, quin propterea aequalitatem cum praevigenti Ecclesia, aut reciprocitatem possit praetendere. Disparata haec sunt, et si Protestantes aequalitatem iuris sibi ex Pacificationum tenoribus volunt attribuere, hanc aliunde, non ex liberi religionis exercitii expressione demonstrent, est necesse. Sed et ipse Pacificationum contextus satis clare perhibet, actum illic solum fuisse de libertate exercitii religionis Protestantium stricte tali, non etiam de aequalitate et reciprocitate; huc enim cuncta pertinent, quae illic continentur; sic quod Evangelici in sua religione et confessione numquam sint turbandi,

quod templa, quae iis disturbiorum temporibus occupata fuere, eis sint restituenda, et quae sunt similia. Neque illi Pacificationum expressioni eum quem nunc Status et Ordines tribuere vellent, sensum subsequens seu usus, seu etiam leges unquam tribuerunt, ne ipse quidem Articulus 26. 1791. qui tamen, ubi perlatus fuisset, summo cum jubilo per Protestantes exceptus fuit. Sed et si tribueretur Protestantibus hoc aequalitatis et reciprocitatis principium: inde tamen nostra opinione nequaquam adhuc sequeretur, leges in negotiis religionariis rogandas esse absque ullo ad diversitatem religionum et principiorum earumdem respectu; nam vera aequalitas inter diversarum religionum asseclas ibi demum obtinet, ubi nemo lege civili ad talia, quae principiis religionis suae contraria sunt, adstringitur, ubi Catholicus secundum Catholicae Religionis, Protestans secundum suae itidem Confessionis principia vivere potest, quin violatae Patriae legis argui queat. Certo ii, qui civilibus legibus ad contrarios religionis suae principiis actus obligantur, ne libertatem quidem, minus aequalitatem cum iis habent, quos leges civiles non stringunt ad ea, quae religionis suae placitis repugnant. Neque facile quid potest esse periculosius, praesertim pro Catholicis, quam talem admittere repugnantiam: siquidem inde necessario ipsi populi moralitati perquam perniciosa civiles inter ac religionis et conscientiae leges fluctuatio consequatur. Denique si iuste praetendunt Protestantes, ut nequid lege civili sanciatur, quod cum Confessionis suae principiis collidat; si ipse religionarius Art. 26. 1791. statuit, ut ne Evangelici ad caeremonias et actus religioni suae contrarios ullo titulo adigantur; si ii a depositione iuramenti decretalis quoad clausulam „B. V. Mariam, sanctos et electos Dei" immunes declarantur: quomodo potest controverti Catholicis ius deposcendi, ut ne et ipsi ad actus religioni suae contrarios civili lege adstringantur? Catholici, inquam, in Regno Apostolico, qui et vetustiores sunt, atque adeo ipsi Regno coaevi, et multo ampliores numero, et qui totius Constitutionis legislationisque spiritum in suum favorem cum veritate queant allegare?

His praemissis, digredimur ad demisse indicanda ea projectati Articuli puncta, quae cum principiis sacrosanctae religionis nostrae componi haud posse, aut Ecclesiae Catholicae perquam noxia fore Nobis persuademus. Talis est

I. paragraphus 1. tenore cuius *Reversales*, et quaecunque relate ad religiosam prolium educationem ineundae stipulationes in futurum pro invigorosis declarantur. Inprimis licet Art. 26. 1791. Reversales aperte non memoret, in eo tamen reversaiium bona fide ac libere edendarum fundamentum contineri negari nullo pacto potest; dum enim §. 15. statuitur: quod si mater fuerit catholica, et pater evangelicus, proles masculae patris religionem sequi possint: per expressionem „possint" satis declaratur, quod non debeant in religione protestantica educari, sed pater legis favori renunciare, et in catholicam mascularum prolium suarum educationem consentiendi habeat facultatem; habeat proinde etiam in sensu huius legis facultatem semet ante initum matrimonium datis reversalibus eatenus obligandi; nisi enim legislatio hanc ei libertatem relinquere voluisset, non termino „possint" sed termino „debeant" usa fuisset: quemadmodum usa est, ubi de prolibus patre Catholico et matre evangelica progenerandis disponit. Verum est, quod Aug. Imp. et Rex Josephus II. sua a. 1782. publicata Resolutione Reversales sub Diva Maria Theresia praescriptas abrogaverit: sed non eo sensu, ut ne Protestans (personam catholicam matrimonio sibi coniungens semet per reversales sponte ac libere obligare possit ad cunctas suas proles in Religione Cath. educandas; sed ordinatio Divi Josephi 2. referebatur unice ad illam M. Theresiae secus principiis Ecclesiae Cath. apprime conformem dispositionem de an. 1768. qua mixta matr. secus quam penes datas per virum evangelicum de Catholica prolium educatione reversales iniri vetabantur. Patet id sufficienter ex altera eiusdem Aug. Imp. Josephi 2. dd. 10. Maii. 1782. Resolutione, quae directe habet: usum reversalium in posterum sic esse abolitum, ut ne tales exigantur, sed etiam citra illas copulationes instituantur. — Sed et praescindendo a patria lege et sumendo genericum rei obtutum, nisi lex civilis in mani-

festam cum principiis catholicis poni intendatur contradictionem, Reversales seu validae de futura prolium educatione Catholica per virum protestantem edendae cautiones inhiberi non possunt. Ecclesia quippe Catholica numquam probabat mixta matr. neque in thesi suam illis benedictionem impertiebatur, nisi certis sub conditionibus, quas inter semper erat catholica utriusque sexus prolium educatio. Et licet in praxi in nonnullis locis aut ditionibus, signanter in Hungaria, quoque a Divi Josephi 2. temporibus varius hac in parte usus invalescere coeperit; tamen recte aevo nostro principium hoc Catholicum ad plenam lucem collocatum et universae per orbem dispersae Ecclesiae consensione et acceptatione firmum robur consecutum est; ut adeo nullum amplius dubium sit, mixtis matr. non aliter Ecclesiae preces et benedictionem impendi posse, quam si cunctae proles in Cath. Fide educandae stipulentur. Quippe sponsa catholica secundum principia suae fidei absque gravissimo conscientiae reatu in educationem prolium suarum a fide cath. alienam consentire non potest, et si permittente lege civili tamen sub alia conditione ineat matrimonium, agit contra principia religionis suae, neque Ecclesia matr. eius suo potest probare calculo. Contra vir protestans, qui in aliis etiam religionibus expeditam credit suppetere viam ad salutem aeternam, nequaquam agit contra principia religionis suae, adeoque nec contra rationes conscientiae, si in catholicam prolium suarum consentiat educationem, hancque valida promissione stipuletur. In tanta principiorum contrarietate sicut aequum omnino est, ut is qui cedere potest cedat, et alteram partem ad infringendum religionis et conscientiae suae dictamen non stringat; sic legislatio civilis, nisi ad apertam cum principiis Catholicis se ponere velit oppositionem, vel simpliciter interdicat mixta matr. vel reversalibus suum relinquat vigorem, est necesse. Denique in eum etiam casum, quo legem sic quemadmodum hoc §. proponitur, rogari contingeret, stipulationes de catholica prolium educatione penitus abrogari non poterunt, manebuntque et postmodum in usu multis certo in casibus. Quodsi videlicet vir protestans suam in ineundo cum certa persona

catholica matrimonio felicitatem reponens, hanc aut parentes eius sincero corde religioni suae adhaerentes non aliter in vota sua pertrahere potuerit, quam promittendo generandarum prolium educationem catholicam, non raro ad promissionem idgenus accedet, utpote quam parte ab una proprii eius commodi ratio magnopere deposcit, et a qua parte ab altera nec religionis suae principiis, sed nec ullius positivae legis praescripto inhibetur; et promissio huiusmodi coram Deo, ipsoque naturae iure valida omnino censenda erit. Quomodo igitur cunctae circa religiosam prolium educationem stipulationes in futurum roganda lege possunt vigore destitutae declarari, et an non perlata hac lege ansa in multis casibus suppeditabitur obligatam per virum protestantem catholicae suae uxori eiusque parentibus hac in parte fidem infringendi, sicque conscientiam uxoris suae in acerbissimos angores coniiciendi? an per hoc felicium matrimoniorum numerus augebitur, an tam studiose quaesita familiarum pax et harmonia promovebitur? vel an non potius multis in casibus harmonia haec paxque domestica hoc recte pacto intervertentur? Posset res nonnullis adhuc aliis succolari argumentis, sed Nos supra summatim exposita adeo valida existimamus, ut nullis insuper opus esse arbitremur. Sunt pariter multa, quae in obversum adferri consuenerunt; sed nec horum recensione molestiam facessere volumus Maj. Vrae SSmae, plene persuasi, nil in rem dici posse, quod praemissorum motivorum robur queat evertere, sed et in humillima illa, quam Praesules Hungariae e prioribus Comitiis a. 1833. ad Aug. Maj. Vrae Genitorem adornarunt, repraesentatione cuncta poene quae obiici possent, memorata sunt, et opinione Nostra etiam enervata, ad quam remonstrationem hoc in obtutu demisse provocasse suffecerit. Ceterum ex his clementer dispicere dignabitur Maj. Vra SSma, quam gravibus rationum momentis incitatus infrascriptus Regni Primas omnium Nostrum nomine illam Majestati Vrae SSmae dd. 12. Januar. a. c. humillime substratam in Tabula Procerum interposuerit declarationem.

III. Quod perinde in graves Nos coniicit angutias, §. 4. projectatae legis continetur, videlicet ut mixtum matr. inire

cupientes in posterum semper per Ministrum religionis *Sponsi* copulentur. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. 1. de ref. matr. sub nullitate matrimonii praescribit, ut matrimonia coram proprio Parocho, et duobus testibus ineantur. Haec C. Trid. dispositio sic semper apud Nos accepta fuit, ut in mixtis matr. proprius parochus censeretur Parochus Catholicus, adeo, ut si coram Ministro Protestantico iniri matr. mixtum contigisset, illud clandestineitatis vitio laborare, et nullum censeretur. Haec porro C. Trid. dispositio in causa fuisse videtur, quod in articulo religionario 26. 1791. per expressum sancitum fuerit: mixta matr. semper coram Parocho Catholico (et duobus testibus) ineunda esse. Hinc etiam repetendum est, quod si persona catholica vel quae pro catholica ex lege censeri debebat, per Ministrum Prot. fuit cum evangelico copulata, recopulatio aut potius valida et legalis coram Parocho Cath. praesuscipienda matrimonii celebratio Altissimis ordinibus disponeretur. Scimus recentioribus temporibus relate ad singulativas ditiones per Suam Sanctitatem Summum Pontificem ob subversantia illic peculiaria rerum adiuncta remissum hac In parte nonnihil fuisse a rigore dispositionis C. Tridentini relate ad matr. mixta, declaratumque, mixta matr. etiam coram Ministro Prot. inita pro validis et ratis reputanda esse. Sed haec, ut innuimus, ad certas ditiones in specifico pertinent, nec ullatenus cynosuram generalem constituunt, ut adeo manentibus apud Nos praesentibus adjunctis, Nos matrimonia, quae secundum praesens legis projectum inirentur, pro civiliter tantum non etiam ecclesiastice validis possemus agnoscere. Occasione fotae in Tabula Procerum hanc in rem discussionis infrascriptus Regni Primas e communi omnium Nostrum voto eam adminus exceptionem admitti desideravit, ut dum Sponsum inter protestantem, et sponsam catholicam sic coalesceret matrimonium, possit ei Catholicae Ecclesiae benedictio impendi, facta videlicet per virum valida sponsione de cunctarum prolium catholica educatione, et si uterque sponsorum copulationem benedictionemque catholicam deposcerent, cotum matrimonium non coram evangelico mi-

nistro, sed catholico parocho ineundum stabiliretur. Existimabamus videlicet hoc pacto inconvenientiam legalis huius dispositionis multum imminutum iri propterea, quod eae adminus personae catholicae, quae memores obligationis suae reservarunt sibi educationem futurae suae sobolis in Religione Catholica, non stringerentur ad accedendum Oratorium Evangelicorum et ad ritus protestantici participationem. Existimabamus porro, ac nunc quoque existimamus, praeverti hoc pacto potuisse querelas contra Clerum Catholicum, quae manente praesenti legis dispositione evitari vix poterunt. Eveniet enim, quemadmodum supra iam memoratum est, nec raro, ut sponsus protestans proprio fortasse motu, vel quia personae catholicae in nuptias expetitae consensum secus impetrare non possit, sponte consentiat in cunctarum prolium catholicam educationem; evenire etiam perquam facile poterit, ut durante iam matrimonio videns vir protestans conscientiae angoribus agitari coniugem suam in oppositione cum principiis religionis suae relate ad prolium educationem positam, subvenire cupiat tranquillitati conscientiae eius, et ad firmandam etiam harmoniam pacemque domesticam sponte consentiat in catholicam prolium educationem. In tali casu sponsa aut mulier catholica iure praetendet Ecclesiae benedictionem connubio suo superinducendam, neque hanc parochus catholicus ei ullo pacto poterit denegare. Ast ex hac benedictionis impertitione sive talis ante sive post illam per Ministrum Prot. institutam copulationem locum sortiatur, procul dubio novarum querelarum materia desumetur; dicetur quippe laedi per Cath. Clerum claram legis dispositionem, recopulationesque novo sub praetextu induci. Haec interim infrascripti Primatis propositio votorum maioritate haud fuit acceptata.

IV. Projectatur decerni, ut e mixtis matr. dehinc contrahendis nasciturae utriusque sexus proles in *patris* religione educentur. Stante hac provisione universae proles patre protestante, sed matre catholica progenerandae e positiva legis dispositione in religione protestantica forent educandae. Cum persona catholica ex dogmate Ecclesiae suae

de fide sola salvifica convicta esse debeat, tutam et expeditam salutis viam nonnisi in Catholica Ecclesia reperiri, utpote quae sola gaudeat cunctis Ecclesiae a Salvatore institutae characteribus, cunctisque instructa sit salutis mediis, nec proin absque gravissimo, ut iam altius fuit memoratum, conscientiae suae reatu consentire ullo modo possit in educationem prolium suarum extra sinum Ecclesiae, et in fide a catholica aliena instituendam: haec legis dispositio aperta fronte collideret cum principiis Ecclesiae Cath. Potest ac solet etiam, nec absque aliqua veri specie, huic asserto opponi, quod in mixtis matr. in quibus vir est evangelicus, adusque etiam masculae proles, et quidem in sensu art. 26. 1791. fuerint in religione Protestantium educatae, quodsi proinde non repugnat principiis catholicis, proles masculas matre catholica prognatas educari in religione protestantica, nec repugnare possit his adiungi proles foemellas. Sed vero re uberius combinata facile intelligitur nil inesse realis roboris huic argumento. Inprimis enim art 26. 1791. nequaquam disposuit proles masculas matre catholica genitas in religione protestantica educari debere, sed enunciavit tantum educari posse: quod solum iam magnam utique atque adeo essentialem importat differentiam. Porro reversales occasione lati articuli religionarii ac postmodum etiam, ut pariter iam supra attactum est, in pleno suo fuerunt valore; semper itaque spes affulgere poterat impetrandae sub ipso matrimonii decursu mascularum etiam prolium educationis catholicae, et status huius matrimonii ad eum, qui principiis catholicis conformis sit, pedem reducendi. Nihilominus haec religionarii articuli dispositio una e praecipuis causis fuit, quod contra eundem e parte Cleri et aliquot Statuum Catholicorum solemnis interposita sit contradictio. Subin tamen cum ob memorata rei adjuncta semper adhuc praevaluerit idgenus mixtorum matr. character catholicus, pacatae tantisper erant conscientiae Catholici Cleri, licet is numquam destiterit personas sexus sequioris ad mixta matr. animum adiicientes suae hac in parte obligationis reflectere. Sed vero de praesenti cuncta in longe alia luce se praesentant: projectatur lex, quae omnis matris catholicae proles

in confessione Protestantium educandas decernat, nec permissive solum, sed imperative; reversales cunctae in futurum omni vigore destitutae enunciari proponuntur. Haec profecto adeo sunt determinata, ut nullatenus amplius cum catholicis principiis conciliari possint; praesertim cum hoc recte catholicum principium recentissimis temporibus ad tantam sit claritatem deductum, ut etiamsi dubium eatenus subversari cuipiam antehac potuisset, nunc per manifestatum universae per orbem dispersae Ecclesiae Cath. sensum, accedente Summi Pontificis qua Centri Unitatis iudicio omnis eatenus ambiguitas sublata sit. Convincimur, per art. 26. 1791. tantum hac in parte concessum fuisse Protestantibus, ut nihil ultra salvis Ecclesiae Cath. principiis concedi queat. Accedit, quod antehac in procuranda educatione prolium, quae de lege, aut in sequelam reversalium catholicam debebant nancisci institutionem, assistentia apud Jurisdictionem promta fuerit, et debitus Altiorum in rem editorum Ordinum respectus; nunc e contra penes positivas etiam et iteratas Altiores dispositiones atque in clarissimis quoque casibus vix amplius optatus Cleri reclamationibus respondeat effectus. Scimus Nos, Augustiss. Domine, contrarium etiam rei huius momentum aestimare. Derogari quippe sibi arbitrantur Protestantes per inaequalem legis dispositionem, quasi ad minuendum suae confessioni adhaerentium numerum tendentem. Sed propterea ut ipsi commode inire possint mixta matr. nimium est in Regno inprimis Apostolico postulare, seu ut Ecclesia Catholica ab immutabilibus suis recedat principiis, haecque in gratiam idgenus matrimoniorum immolet, seu ut legislatio civilis Regni potiori sua parte Catholici in apertam cum principiis catholicis recidat contradictionem. Ecclesia Catholica numerica animarum lucra numquam hac via consectata est, numquam enim probabat, imo aperte semper reprobabat quaevis mixta matr. et nunc quoque si de his civili lege inhibendis ageretur, lex talis certo nemini magis esset exoptata, quam Praesulibus et Clero Cath. Non igitur ulli fines secundarii regunt Ecclesiam Catholicam, dum prolium e mixtis matr. genitarum catholicam educationem deposcit: sed regit eam conservatio principio-

rum suorum, e divinae revelationis scaturiginibus haustorum, et illa, quam in actionibus et placitis suis numquam non tuebatur, harmonia sancta et uniformitas, vades veritatis.

Et haec sunt, Aug. Domine, quae in praesenti legis projecto principiis catholicis adversa, aut Ecclesiae Cath. perquam noxia fore convincimur, quae proinde Augusta Maj. Vrae SSmae pietate iuxta ac benignitate averti homagialibus precibus supplicamus. Haec eadem sunt, quae Nos, ad exemplum Praedecessorum Nostrorum, Hungariae Praelatorum, ad interponendam coram Comitiis publicam intuitu huius legis proiecti cautelam determinarunt, quam quidem cautelam isthic benigno Maj. Vrae SSmae obtutui demisse substernimus. Cetera quoque in eodem legis projecto contenta tantum ad restringendos Catholicorum, et ampliandos Protestantium favores tendunt; sed haec specialius recensenda haud censuimus partim propterea, quod in altius memorata Praesulum Hungariae ex postremis Comitiis ad Maj. Vrae SSmae Aug. Genitorem demisse adornata Repraesentatione cetera inter religionarii obiecti puncta attacta pariter sint; partim quod Altissimo Maj. Vrae iudicio expensum iri non ambigamus, quid ex iisdem ad pacis et tranquillitatis animorum quaqua tandem ratione constabiliendae scopum conducere queat, adeoque ob altiores publicae rei obtutus concedi sit necesse? Ceterum homagiali cum candore cogimur confiteri, Nos non magna huius pacis et tranquillitatis spe teneri. Etenim si expendamus, quod art. 26. 1791. ad stabiliendam, et quidem in perpetua tempora hanc pacem et harmoniam perlatus, tantoque cum iubilo Protestantium eo tempore exceptus, hanc pacem adeo non stabiliverit, ut duobus iam Comitiis acerbissimae rursum non absque detrimento bonae rei, multorum melius sentientium offendiculo, nec absque ingenti noxa morali auscultantis iuventutis et innumerorum in Regno diaria, variasque ex Comitiis relationes legentium, eruperint negotii huius agitationes ac reclamationes; nec solum de non observato articulo religionario, sed ad iura ultra tenores articuli sibi adserenda directae; si expendamus, quod nunc quoque, posteaquam per Tabulam Procerum in iis etiam, quae cum principiis catholicis

componi nullatenus possunt, relate ad plura, ut ex praemissis patet, assensus praestitus est, tamen nec his excontentati sint Protestantium animi, sed relate ad cuncta cetera, in quibus duarum Tabularum coalitio impetrari haud poterat, diserte sibi facultatem reservent Status et OO. novas suo tempore, dum ipsis visum fuerit, disceptationes provocandi; si, inquam, ad haec, ipsamque Protestantismi indolem animum advertamus: spem futurae pacis, et tranquillitatis fovere non possumus. Recrudescent haec indubie, recrudescent autem, demissa opinione Nostra, eo vehementius, quo felicior his agitationibus pro parte Protestantium responderit effectus; ut adeo novis, praesertim ultra legis religionariae in perpetua tempora latae tenores, datis concessionibus discussiones has nequaquam reprimi, verum provocari potius arbitremur. Sed plane moerore complet animos Nostros illa iam postremis Comitiis facta, nunc solemniter repetita Statuum ac OO. declaratio, quod in negotiis religiosis cum Viennensi et Lincensi Pacificationibus, cumque art 1. 1608. et 26. 179$^{0}/_{1}$. componi haud queuntes Regiminis ordinationes, dispositiones, et interpretationes pro obligativis numquam sint recogniturі. Hoc pacto ad Status et OO. aut potius ad singillativarum Jurisdictionum refertur arbitrium, decernere: num hac vel illac ordinationes dirigentis Regni Dicasterii, vel etiam Maj. Vrae SSmae Pacificationibus et dictis articulis conformes sint vel difformes? Hinc etiam est repetendum, quod actu iam in permultis Jurisdictionibus altiorum in negotiis religionariis editarum ordinationum effectus fere tantum, dum tales Protestantibus favent, secus in manifestissimis etiam casibus aut segniter admodum aut plane non procuretur. Nos quidem Salvatoris effatis intemerata fide adhaerentes, plene convincimur, Ecclesiam Catholicam, etiamsi hanc propriis tantum suis viribus relinqui contingeret, tamen perseveraturam in finem usque seculorum; diffiteri interim non possumus, tristitia compleri pectora Nostra, dum eo rem in Regno Apostolico redigi advertimus, ut Ecclesia haec Catholica vix fluxum amplius et incertum ex civilibus legibus recipiat praesidium; illa, inquam, Ecclesia, quae non modo expeditissimam mortalibus ad salu-

tem aeternam pandit viam, sed et Imperiorum ac Regnorum, temporalisque populorum felicitatis optimum praestat vadimonium, seculorum experientia comprobatum.

Erigimur interim praeter fiduciam, quam in Deo O. M. locamus, recordatione pietatis eius et animi roboris, quae Augustos Maj. Vrae SSmae Praecessores ingiter animavit ad defensionem Religionis Ecclesiaeque Catholicae, et quae virtutes indubia haereditate in Maj. Vram SSmam sunt devolutae, non ambigentes, Eandem haud unquam concessuram, ut quae Eadem qua summo suo Patrono gloriatur, Ecclesia Hungarica, priscis suis iuribus inde a Divo Protorege per Apostolicos Reges in se collatis exuatur, quemadmodum id pro summa pietate et benignitate sua, more Augustorum Maiorum suorum, in ipsa faustissima inauguratione Sua clementer polliceri dignata est: quod et homagialibus precibus a Majestate Vra exoramus, sancte vicissim pollicentes, Nos cum universo fideli populo, pastorali Nostrae curae divinitus credito numqnam cessaturos, Divinum Numen pro longaevo, eoque prosperrimo Maj. Vrae regimine, omnique coelestis ac terrestris benedictionis affluxu assiduis precibus ac suspiriis exorare. In reliquo etc.

d) 371.

Contradictio Primatis contra proiectum legis religionariae, nomine Cleri in Sess. Diaetali 147. dd. 6. Maii interposita.

Cum antiquioribus temporibus, tum anno 1791. officii sui duxerat Status Ecclesiasticus, contra leges in negotio Religionis perlatas, in quantum hae cum principiis, doctrina, et emolumento Catholicae Fidei ac Ecclesiae colliderent, protestationem et contradictionem solemniter enunciare, huiusque memoriam Codici quoque legum inferendam petere. Projecta legum religionariarum in praesentibus R. Comitiis adoptata sufficienter testantur, huiusmodi protestationis occasionem et necessitatem in praesentiarum multo magis, ac alias unquam, subversari. Quamquam igitur relate ad tenores nunc memoratorum legum religionariarum projectorum, qui principiis Fidei et Ecclesiae Catholicae, do-

ctrinae item ac emolumento eiusdem adversantur, iam in singularibus etiam pertractationibus palam declaraverimus, Nos iisdem assensum praebere non posse: nihilominus, conformiter muneri Nostro, nunc insuper in solenni forma adversus memorata legum projecta cum Nostro, tum totius Status Ecclesiastici nomine protestationem interponimus, et ut haec in lege quoque memoretur, Tabulam hanc oramus.

372—375.

Dispositiones Praesulum Regni post conclusa Comitia ad propria reversorum.

a) 372.

Epistola Pastoralis Primatis ad Clerum, de matrimonio, dd. 10. Junii 1840.

Princeps Josephus Kopácsy etc. Integro ferme anno, eoque non cura, non laboribus vacuo in Regni Comitiis exacto, alacres regredimur ad Religionis et Ecclesiae, cui Nos immerentes Divinum Numen praefecit, causam totis animis complectendam. *(Post plura de institutione fidelium monita)*— Dum autem de Institutione sermo Nobis est, committere non possumus, quin pro moderni temporis adiunctis id, quod de *Matrimonio* in institutionibus publicis populo proponere, aut vos ipsos curatius recolere necessum est, specialius delibemus. Matrimonium a Deo in primorum generis humani parentum coniunctione institutum esse ea lege, ut matrimoniale foedus perpetuum, indissolubileque esset, constans est Ecclesiae Catholicae doctrina e Christi ipsius effatis hausta. Matrimonium quidem post protoparentum peccatum a primo ortus sui decore ac honestate decidit, et sub lege Moysi datis repudii libellis ob duritiem cordis Hebraeorum ipsum illius vinculum dissolvebatur: ast illud per Christum Salvatorem ad primitivam originem revocatum fuit, ita, ut indissolubilis coniugum nexus illo Auctore amplius adhuc confirmaretur perficereturque. Nec hac solum ratione perfectius reddidit Christus matrimonium, sed una voluit illud ultra officium naturae ad hoc etiam valere, ut casto coniugum ad se invicem amore et perpetuo foedere, propensisque ad mutuum adiutorium studiis, suam ipsius

perennem et arctissimam cum Ecclesia sua coniunctionem apte repraesentet, et proles inde procreandae ad veri Dei et Salvatoris nostri cultum religionemve educentur, quibus proin vera Ecclesia seu Regnum Dei in terris, idemque regnum in coelis continuo augeatur et amplificetur.

Qualitates hae, christiano-catholicis coniugiis tantum propriae, prouti praecelsae sunt, ita gravibus irretiuntur difficultatibus, quibus ut fragilis conditio humana non succumbat, imo iis superandis par sit, idem salutis humanae Stator, Jesus Christus gratiam sanctificantem matrimoniali fidelium coniunctioni passione sua promeruit, id est, matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevavit, ut sub lege eius iam non solum honorabile esset connubium, et thorus immaculatus, sed etiam Sacramentum magnum in Christo et Ecclesia.

Quisnam sit Sacramenti Matrimonii *Minister?* ipsine coniuges, vel Sacerdos proprius, ritibus sacris et benedictione cummuniens? ab Ecclesia definitum non est, et ne eatenus ab ipsis Episcopis, in solemnibus praesertim occasionibus, determinate quidpiam pronuncietur, Benedictus XIV. doctissimus Pontifex, lib. VIII. de Syn. Dioec. cap. 12. et 13. auctor est. Suapte nihilominus patet, coniuges, qui in vera fide fundati animoque rite dispositi adeoque institutioni Christi conformiter ad ineundum matrimonium accedunt, gratiae sanctificantis, aliorumque Sacramenti matrimonii effectuum in utraque sententia participes reddi posse. Sed e contra patet etiam, illos, qui ipsi in vera fide vacillant, ac ideo praecipuam coniugum obligationem, liberos quippe omnes in una divina et salvifica religione educandi, implere detrectant, qui de regno Dei nihil solliciti, ipsaque Ecclesiae lege et intentione despecta, carnalibus desideriis, vel mundanis duntaxat considerationibus ducti, ad nuptias convolant, sive hi suo ipsorum ministerio, sive per Sacerdotem qua Sacramenti ministrum matrimonialiter iungantur, in eo morali statu constitui, ut matrimonium per ipsos initum possit quidem absque dubio perpetuum esse, ac indissolubile, gratiae tamen sanctificantis aditum tales indispositione sua ipsi sibi praecludant.

Quamvis autem in praesentia proprii Parochi, qua tantum testis qualificati, et auctorisabilis, etiam citra activam illius cooperationem initum matrimonium absque dubio ratum sit et validum: minime tamen ideo opinandum est, benedictionem Sacerdotis adhiberi, vel intermitti indifferens esse; in quacunque enim e praeallatis de ministro sententiis valet illa ad sacramentalem gratiam certius, tutius, et uberius in coniuges derivandam. Unde iam a primis Ecclesiae Christianae initiis coniunctiones matrimoniales ministerio Sacerdotis in facie Ecclesiae consecrare usque adeo erat in more, ut nuptiae aliter initae parum religiosae haberentur, imo etiam reprobarentur.

Verum benedictionem hanc Sacerdos non nutu suo, sed qua fidelis dispensator, ac ideo legibus Ecclesiae adstrictus, virtute divinae suae missionis in sacerdotali ordinatione ad benedicendum et consecrandum atque ad dispensanda mysteria Dei acceptae, largitur; virtute missionis illius, qua mediante locum sortitus est discipulorum Christi, quibus injunctum ab illo legimus, ut domos ingressi pacem seu benedictionem in has adferant; *et si ibi fuerit filius pacis*, idest, ad eam recipiendam dignus, ajebat Dei Filius, *requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos revertetur.* Luc. X. 6. Quare cum Sacerdos matrimonium benedicens non sua, sed Ecclesiae auctoritate agat, hocque suo actu illud tamquam institutioni divinae, fini suo, et Ecclesiae intentioni ac legibus consentaneum nomine Ecclesiae ratihabeat, et confirmet: Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et dilecti in Christo filii, expendendum relinquimus, qualiter id cum rationibus rectae conscientiae, fidelisque dispensationis componi possit, si benedictio illis impendatur, qui, quod suae, vel nasciturarum prolium aeternae salutis cura non tangantur, imo Ecclesiae legibus ac intentioni opposite agant, in gravi peccato se ad hoc vivorum Sacramentum accedere velle, non obscure produnt. Ceteroquin vobis omnibus perbene constare arbitramur, exteriorem cultus divini oeconomiam et speciatim actus liturgicos iuxta mentem Ecclesiae Catholicae non aliud esse oportere, quam ipsam religiosi sensus, quo quis animatus esse debet, ad-

commodam expressionem, fidei item religionisque principiorum manifestationem, ut proinde illos cum his non in contradictione, sed intima potius harmonia constitui, sit necesse.

Intelligetis ex his Ven. Fratres et dilecti in Christo filii, non illa tantum, quae populo fideli opportuna quavis occasione solerter inculcanda sunt, ut de matrimonio, et inde promanantibus gravissimis officiis recte sentiat, sed etiam alia, quae vos ipsos attenta meditatione prosequi oportet, ut praecipuam sacri ministerii vestri partem, institutionem quippe fidelium fructuose impleatis. Videte ergo, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Videte, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et eadem sententia. Ceterum sicut omnes vestros actus, ita hoc docendi officium discretio, et caritas erga illos quoque, qui a nobis dissentiunt, sollicite observanda, regat et dirigat iuxta illud Apostoli monitum: Servum Domini oportet mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos, quibus omnibus paternae dilectionis pignus, benedictionem nostram peramanter impertimur. Posonii, die 10. Junii 1840.

b) 373.

Literae Pastorales una cum Instructione ad Clerum Curatum quoad matrimonia mixta per Primatem et Episcopos Hungariae dd. 2. Julii 1840. uniformiter dimissae.

Quanto studio Sedes Apostolica intenta semper fuerit, ut Matrimonii Sacramentum in sua puritate conservetur, ipsaque administrandi illius ratio ad Ecclesiae Catholicae doctrinam apte exprimendam comparata sit: vetustissimorum temporum monumenta aperte testantur. Eodem zelo tuendae Catholicae doctrinae ducti recentiori aetate Pontifices Romani nihil non egerunt, ut invalescentes hac in parte ab Ecclesiae principiis deviationes corrigerent, et illam praeser-

tim praxim, qua Catholici personis a Sacris Catholicis alienis citra adhibitas cautelas ab Ecclesia Catholica requiri solitas vinculo matrimoniali junguntur, emendarent. Hoc scopo sane Constitutiones illae Benedicti XIV. Pii VI. Pii VII. Pii VIII. Leonis XII. et Ecclesiam Catholicam nunc feliciter gubernantis Gregorii XVI. Summorum Pontificum emanarunt; quibus cohaerenter ad constantem Ecclesiae Catholicae doctrinam edictum est: Catholicorum cum Acatholicis matrimonia, quod non parum spiritualis periculi praeseferrent, legibus Ecclesiae interdicta esse; aut, si gravis aliquando causa interveniret, quae mixtas huiusmodi nuptias suadere videretur, non aliter illas contrahi posse, quam adiectis opportunis cautelis: tum ne coniux Catholicus periculum deserendae fidei subeat, quin potius ille teneri se sciret ad acatholicum coniugem ab errore pro viribus retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate educaretur; quae cautelae si absint, obtinerique nequeant, tum enimvero Parochorum Catholicorum esse, ut ab adhibendis ritibus sacris, precibus, et benedictione, omnique huiusmodi actu abstineant, unde coniici possit, matrimonium tale ab ipsis approbari, ipsosque illi cooperari; et si nihilominus matrimonii coniunctio instantius urgeatur, ipsos negative saltem se gerere oportere, ut quippe si nullum aliud canonicum impedimentum obstet, consensum desponsorum mutuum in matrimonialem coniunctionem, de praesenti coram se et duobus vel tribus aliis testibus declarari non impediant, actumque talem velut valide gestum in librum Copulatorum referant.

Quibus quidem statutis ut animo docili Pastores animarum aeque ac fideles morem gerant, non auctoritas tantum Romani Pontificis pro Unitatis Centro, et sparsae per orbem totius Ecclesiae Catholicae Capite divinitus constituti requirit, sed momenta etiam rationum cuivis pervia facile persuadebunt. Quis enim non videat, cautiones has omnes eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, quae nuptias ita comparatae contrahunt,

ut se aut futuram sobolem periculo alienationis a Fide temere committant, non modo (verba sunt Pii VIII. Pont. Romani) canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare? Aut cum ad praecipuos Sacramenti matrimonii fines pertineat, ut populus inde Regno Dei in terris primum, tum etiam in coeiis, idoneus succrescat, committerene potest Ecclesia Catholica, ut auctoritate sua consecrentur et communiantur nuptiae, ex quibus nasciturae proles non in vero Christi grege censeantur? Coniux profecto, quae, quantum in se est, futuras soboles ab Ecclesia et Reiigione iiia, quam ipsa velut unam veram, unam divinam, et mediis salutis instructissimam profitetur, suo ipsa proposito aiienas reddit, et exclusas, crudelis est in iiias, subiimi Sacramenti indoii, ut quippe coniunctionem Christi cum Ecclesia repraesentet, minime respondet, Ecclesiae intentioni, quae in Sacramentorum susceptione et administratione summi est momenti, non modo non obsecundat, sed se potius opponit. Coniux igitur talis ad matrimonii Sacramentum digne suscipiendum vel ministrandum rite disposita nequaquam reputari potest, beneficiorum proinde, quae conditiones ab Ecclesia ipsaque Sacramenti natura requisitas sequuntur, sua se cuipa facit expertem.

Haec velut in praecipuis Fidei nostrae principiis fundata Vobis omnibus plana esse, atque ex occasione eventuum, qui his temporibus ob hanc ipsam Catholicae Ecclesiae doctrinam Apostolica constantia propugnatam, non parum adversitatis quibusdam Fidei muncrisque Nostri sociis attulerunt, planiora effecta lubenter Nobis persuademus. Cum itaque incolumitatem sacris Ecclesiae Catholicae legibus principiisque asserendi, et ius et onus Nobis cumprimis incumbat: adhortamur Vos in Domino, vestramque vigiiantiam excitamus, ut seria Vos cura subeat quo sua in incundis mixtis connubiis vetustae disciplinae catholicae, tot Conciliaribus, Pontificiisque sanctionibus incuicatae, ubique exacta constet observantia.

Poscimus hoc a Vobis, iniungimusque eo maiori cum fiducia, quo certius tenemus, ordinationi Nostrae nec lege patria, Art. 26. 1791. expressa obicem poni. Neque enim Ar-

ticulus hic hoc in puncto aliud praecipit, quam ut mixta matrimonia semper coram Parochis Catholicis ineantur; benedictionis autem vel rituum sacrorum velut extra sphaeram suam positorum ne meminit quidem; imo haec consulto ab invicem discriminata fuisse, vix est ambigendum: cum statuta in attacto Articulo 26. 1791. de mixtis matr. condita plane sint affinia principiis, quae posterioribus illis annis vigebant, quaeve in Evangelicorum matrimonialibus causis diiudicandis interimalem apud Nos quoque normam praebere debebant; horum autem praecipuum caput discriminatio contractus civilis a matrimonio qua Sacramento constituerit. Sane principia haec in vicinis haereditariis provinciis hodieque vigent, nec tamen eo exporriguntur, ut inde benedictio matrimoniorum in casibus copulationum e regulis Catholicis denegatarum imperetur, aut in illa impertienda Episcoporum et Cleri conscientiis quaecunque demum vis inferatur. Praeterea Evangelici in sequelam liberi religionis exercitii Articulo illo securi redduntur, quod ad nullos actus religioni suae contrarios cogendi sint, quod religionis objecta etiam in coordinatione Scholarum cuivis religioni propria manere debeant, quod in iis, quae ad religionem pertinent, unice a religionis suae Superioribus dependeant, quod relate ad ipsas disciplinae partes intacta religionis libertate constabiliendus sit certus ordo principiis ipsorum religionis accomodatus. Nisi ergo statuere quis velit, Catholicos libero religionis exercitio destitui, vel quae iura Evangelicis hoc titulo asserta sunt, eadem Catholicis in vetusto possessorio constitutis eodem ipso tempore succisa ademtaque fuisse: inferendum est, praemissa omnia Catholicis ex aequo propria esse, proinde in iis, quae circa matrimonia mixta ad Religionem pertinent, suis ipsos legibus, canonibus, principiis regi. Neque quis existimet, hoc pacto illam legis dispositionem, qua mixtis matrimoniis impedimenta in contrarium quocunque sub praetextu ponere cautum est, infringi; non enim impeditur ullus, quominus etiam in casu, quo absque cautelis per Ecclesiam Catholicam requisitis matrimonio mixto illigare se vult, si aliud non obstat canonicum impedimentum, nuptias tales coram parocho proprio in forma per Conc. Tridentinum praescripta inire,

adeoque matrimonium omni sub respectu validum et ratum contrahere possit. Ad ipsam benedictionem, sacros item ritus et preces attactam legis dispositionem non extendi e superioribus, indeque maxime patet, quod sicut Evangelici totum hunc Articulum salvis suis principiis conditum esse identidem declararunt, ita illum salvis etiam Catholicorum principiis perlatum esse, dubitari nequeat; cuius quidem iustae, imo necessariae ad Catholicorum principia habitae reflexionis tum in matrimoniis mixtis quibuscunque ad Sedes Spirituales Catholicorum ob subversantem Sacramenti rationem revocatis, tum etiam in eo evidens est documentum, quod relate ad sententias de matrimoniis Evangelicorm per fora sua latas, diserte addatur: effectus illarum civiles tantum ubique pro validis haberi, Episcopos autem ad agnoscendam sic pronunciatam vinculi nullitatem, illamque ad Catholicos extendendam non obligari. Alioquin, si id, ut principia Catholica intacte maneant, in attentionem, dum lex rogaretur, non venisse supponatur, sequetur etiam impedimento ligaminis, ordinis, voti, etc. irretitos, si modo mixtum matrimonium inire velint, a tali ineundo nec horum impedimentorum praetextu removeri posse, cum si hoc fieret, ineundis mixtis matrimoniis impedimenta ponerentur.

Obiici quidem solet, usum a condita lege illum viguisse, ut etiam dum alterius religionis vir reversalibus, vel alio cautelae genere ad proles omnes in Catholica Religione educandas non se obligavit, matrimonium mixtum nihilominus ritu sacro administraretur; verum usus hic sicut ab initio non per legem civilem introductus, nec vigore illius continuatus fuit, ita ut porro continuetur, illius virtute urgeri eo minus potest, quod in projecto legis Suae Maiestati SSmae novissime substrato diserte recognoscatur, matrimonia mixta coram Catholico Parocho etiam absque benedictione huedum inita ceteroquin valida esse. Indulgentia Cleri Catholici a sincero colendae pacis studio profecta, paucitas mixtorum matr. et vel maxime possibilitas medio ultronei noncatholicorum virorum in educationem prolium catholicam assensus aut medio reversalium, quae vix restrictionibus per Augustum Josephum 2. introductis solutae mox amplius invalescere coeperunt, obtinendi id, quod

principia Catholica fierl poscebant, in causa fuerunt, ut usus ille non interrumperetur. Ast nunc aliter omnia comparata sunt. Religionariae quaestiones ad mutandum usque adeo in substantialibus punctis Articulum 26. 1791. tendentes, altera iam vice ad discussiones diaetales pertractae et conclusa per modum projecti legis Suae Maiestati SSmae iam etiam substrata sunt. Deviationes a positiva lege cum non exiguo Cath. Religionis praeiudicio invalescentes, ac per has provocati recursus longe maxima sui parte e mixtis matrimoniis in dies magis multiplicatis profluunt. Indifferentismus in Religione ampliora in dies incrementa capit, ingentemque parat rei catholicae ruinam. Reversales multo rariores effectae sunt, eoque res propemodum deductae esse videntur, ut efficacia, qua antehac apud Civiles Jurisdictiones pollebant, plene exnantur. Denique isthoc Disciplinae caput in tantam positum est hac aetate lucem, ut quid agendum sit, adhuc non videre, vel in luce ambulare nolle tantumdem sit ac Pastoris officium prodere.

Interest itaque, dilecti in Christo Fratres et Filii, ut operam, conatusque Vestros ad propulsanda ulteriora discrimina, restabiliendamque rectam Ecclesiae praxim Nobiscum iungere non tardetis. Inprimis autem sedula sit Vobis cura, fideli populo nervose, cum omni tamen mansuetudine, inculcare: quidnam veros Catholicos de institutione matrimonii, de fine illius, dignitate per additam a Christo Domino Sacramenti rationem, nuptiis conciliata, de perpetuitate vinculi, obligationibus coniugum tum erga se invicem, tum erga proles, ac in obligationibus his illa praeprimis, quae educationem harum in disciplina et correptione Domini, Religionisve Catholicae sanctitate procurandam respicit, credere, sentire, et fidei morumque regulis convenienter agere oporteat? qua animi praeparatione coniuges ad matrimonii Sacramentum digne suscipiendum accedere, quave animi pietate augendae sanctificanti gratiae intenti esse debeant? Hae porro institutiones e genuinis fontibus haustae tum in catechesibus et sacris sermonibus, tum aliis quibusvis opportunis occasionibus ea assiduitate proponantur, ut in fidelium animis firmas radices agant, ipsosque probe cognitis

sanctis catholicorum coniugum officiis ad eadem etiam rite implenda pronos, proclivesque reddant.

Si demum sponsi diversae religionis ad incundum matrimonium Vobis se sistant: eotum ultra praevias Catholicis omnibus impendendas institutiones, diligenter moneatur catholica sponsa, ut meminerit firmissimum illud Religionis nostrae dogma, quod extra veram catholicam fidem non sit salus, proindeque agnoscat, se non tantum ad periculum prodendae fidei ab se propulsandum gravissime obligari, sed etiam in filios, quos a Deo exspectat, iam nunc iniquissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem facto suo a Fide Catholica alienam futuram esse; non minus itaque obligari ipsam, ut sponsum suum eo flectere adnitatur, quo is sponsione in scriptum relata, vel coram idoneis testibus depromta, validam cautionem de prolibus utriusque sexus in Religione Cath. educandis interponat. Qua in re si Parochi sincera studia in irritum caderent, desponsi vero proposito suo matrimonium secum ineundi perseveranter insisterent: declaret Parochus, se a nuptiis his benedicendis, et quocunque ritu sacro communiendis Ecclesiae Catholicae lege et doctrina prohiberi; nequaquam tamen impediri abs se, quominus legi patriae satisfiat; iidem proinde desponsi suum in matrimonialem coniunctionem consensum coram ipso, et duobus vel tribus testibus declarare, haeque ratione validum et ratum matrimonium inire possint.

Ceterum prudentiam Vestram pastoralem in eo magnopere excitamus, ut in sermonibus de hoc obiecto conferendis, in actibus item hanc matrimonii ineundi rationem attinentibus nihil intercurrat, quod in aliter sentientium vilipendium accipi, aut irritationem aliorum provocare posset; sed potius ex omni Vestra agendi et loquendi ratione palam fiat, Catholicos Sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut quippe in iis, quae Religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, in iis autem, quae civilis sunt ordinis, Patriae leges custodiant.

Haec quantum ad rituale sacrum in spiritualibus pro potestate, quae Nobis licet indignis divinae Nostrae missio-

nis virtute obtigit, Vobis, dilecti in Christo Fratres et Filii, interea etiam, dum super nonnullis, prout necessitas feret, Sedes Apostolica consuli poterit, praestituentes, hortamur Vos et obsecramus, ut, quod etiam Apostolus identidem praecipit, idem sapiatis, in eadem permaneatis regula, in omnibus sumentes scutum fidei et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu.

c) 374.

Instructio in eodem obiecto ad Parochos.

Dum in advoluto Pastorales meas literas in obiecto mixtorum matrimoniorum sub hodierno dato per Dioecesim meam dimissas Dom. Vrae, et per Eandem cunctis Districtualibus Curatis submitterem: una, quo iisdem optatus respondeat effectus, necessarium existimavi, Dom. Vrae, et medio Eiusdem Curatis Distr. opportunas quaspiam hoc in merito inviationes pro debita observantia et directione suppeditare.

Inprimis advertendum est, in matrimoniis mixtis, dum de sponsae in catholica religione perseverantia, et prolium omnium in hac instituenda educatione securitas requisita adest, eundem in copulandis coniugibus modum, qui hactenus viguit, adeoque cum precibus et benedictione adhibendum esse. Si autem huiusmodi securitas non praebeatur, cum in casu hoc magnopere intersit, ut uniformis in procedendo modus, isque activam Sacerdotis cooperationem, quantum possibile est, excludens observetur: scopo hoc sequentes praestituo regulas:

1. Matrimonio tali promulgationes trinae, consueto modo, in sensu Instructionis ad Episcopos Bavariae auctoritate Summi Pontificis datae praemittantur, inter promulgandum tamen religionis, cui partes addictae sunt, mentio non fiat.

2. Tam ante, quam praeprimis intermedio promulgationum tempore, institutio omni cum discretione impendenda

parti catholicae non solum non subtrahatur, quin potius illi qua licet diligentia insistatur.

3. Matrimonium tale non quidem in loco sacro, loco tamen honesto, in aedibus v. g. parochialibus ineatur, et parochus, vel cum eius licentia alius Sacerdos, nullis quidem sacris vestibus, adeoque non stola, non rocheto, habitu tamen ecclesiastico indutus, et ad modestam gravitatem compositus, citra faciendum libri Ritualis, vel precum sacrarum, aut ritus sacri usum, coram duobus aut tribus testibus declarationem mutui in matrimonium consensus excipiat.

4. Ut haec mutui consensus declaratio nulli exceptioni obnoxia sit, eam vir his aut similibus verbis exprimet: „Ego N. N. in coniugem accipio N. N. honestam personam, non ipsam deseram usque meam et illius mortem in quacunque vicissitudine, sic me Deus adiuvet;" dein consensum suum sponsa catholica sic enunciabit: „Ego N. N. in maritum accipio N. N. honestum iuvenem vel virum, non ipsum deseram usque meam et illius mortem in quacunque vicissitudine, sic me Deus adiuvet, Beata Virgo et omnes Sancti."

5. Postquam haec peracta sunt, Parochus matrimonium hoc, eadem qua in aliis matrimoniis inserendis oportet exactitudine Libro Copulatorum inserat.

6. Moneat coniuges, quod matrimonio valido et rato coniuncti sint, cuius indissolubilitas, aliique legitimi effectus non secus ac in aliis matrimoniis extra omne dubium positi sunt.

7. Casus difficiliores fine accipiendae congruae inviationis ad officium meum Dioecesanum referendi erunt.

d) 375.

Instructio uberior in merito mixtorum matrimoniorum ad Parochos dd. 16. Novembris 1840. per Primatem, et Episcopos dimissa.

Plures Nobis tam a Dioecesano Curato Clero, quam ab aliis propositae sunt quoad mixta matrimonia quaestiones, quarum intuitu, postquam etiam nonnullorum DD. Archi- et Episcoporum, prout et Nostrorum utriusque Distri-

ctus Consistoriorum sensa, ac opiniones intelligere licuit, Sacris Dioecesis Nostrae Curionibus, sequentes in Domino dandas esse duximus inviationes.

Quaeritur 1. An sponsa Catholica, quae sciens masculas suas proles in acatholica religione educandas esse, viro acatholico nubit, in Tribunali Poenitentiae sacramentaliter absolvi possit? qualiterve talis hac matrimonii contrahendi occasione tractanda veniat?

Ad. 1. Sponsa catholica in proposito casu masculas suas proles non in religione Catholica, sed ab hac aliena confessione educandas relinquendo, taliterque salutis aeternae discrimini exponendo, non tantum in canonicas sanctiones, sed etiam in legem naturalem et divinam gravissime peccat: absolvi proinde non potest; e re potius erit, ipsam praevie in omni caritate admonere, ut ad vitandum, quod forte e non obtenta sacramentali absolutione oriri posset, offendiculum, in hoc animae suae statu nec ad tribunal Poenitentiae, multo minus ad S. Communionem accedat. Si tamen in matrimonio iam constituta in cor suum redeat, sincera reatus sui poenitudine ducatur, et, quantum in se est, malum ab se causatum reparare studeat, quamvis id fortasse propter subversantia obstacula non possit: absolvenda est, cum S. Mater Ecclesia viscera misericordiae numquam praecludat vere poenitentibus. Ceterum probari non potest illorum Sacrorum Curionum agendi ratio, qui utprimum securitatem de catholica omnium prolium educatione non praeberi comperiunt, illico omnem de sponsa tali sollicitudinem deponendo, ulteriorem etiam illius institutionem intermittunt. Imo vero duplicata solertia incumbendum est huiuscemodi sponsae instructioni: diligenter exponendo, quid de fide vera et salvifica tenere debeat? esse quippe hanc ad salutem indispensabiliter necessariam, iuxta illud Apostoli dictum: sine fide impossibile est placere Deo; illud item Salvatoris effatum: qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur; fidem porro requiri non mancam, non vacillantem, non talem, cuius placita suo quis arbitrio deligit, sed fidem requiri integram, firmam, Christi et Apostolorum auctoritate nixam, atque Ecclesiae infallibili ma-

gisterio propositam. Exponi ultro debet, matrimonio hoc, prout illud Sponsa inire cupit, ut nempe nasciturae soboles non Ecclesiae Catholicae, sed ab hac alienae Confessioni adcrescant, illum Sacramenti matr. scopum, ut Regno Dei in terris ac in coelo nova accedant incrementa, novique succrescant cives, interverti; sed et illam Christi Domini matrimonii Sacramentum instituentis voluntatem, ut illud suae cum Ecclesia coniunctionis imago sit, frustrari; ubi enim eadem fides, idemque religionis vinculum animos non coniungit, quomodo ibi Christi cum Ecclesia coniunctio relucere posset? Exponi denique debet, his gravissimis motivis, et aliis fidei periculis, pietatisque impedimentis, quibus matrimonia talia plerumque irretita sunt, eo permotam esse Ecclesiam Catholicam, ut illa legibus suis prohiberet, nec alias, quam si pericula a coniuge catholico, et prolibus per idoneas cautiones averterentur, indulgeret. Facere hoc Ecclesiam unice e sincera de salute fidelium sollicitudine, quare obsequium deberi his Ecclesiae legibus, et si quis hoc detrectet, contra talem insonare illa Christi verba: qui Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus et publicanus; illud item ad Apostolos dictum: qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Concludi demum debet, sponsam, quae sic manifeste fidem suam vilipendit, Christi ac eius Ecclesiae scopum, intentionem, leges intervertit, ac infringit, sed et gravissimam circa proles obligationem, illam nempe, quae aeternam illarum salutem in tuto collocandam respicit, aliis considerationibus passim mundanis et frivolis postponit, exspectare nullo modo posse: ut tali suae matrimoniali coniunctioni Ecclesia Catholica, sive huius nomine et auctoritate fungens Sacerdos Catholicus confirmationem et approbationem addat administratione rituum sacrorum et benedictione; imo vero se quoque, Parochum nempe, conscientiae suae dictamine prohiberi, quominus quaestionatae sponsae haec administrare possit; sed quod potest, in eo consistere, ut praemissis consuetis promulgationibus, nulloque impedimento detecto, in sua praesentia, et adhuc coram duobus vel tribus testibus eadem sponsa et suus sponsus mutuum in matrimonialem coniunctionem

consensum declarent, id ipsumque in librum matricularem inseratur; fieri hoc in obsequium legis patriae, ne nimirum queri possint Sponsi, ipsos ab ineundo vero et valido matrimonio impediri. — Doctrina haec, per summos apices hic delibata, quoties occasio fert, adeoque iteratis vicibus in omni caritate et patientia vitando quemvis amarum zelum proponi debet catholicae Sponsae, eoque institutio eius dirigi, ut de fide, de matrimonii sanctitate, disciplina item et legibus, quibus Ecclesia Catholica matrimonii Sacramentum munire et custodire voluit, obligationibus denique coniugi catholicae tum quoad alia, tum praecipue quoad prolium educationem incumbentibus solide riteque sit informata: quod quidem ut hac ineundi matrimonii occasione facilius et maiori cum fructu fieri valeat, meminisse oportet Sacros Curiones, institutiones tales etiam in Sermonibus Sacris populo Catholico frequenter et enucleatius proponendas esse. — De ipsa autem cautione sive sponsione quoad catholicam prolium omnium educationem non cum sponso acatholico, velut extra iurisdictionem Catholici Sacerdotis posito, sed sponsa catholica oportet agere, illamque statim dum matrimonium insinuatur, certiorem reddere, quod, nisi cum acatholico sponso suo ita convenerit, ut proles omnes in Catholica religione educentur, cum precibus et benedictione copulari non possit; simul autem motivis supra adductis eo permovenda erit, ut apud sponsum suum efficere satagat, quo is requisitam illam cautionem, si hanc libere sponteque edere non refugit, scripto comprehensam ad manus suas, sponsae nempe consignet, ab hac ad parochum, quin hunc intervenire sit necesse, perferendam. Eo praestito, et institutione interim irremisse continuata, copulatio more alias consueto peragenda erit; cautione autem tali non praestita, matrimonium iis tantum observatis, quae ad valorem et essentiam illius pertinent, idest, per modum assistentiae passivae iuxta normam in Encyclicis diei 2. Julii a. c. et adnexa illis Instructione praescriptam celebrabitur. Si tandem propter hanc, principiis fidei et legibus Ecclesiae Nostrae adcommodatam proceduram aliquem e Sacris Curionibus in quaestionem vocari, et nequidquam opitulan-

te conscientiae libertate, quam adversarii etiam revereri deberent, actione publica impeti contingeret, de hac cum submissione ipsius Actionis Officium Nostrum Vicariale e vestigio informet.

Quaeritur 2. An mulieri catholicae post matrimonium cum acatholico viro ita, prout sub Num. 1. quaeritur, initum benedictio postnuptialis, ubi illa in usu est, item introductio in Ecclesiam post puerperium administranda sit?

Ad 2. Introductio seu benedictio talium coniugum post nuptias tam parum adhibenda est, quam parum adhiberi potuit benedictio tempore celebrati matrimonii; haec enim utrobique approbationem auctoritate Ecclesiae factam indicat. Introductio autem puerperae cum prole, quae apud Catholicos baptisata est, et Ecclesiae Catholicae succrescit, eiusque membrum futura est, fieri omnino potest, et preces pro hoc actu praescriptae absolvi possunt; hic enim ritus ipsam matrimonii approbationem non importat, sed ad prolem eiusque matrem quae ambae Ecclesiae Catholicae membra sunt, Deo commendandam refertur. Interest praeterea, ut huiuscemodi catholicis matribus occasiones non desint, quibus ad illa, quae ipsis qua catholicis matribus incumbunt, explenda reflectantur. Idem nihilominus in casu, quo prolis apud Acatholicos baptisari debet, et ab Ecclesia Catholica abstrahitur, fieri nequit; quomodo enim is, qui ad Ecclesiam Catholicam non pertinet, in huius gremium religioso ritu introduci, et praesentari possit, non apparet. Ne tamen Catholicae Matres hoc in casu repulsam ferendo, confusioni alicui exponantur, indeque ab Ecclesia Catholica magis alienae reddantur, ipsas praevie de hoc disciplinae capite omni cum discretione admonere, eoque instruere oportet, ut pro introductione in simili casu ad Ecclesiam Catholicam venire nolint.

Quaeritur 3. Quis modus tenendus sit in promulgationibus mixtorum matrimoniorum?

Ad 3. Si matrimonia mixta sola promulganda sint, loco solitae formae promulgationibus alias praemitti solitae, dicatur: *házasságra lépnek* N. N. (matrimonium ineunt N. N.) Si vero matrimonia talia cum aliis pure Catholicis annun-

cianda sint, haec omnia praemittantur, ac illis mixta matr. subiungantur, cum interiectione: *ezeken kivül házasságra lépnek* (praeter hos matrimonium ineunt); stola vero etiam sub promulgatione mixtorum matrimoniorum retineri potest, cum absque populi offendiculo removeri semper vix possit.

Quaeritur 4. An in casu illo, dum Parochus passive tantum adsistit mixto matrimonio, stolaris praestatio locum habeat?

Ad 4. In proposito casu a praetendenda stolari obventione abstinendum est ea etiam ex causa, quod Parochus tunc testem potius authorisabilem sive pro excipiendo matrimoniali contrahentium consensu legaliter qualificatum agat.

Quaeritur 5. Quae foret praescribenda formula pro elargienda dimissione sponsae Catholicae ex propria Parochia ad aliam, vel a proprio Parocho ad alium Sacerdotem? quae item norma immatriculationis mixtorum idmodi matrimoniorum? quo denique tenore exarandi extractus matriculares de his matrimoniis?

Ad 5. In proposito casu *dimissoriae* his verbis concipiendae forent: „Sponsalia inter N. N. et N. N. tribus distinctis vicibus in Ecclesia Parochiali N. denunciata fuisse, nullumque, praeter vetitum Ecclesiae ob disparem religionem, impedimentum innotuisse, sicut in fidem subscriptus testor, ita ad excipiendum mutuum eorumdem Sponsorum in matrimonialem coniunctionem consensum Parocho N. N. vel Sacerdoti N. N. vices meas defero." — Forma autem *immatriculationis* aliis praescriptis rubricis plene conformis tenenda est, unice in rubricam „Copulans" inserenda erunt haec verba: „mutuum in matrimonium consensum declararunt coram Parocho N. N. vel Sacerdote N. N. in aedibus Parochiae N." Haec forma vix aliquid diverget a praescriptis rubricis, et tamen passivam adsistentiam sufficienter, simulque ita modeste indicabit, ut per id nemo offendi possit. — Juxta hic praemissam immatriculationis formam facile erit etiam *Extractus Matriculares* de initis huiusmodi matrimoniis expedire, cum hi ceteroquin tenori Matriculae ad amussim cohaerere debeant.

Quaeritur 6. Num declaratio sponsi et sponsae consensum in matrimonium de praesenti exprimens, verba item iuramenti suggeri vel praelegi per Parochum possint?

Ad 6. Si desponsi matrimonium ineuntes idiotae sint, et rudes, vel sponsae verecundia id exposcat, in suggerendis verbis mutuum consensum vel iuramenti formam exprimentibus adhaerendum non est: cum secus in multis casibus ipse matrimonii valor quaestionibus implicari, et Ecclesiae Catholicae magna invidia conflari posset. Ceteroquin in ipso passivae assistentiae casu Parochus non tam Sacerdotis ad obeundas S. functiones missi, quam testis qualificati vices sustinet.

Sunt etiam aliae quaestiones propositae, quae tamen ita a variis, et saepe minutis circumstantiis pendent, ut aegre possint sub certam regulam cogi, sed illarum solutio discreto usui, et prudentiae pastorali relinqui debeat.

376—379.

Acta, quae ad determinationes Comitatuum in obversum dispositionum Praesulearum perlatas se referunt.

a) 376.

Encyclica Primatis ad Parochos in sequelam determinationis Com. Pestiensis adversus Curatos matrimoniis mixtis passive adsistentes die 27. Augusti 1840. perlatae, dd. 9. Septembr. 1840. dimissa.

Admodum Reverendi etc. Non exiguo moerore adfecit me illa nupernis diebus lata I. Comitatus Pestiensis determinatio: qua Sacerdotes Catholici relate ad ministerium suum spirituale, preces quippe et benedictionem in connubiis iuxta leges Ecclesiae celebratis adhiberi consuetas, Secularium investigationi subiici, et, nisi in casibus etiam, dum illas Ecclesiae suae legibus et Religionis Catholicae principiis adhibere prohibentur, indiscriminatim adhibuerint, poenae 600. fl. subiiciendos ea ratione decrevit, ut iudicium illorum subire debeant, quos potiori parte inter ad-

versarios causae suae referendos esse persuasi sunt, et appellata, alias nec in casu notae infidelitatis interclusa, ad Regni Comitia tantum pateat.

Insolitus hic rigor eotum in Catholicos Sacerdotes exercetur, dum illi ad praevaricationem legis omni studio antevertendam id agunt, ut partes mixto matrimonio se illigare volentes, etiam dum ultro ac sponte ad catholicam utriusque sexus prolium educationem in tuto collocandam accedere nolunt, ab ineundo nihilominus vero ac valido matrimonio non impediantur, sed rituum sacrorum tantum et benedictionis sint expertes, idque eo etiam fundamento, quod administratio horum Ecclesiae ipsius adprobationem, sanctionem et confirmationem importet: quae utique relate ad matrimonia contra leges, scopum, intentionemque Ecclesiae inita sicut a nemine aequi iustique amante praetendi, ita nec impendi possunt. Rigor itaque determinationis Comitatensis Sacros Curiones Nostros eotum ferit, dum quidquid ab ipsis Civilis Potestas, et hac subnixi concives Protestantes iuste postulare possunt, praestare non recusant, in neminem proinde iniuriosi sunt.

Ceterum basim, cui determinatio haec innititur, solidam non esse, propatulum est. Enimvero etiamsi de illo Articuli 26. 179$^{0}/_{1}$. intellectu, utrum nempe ritus sacri et benedictionis administrationem in matrimoniis mixtis praecipiat, numquam orta esset disceptatio, illum tamen ad praetensum hunc sensum pertrahere, et interpretationi huic grandem illam poenalem sanctionem adiicere, activitatem cuiuscunque Jurisdictionis evidenter excederet; ipsaque articuli 12. 179$^{0}/_{1}$. de interpretandis legibus facta dispositio hoc pacto manifeste convelleretur; multo itaque magis id affirmari potest, postquam haec ipsa quaestio in proxime celebratis Regni Comitiis ex proposito agitata, et per unam integrantem Legislationis partem, Tabulam quippe Procerum eo sensu accepta fuit, quod Legislatio Civilis a. 179$^{0}/_{1}$. velut ad ea, quae suae sunt sphaerae, ex indole attributionum suarum restricta, nequaquam ad spiritualia imperanda exporrigi potuerit, nec proin sub impedimentis, quae mixtis matrimoniis obiici vetuit, sacros etiam ritus et benedi-

ctionem comprehenderit; alioquin cui non est notum, benedictionem precibus sacris, id est, elevatione mentis ad Deum, et fiducia in Ipso locata absolvi? quas imperare vel cogere nemini mortalium est datum.

Quod articulum 14. 1647. huc in omni sua extensione applicari intentum attinet: is nec nativitatis suae tempore ad matrimonia mixta, velut eo tempore Protestantibus etiam invisa, ac suis ipsorum Canonibus prohibita, et in Tractatibus Diaetalibus nec recurrentia, pertinuit; Articulus autem 26. 179⁰/₁. ex proposito tantum ad violentas templorum, parochiarum, scholarum etc. occupationes restrictus fuit; cum enim b. Resolutio Regia de 7. Nov. 1790. in negotio Religionis edita clarius patuisset, subseque erga intercessionem Catholicorum his late patentibus verbis: „non secus et illos, qui articulum hunc vel in toto vel in parte transgressi fuerint, aut violaverint" consulto exmissis, altera b. Resolutio R. eodem in obiecto de 18. Januar. 1791. restricte tantum ad violentas occupationes emanavit, sicque legem etiam ingressa fuit, uti huius §. 12. cum praecitata b. dici 7. Nov. 1790. Resolutione combinanti liquidum est; ut proin, si poenalis illa sanctio ad casus mixtorum matrimoniorum extendatur, legi manifeste vim inferri, sit necesse.

Perspicient itaque, ut sperare licet, ipsi Inclyti Status et OO. Comitatus Pestiensis, id agi nequaquam posse, ut dum Protestantes pro gravi iniuria coactioneque ad actus Religioni suae contrarios acciperent, si Processionibus Catholicorum vel interesse iuberentur: Sacerdotes Catholici in obversum Ecclesiae suae legum, Religionisque principiorum certis in casibus orare plane, et ritus sacros administrare compellantur. Pespiciant, supponi de Legislatoribus anni 179⁰/₁. non posse, ut dum Catholici Sacerdotes refragante conscientia praestare haec non possunt, nihilominus ad linguam pro precibus fundendis solvendam et manus pro benedictione impertienda attollendas mulcta 600. fl. adigi voluerint. Perspicient, exulare omnem conscientiae libertatem, pleneque subverti Ecclesiae Catholicae in iis, quae Religionis sphaeram contingunt, essentialem independentiam, si cui, quod religionis suae principiis vetatur, inter-

mittere crimen sit, si item Sacerdotes ratione spiritualium rerum, quibus, quave sub conditione administrandarum non a Religionis suae Superioribus, sed potius ab huius adversariis dependere cogantur. Perspicient, Catholicos in Hungaria aliud hoc in genere sequi et agere non posse, quam quod Catholicos in America, in Oriente, Gallia, Polonia, Germania, ipsisque haereditariis C. R. ditionibus sequi et profiteri palam est. Perspicient denique, imbellem esse omnem illam societatem, suaeque dissolutionis germen in se continere, quae potestate destituitur temporaneas a fine principiisque suis deviationes reparandi, hanc proinde potestatem nec Ecclesiae Catholicae controverti posse, illiusque virtute Nos agere, dum disciplinam ad amussim principiorum Sacrosanctae Religionis nostrae eo maiori iure exigimus, quo certius est, nemini realem veramque iniuriam per id inferri, et rationes illas, quae ad intercurrentes ab aliquo tempore deviationes excusandas aliquid momenti habebant, non amplius obtinere; paucitati enim mixtorum matrimoniorum ingens illorum frequentia, Reversalium de Catholica prolium educatione crebro satis editarum vigori continuus ad illas plene abolendas nisus, assiduis Parentum de catholica liberorum educatione curis frigidus multorum indifferentismus successit.

Quodsi tamen his non attentis, Sacros Curiones, quantumvis in neminem iniurios, in poenam actione mediante postulari contigerit: absit, ut poenae metus Dominationes Vestras a regulis principiisque Religionis Catholicae divellat, imo his firma constantia inhaerendo comprobare oportet, haec Eisdem prae quibuslibet lucris aut damnis potiora esse; libellum nihilominus actionalem, utprimum alicui DD. Vestr. talem exhiberi contigerit, ad Officium Vicariale transponat, inde ulteriores inviationes accepturus; et ne ob stolarem solutionem ulla difficultas emergat, hanc in casibus passivae assistentiae neminem DD. VV. exigere, sed omnes sic celebratorum matrimoniorum casus evoluto quovis trimestri cum decedentis stolaris obventionis specifica deductione per D. VADiaconum huc remonstrari volumus, ut usquedum adjuncta rerum aliud non suaserint, interim

concernentes Sacri Curiones pro stolaribus decedentiis abhinc indemnes reddantur, non secus Reversales etiam, si quae ultro ac benevole de catholica prolium educatione oblatae fuerint, ad Officium Vicariale transponendae erunt.

b) 377.

Literae Primatis ad Com. Pestiensem, quibus contra determinationem eiusdem Comitatus adversus Sacros Curiones mixtis matrimoniis passive assistentes perlatam, solenniter protestatur, dd. 12. Novemb. 1840.

Inclyte Comitatus! Literas I. Comitatus de 27. Aug. anni c. ad me datas reverenter accepi, cum adnexa illa determinatione, quae Articulo 14. 1647. superstructa Catholicos animarum curatores, nisi matrimonia mixta absque discrimine benedicant, ritusque sacros Ecclesiae perficiant, poenae 600 fl. toties quoties subiici disponit, cupit una I. Comitatus, ut per me Pastores animarum iuxta tenorem huius determinationis invientur.

Non possum diffiteri, determinationem hanc I. Comitatus infandi doloris causam exstitisse; cerno, qua ratione pastores animarum, instar pupillae oculi spectati ac aestimati muneris socii, ob adhaesionem erga regulas principiaque Ecclesiae Catholicae pro praevaricatoribus legum habentur, toties quoties poenae 600 fl. subiiciuntur, quodve iis magis adhuc dedecori est, creditur de iis, tali poena illos e semita sancti officii abduci posse. Cerno, res Catholicorum ecclesiasticas ac spirituales, prout et his intentos ministros e sphaera sacri muneris ad iudices seculares trahi, et ordinariae quoque appellationi, quae nec in crimine laesae Maiestatis denegatur, via praeclusa, iis executionem indilatam intentari.

Obiectum huius contra pastores animarum suscitatae tempestatis non illud est, ut quod e placitis civilis legislationis exigere licet, et reipsa exigitur, videlicet ut coram illis tunc quoque, dum catholica prolium educatio in tuto haud locatur, matrimonia mixta robur habentia ineantur, per illos haud impediatur; hoc enim ceteroquin non impe-

diunt: sed circa id versatur, ut illa quoque matrimonia, in quibus pars catholica proles alteri religioni addicens, fidem abnegat, prolium salutem periculo exponit, Ecclesiae legem, intentionem spernit, sicque ad Sacramenti susceptionem se indispositam manifeste ostendit, Sacerdos Catholicus benedicere, ritus sacros administrare, sicque illa nomine ac auctoritate Ecclesiae, quidquid e concsientiae dictamine teneat, ratihabere ac confirmare cogatur. Ast benedictio matrimonii ad Deum directa et e firma erga eum fiducia persoluta precatione, huicque adnexis ritibus constans, proinde res prorsus spiritualis, ac mediis salutis accensenda, absque dubio ad sphoeram eorum spectat, de quibus Tripartiti P. I. Art. 2. ait: „quorum medio salutem humanam Dominus et Salvator noster administrari voluit," seu ad Sacerdotes consecratos; ad eos spectat, de quibus S. Stephanus Decr. 2. Art. 2. scripsit: „Ut Episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas providere, regere, et gubernare atque dispensare secundum Canonum auctoritatem."

Jam vero Episcopi cum Capite Ecclesiae visibili ac Centro Unitatis semet iungendo, non modo in Gallia, Germania, Polonia, Belgio, Hollandia, verum etiam in America ac partibus Orientalibus orbetenus tum in doctrina tum in praxi tenent: in casu adlato sacerdotem consecratum, nisi sibimetipsi ac Ecclesiae contradicere velit, benedictionem administrare non posse. Velle igitur, ut Ecclesiae Catholicae Hungaricae Episcopi, ac animarum pastores in suis functionibus aliam regulam, aliaque principia sequantur, tantumdem foret, ac illos ad id impellere, ut sacrum officium non doctrinae ac Ecclesiae Catholicae conformiter sed opposite ac in hoc puncto ab unitate Catholica semet seiungendo, perficiant. Iis Catholici, donec Ecclesiae, ut convenit, sancta fuerit coram iis auctoritas, accedere non poterunt; Protestantes autem, si libertatem conscientiae in concivibus suis catholicis venerantur, id postulare non possunt. Non possunt autem vel ideo, nam quoad nos in matrimoniis mixtis lex civilis sicuti praecipere non potuit, ita nec praecepit benedictionis et rituum sacrorum administrationem. Res quippe pure spiritualis ad sphaeram legislationis civi-

lis non spectat: quamobrem licet dum a. 1791. articulus 26. conderetur, *contractus* matrimonialis, ac *benedictionis* in Ecclesia impertiendae ratio, uti e gloriosae memoriae Josephi 2. literis patentibus, tum aliis datis sufficienter elucet, probe cognita et ab invicem separata fuerit: legis tamen dispositio eo tantum redit, ut mixta matrimonia semper coram parocho catholico ineantur, de benedictione autem aut sacris ritibus ne verbo quidem loquitur; frustra quoque allegatur legis huius §. ille, qui impedimentum nullo sub praetextu poni disponit; nam benedictionem ac sacros ritus in his haud contineri, inde etiam manifestum fit, quod sphoera potestatis civilis, dum impedimentorum sublationem intendit, tam parum ad res spirituales fuerit extensa, quam parum ad easdem res spirituales extendi potuit tunc, dum contractus civilis modum claris verbis et directe defixit. Porro tam latum sensum Articulo huic impedimenta praecaventi tribuendo, una in obsonam contradictionem secum ipso eundem perferri necesse foret: hac enim ratione eodem tempore, dum Protestantes in iis, quae religionem attinent, unice a propriis superioribus dependere voluit, Catholicos in iis, quae religionis sunt, uti benedictio ac ritus sacri, legislationi civili, proinde etiam protestantibus subiecisset; et rursus dum ratione Evangelicorum disposuit, ne ad ullos actus religioni suae contrarios, nec ad processiones cogantur, relate ad Catholicos animarum curatores sub praetextu impedimentorum sufferendorum constituisset, ut in obversum principiorum religionis, legum ecclesiae ac conscientiae ad benedictionem matrimonio impertiendam linguam solvere, mentem ad Deum elevare, erga Deum firmam fiduciam concipere, manus ad ritus sacros perficiendos extendere, sub poena 600 fl. semper et in omnibus casibus cogi possint. Nec hic consectariis contradictoriis finis est; sed, nisi legislatio civilis impedimentorum positioni terminum praefigat, Catholicorum animarum pastorum adhortationes ad doctrinas ipsas, quas personae mixtum matrimonium anhelanti dare tenentur, poena 600 fl. mulctare necesse erit. Si enim catholicae personae persuadetur, absque verae fidei, sine qua Deo placere est impossibile, atque aeternae salutis periculo matrimo-

nium tale iniri nequire; indifferentissimum autem, qui dum plures religiones ex aequo pro salutaribus habet, in corde tamen nullius veritatem ac vim divinam recognoscit, veram fidem ad salutem requisitam nuspiam supplere posse; cum denique, qui Ecclesiam in legibus ac praeceptis contemnit, ac non audit, nec bonorum eius participem reddi posse, in eumque sanctionem ab ipso Catholicae Ecclesiae Auctore dictatam cadere: si, inquam, haec pluraque matrimonii mixti ingrata ac infausta consectaria pro rei momento personae catholicae inculcentur: instructio huiusmodi ac admonitio multo efficacius, quam benedictionis ac rituum sacrorum subtractio, ad matrimonium tale rescindendum, in eandem personam catholicam aget; et tamen nullus asseret, adhortationem aut admonitionem hanc dare vetitum esse; qui enim id affirmare auderet, is una catholicae Religionis liberum exercitium subverteret; nam ad liberum exercitium doctrinae libera propositio praecipue ac indispensabiliter requiritur, prout id relate ad Catholicam Religionem leges nostrae non modo admittunt sed et praecipiunt. Ceterum instructiones huiusmodi ingratis matrimoniorum mixtorum consectariis superstructas nec apud Protestantes prorsus insolitas esse, ne ipsi Protestantes diffitebuntur.

Ex his iam, similibusque gravibus rationum momentis Tabula Excelsorum Procerum in postremis Regni Comitiis post acres hoc in obiecto disceptationes, diserte edixit, ac penes id constanter perstitit: benedictionem tum generatim, tum in contractibus matrimonialibus neque articuli 26. 1791. neque cuiuscunque legislationis civilis objectum esse posse, hincque in casu allato nullam cerni legis praevaricationem.

Non minus frustra contra nos allegatur praxis semisecularis: licet enim non diffiteamur, apud nos Catholicos sub regimine gloriosae memoriae Josephi 2. Imp. dum legum ecclesiasticarum vigor supra modum restrictus est, matrimoniorum mixtorum coniunctiones cum benedictione ac sacris ritibus, absque promissa etiam catholica prolium educatione, suscipi coepisse; post annum 1790. vero praxim hanc sub spe, iam per reversales voluntarie ac sponte extradatas, iam per liberum parentum consensum, vulneri-

bus per mixta matrimonia, rara adhuc, principiis Catholicis illatis, medelam procuratum iri, continuatam fuisse: praxis tamen haec et consuetudo, utut excusatione non careat, approbari haud potest, cumque e legum tenore haud proveniat, nec in ea fundamentum habeat, explicandae quoque legi haud inservit. Posteaquam autem reversales per fratres nostros protestantes omni vigore exuuntur: ex parte Catholicorum necessarium evasit, consuetudinem hanc defectui obnoxiam ad principia suae fidei inalterabilia eo cum effectu reducere, ut praxis in administratione Sacramenti matrimonii recepta iis non contrarietur, sed consentiat. In hunc sane finem deservit Ecclesiae Catholicae spiritualis potestas, ut si quae deviationes ab eius scopo quandoque, aut in quibusdam regionibus contigerunt, ad eundem rursum reverti, integrum sit. Haec e natura religionis catholicae ac iuribus liberi exercitii profluunt: haec proin impediri nequeunt, nisi Ecclesia Catholica ipsis existentiae suae praecipuis praesidiis privari in obversum disertarum Patriae legum intendatur.

Quod articulum 14. 1647. huiusve ad denegationem benedictionis ac ss. rituum adplicationem attinet: dubio vacat, id non modo fieri non posse, sed per art. 26. 179⁰/₁. ex toto excludi, dummodo Rescriptum Regium de 7. Nov. 1790. in obiecto Religionis emanatum cum altero de 18. Januar. 1791. ac hinc redacto tenore legis conferatur; patet siquidem verba illa, quae art. 14. 1647. poenalem sanctionem ad praevaricationes legum religionariarum extendunt, data opera fuisse exmissa, et ob clariorem sensum vocem *„violentarum"* insertam, taliterque poenam unice ad violentas occupationes restrictam esse. Hincque evenit, ut licet Catholici regnicolaris determinationis praecipue in eo puncto, ubi a Catholicis patribus natas proles utriusque sexus in religione catholica educari praecipit, frequentes praevaricationes viderent, neque tamen fratres evangelicos poena 600 fl. mulctandos censerent. Observationibus his essentialibus addi debet et id, mixta connubia neque in Diaeta a. 1647. neque antea in gravaminibus diaetalibus aut consultationibus recurrere, legislationisque civilis objectum eo minus potuisse constituere, quo certius est, illa universim per protestantes quoque pro

vetitis habita, et per exceptionem duntaxat sub iis conditionibus, quales hodiedum apud Catholicos vigent, permissa fuisse.

Ne demum illa quoque querela intacta maneat, in qua I. Comitatus in sua determinatione principiis catholicis accomodatam agendi rationem ceu obscuras tenebras inducentem ac progressui adversam enunciat, sufficiat adduxisse: benedictionem in mixtis matrimoniis a Catholicis in omnibus aliis regnis et provinciis absque promissa educatione prolium catholica, denegari. Ita se res habet, ut alia regna praeteream, in Gallia, Belgio, Bavaria — prouti documentis certa fide dignis doceri potest. Nec commemoro Americae Borealis Episcopos, qui in Concilio Baltimorensi hanc mentem coram orbe universo operuerunt. Si igitur in regnis illis, quae generatim pro libertatis, progressus, culturae, ac liberalium artium sedibus habentur, adhaesio erga catholica principia neque pacem turbat, neque progressui remoram ponit, nec tenebras inducit: tuto I. Comitatus confidere potest, ab huiusmodi consectariis Patriam etiam nostram, nisi nocivae manus zizania superseminaverint, liberam mansuram.

Perspiciet ex his I. Comitatus, quantopere adversetur determinatio eiusdem legali Ecclesiae Catholicae in Hungaria consistentiae, quidve officii ratio postulet, ut in praesenti rerum situ regimini meo subditis animarum curatoribus tradere oporteat. Decimus nonus labitur annus, ex quo miseratione divina, ac potestatis superioris voluntate Episcopale munus sustineo, in talibus semper Dioecesibus, quae fratres evangelicae confessioni addictos plurimos numerant. Si cui ex illis apathia, aut intolerantia oneri fui, aut iustae querelae ansam praebui, sistat se, et respondebo ei. Ast vicissim numquam id acturus sum, ut in custodia Fidei Catholicae in vindiciis Ecclesiae, eiusque legum ac normarum, dum praecipue officii ratione compellor, segnis aut infidelis inveniar: quinimo propriam reddo S. Hieronymi ad quemdam adversarium scriptam sententiam: „in uno tibi consentire non possum, ut me catholicum non probem. Si ista causa discordiae est, mori possum, tacere non possum." His igitur conformem inviationem animarum quoque pasteribus dedi,

ut exemplar sint reliquorum in fideli legum civilium observatione, ut dilectione animentur cunctae ipsorum actiones, et signanter instructiones quoque in mixtis matrimoniis; ut conentur iuxta monitum Apostoli ad omnes quidem, sed praecipue ad concives alienae fidei addictos pacem habere. Ast e ratione officii inviare eosdem simul teneor super eo, ut unam salvificam fidem, cuius ministri sunt, sancte custodiant, ut catholicae Ecclesiae unitatem conservent, ut ab ea nec alias unquam, nec in exercitio officii recedant. Cumque his nos Catholici nullius gravamen, sed in propria sphaera perseverando unice principiorum ac salutarium legum liberum exercitium e vero ac legali iure optemus: confido, I. Comitatum his votis nec adducta determinatione, nec aliis modis impedimenta positurum.

Ceterum Incluti Comitatus quoad personas ecclesiasticas et quidem in sphaera sui officii, prout et res ecclesiasticas ac spirituales attributam sibi iurisdictionem sicuti legalem agnoscere non possum: ita contra eandem, tamquam Ecclesiasticae potestatis apertam violationem hisce solenniter protestor, eique contradico. In reliquo etc. Strigonii, 12. Nov. 1840. Josephus Kopácsy, AEppus Strig. et R. Primas.

c) 378.

Repraesentatio Com. Strigoniensis ad Reg. Maiestatem pro defensione Encyclicarum Literarum ab Episcopis Regni adversus matr. mixta editarum, dd. 14. Dec. 1840.

Sacratissima etc. Postremis decennii praeterlapsi annis, quaestio memorabilis attentionem Europae provocavit, quae haud parvam Patriae nostrae, proinde Comitatus quoque nostri sollicitudinem merito excitat: et haec est quaestio de mixtis matr. Qui naturam humanam sollicite indagando, una folia in Annalibus Patriae sangvine madentia evolverit: vel invitus agnoscet, vix esse objectum magis delicatum, vix motum magis periculosum, ac sit religionis obiectum et motus religionarius.

Nolumus in memoriam Majestatis Vrae revocare proelia illa cruenta, quae aut e fanatismo, aut sub praetextu religionis, ad ignobiles fines assequendos, instituta, diuque saepe producta, progressui rectae libertatis, mutuae caritatis, et humanitatis a bonis quibusque exoptatae impedimento fuere; nolumus autem haec refricare propterea, quod Maj. Vrae sapientia ac firma voluntas, Nationis item intelligentia, et Europae illuminatio vadimonio sint, eventus hos cruentos nequaquam fore iterandos. Est tamen genus pugnae, quae quidem seculi postremi pugna dici posset, quod calamo instruitur, et verborum sonis; et licet confidamus ac optemus, ut his mediis tandem verae humanitatis triumphus, prout et thronorum ac nationum firma gignatur consistentia: attamen media haec et arma quoad objecta religionis saepe superflua, potissimum autem periculosa credimus, non ideo ac si Religionis Christianae placita disceptationes ac dissertationes reformidarent, nam eius doctrinae Verbi Divini, rationis ac sublimioris sensus immobilibus nituntur principiis; sed ideo, quia ex eventibus probata experientia certos nos reddit, fontes illos sanguineos sub praetextu religionis fluentes non minus quam pugnas calamo ac voce instructas ad noxium finem directas fuisse. Inprimis vero respectu Patriae nostrae pugnam hanc reformidamus: siquidem cuiuslibet veri patriae civis votum esse debeat, unice legali ac pacifica via progressionem in cultura omnigena procurare, sicque internam Patriae tranquillitatem, mutuam harmoniam civium, ceu totidem boni publici fundamenta, ferventer exoptare; ac proinde apud nos, ubi ceteroquin tot elementa sibi invicem contraria concurrunt, merito praetimeri debeat, ne per id virium coadunatio, unio porro, huiusve consectarium, progressus nationalis impediatur. Optassemus itaque in praesenti quoque quasvis religionarias amoliri disceptationes, ni literae quorumdam Comitatuum de mixtis matr. in Congregatione nostra Generali lectae officium proloquendi nobis imposuissent.

Attamen dum vocem attollimus, procul absumus, ut praeviae determinemus, qua ratione objectum isthoc decidatur, ut receptis in Patria Confessionibus satisfiat; id absque

legislationis communis mutua cooperatione fieri vix poterit; quamobrem proiecta nostra hanc quaestionem attinentia ad tempus illud differimus, dum de instructionibus Ablegatis nostris dandis sermo recurret; nunc sensa nostra unice de Literarum Encyclicarum Praelatorum legalitate aut illegalitate, et Comitatuum literis ac determinationibus depromemus.

Dum de mixtis matrimoniis est sermo, impossibile est, limites, qui civilem ac ecclesiasticam Potestatem dividunt, praeterire. Potestas civilis reverentiam erga leges civiles, constitutionum ad consistentiam et prosperitatem directarum accuratam observantiam, et contra has intentarum actionum devitationem merito postulat; religio vero societatis civilis firmitati ac prosperitati haud adversa, prout et conscientiae libertas singulorum aeque ac totius nationis sanctissima proprietas est: quamobrem ut fidei placita docere possit, cultum divinum ordinare, ac spiritualia bona nonnisi fidelibus suis distribuere, haec omnia Potestati Ecclesiasticae manifeste propria sunt. Jura haec leges nostrae patriae etiam quoad Confessiones toleratas salva esse volunt, Europae nationes autem ea vel possident, vel certe vi libertatis conscientiae ac religionis merito vindicant.

Praecipuae itaque quaestiones hoc loco sunt: an Encyclicae Praelatorum in merito mixtorum matrimoniorum editae legibus patriis adversentur, et cum scopo societatis civilis collidant? Adstruitur: eam legis a. 179^0/$_1$. art. 26. §. 15. dispositionem „ne matrimoniis mixtis impedimenta ponantur" per literas Episcoporum encyclicas laesam esse; ac una e citatae legis verbis: „mixta matrimonia semper coram parocho catholico ineunda" id exigitur, ut mixta matrimonia cum iisdem ritibus ac ceremoniis celebrentur, quales inde a condita lege ad praesens usque fuere adhibitae. Universim duplicis ordinis impedimentum hic cogitari potest, externum et internum seu morale; benedictionis denegationem non esse externam coactionem, vix probandum est; sed nec pro interna sive morali haberi potest: talis enim si foret, vel relate ad sponsum, vel sponsam, aut horum parentes ac tutores esse deberet. Sponsus iam vero, evangelicae confessioni addictus, e conceptu suae confessionis

Parochi Catholici non benedictionem sed nonnisi praesentiam et hanc quoque in tantum unice postulare potest, ut matrimonium suum cunctis effectibus civilibus gaudeat, ac praesertim respectu sponsae suae et prolium etiam per Ecclesiam pro valido agnoscatur; cum autem matrimonia penes simplicem Parochorum praesentiam, non impertita benedictione inita, praeallatis qualitatibus omnino gaudeant, apparet, denegationem benedictionis nullum constituere relato ad Sponsum impedimentum. Sed nec relate ad Sponsam catholicam huiusve parentes vel tutores tale constituit: et id quidem tam parum, quam parum impedimentum est respectu sponsae, quod ipsa seu ob amoris illecebras, sivi ex aliis causis in id consentire parata sit, ut amoris coniugalis pignora, proles vel omnes, vel saltem aliqua ex iis, in alia religione educentur, quam ea sit, quae sponsae vera, imo unice vera esse deberet. Persuasum itaque nobis est, denegationem benedictionis in matrimoniis mixtis absque data super catholica educatione prolium sponsione initis in Literis Encyclicis praeceptam §. 15. art. 26. 179%. impedimenta poni vetantis, haud adversari; quod vero ei legis istius dispositioni, ut coram Parocho Catholico matrimonia talia ineantur, perinde literae encyclicae non adversentur, ex ipso earumdem tenore manifestum fit.

Infundate asseritur id quoque: in mixtis matrimoniis easdem ceremonias ac ritus sacros retinendos fuisse in Ecclesia Hungarica, queis inde a lege a. 179%. hactenus usa fuit. Nam si praeteriremus etiam, Ecclesiam Romano-Catholicam ceremonias religiosas in Sacramenti Matrimonii celebratione pro ratione adiunctorum et temporis mutavisse, quin ulla ex parte Potestatis Civilis ingessio intervenerit: potestatem Ecclesiae Catholicae quoad ordinandas sacras ceremonias patriae quoque leges, signanter art. 18. 1543. — art. 16. 1550. non solum recognoscunt, sed et ab omni civilis auctoritatis influxu eandem potestatem quemadmodum leges plurimae, ita perpetua praxis in tuto locarunt. Porro certum est, legem anni 179%. dum Confessioni evangelicae addictos in iis, quae religionis sunt, unice a religionis suae ministris, cum exclusione civilis iurisdictionis dependentes

reddit: Ecclesiae Catholicae hoc in genere independentiam, nusquam addubitatam, e sanctis quoque reciprocitatis legibus, abolere nec voluisse, nec abolevisse. Accedit, in objectis conscientiae, convictionis ac religionis praescribi nequire, quamobrem si in singularibus provinciis deviationes quoad ritus factae sunt, has e ratione unitatis Ecclesiae ad certas regulas revocare non modo non prohibitum, sed potius praeceptum censeri debet.

Obiicitur porro aliquid, etiamsi forte non intentione Ecclesiam humiliandi ac invidiae odiique semen jaciendi, sed tamen ex erroneo conceptu ad haec producenda apprime comparatum, multorumque complacentiam et persuasionem adeptum: scilicet: non concordare cum doctrina et mansuetudine Ecclesiae Catholicae, denegare benedictionem, et bonam precationem. Quantum ad hanc obiectionem: nos quoque credimus, in conformitate mandati Servatoris nostri inimicos etiam sincere diligendos, iisque bene precandum esse; ast si benedictionis sacerdotalis, quae in mixtis matrimoniis negatur, genuinum conceptum ex eiusdem scopo disquiramus, agnoscamus, oportet, negationem hanc benedictionis non aliud posse significare, quam, quod Ecclesia eam Sponsae Catholicae agendi rationem, vi cuius proles suas in alia quam catholica religione educare intendit, non approbet; huc referri reipsa illam benedictionis denegationem inde quoque apparet, quod in casibus, ubi sponsus catholicus est, aut educatio catholica per reversales in tuto posita, benedictio non negetur; ex ipsa demum natura benedictionis, et praesentia parochi catholici in mixtis matr. per legem praecepta clarum est, denegationem benedictionis rem esse mere ecclesiasticam, nullatenus civilem. Quamobrem certa fide asseverare audemus, e conceptu liberi Religionis exercitii in Patria nostra stabiliti, ne tunc quidem, si Corpori Legislativo e respectu mutuae inter conceives diversam religionem profitentes concordiae ac tranquilliitatis, in praesenti circa celebrationem mixtorum matr. disciplina quampiam mutationem suscipere necessarium videretur, Sacerdotem Catholicum cogi posse, ut in obversum conscientiae, ac doctrinae Ecclesiae actum talem nomine et ritu Ecclesiae adprobet,

quem ipsa numquam non reprobavit, nimirum, ut sponsam catholicam, proles in religione noncatholica educare intendentem ritu alias usitato benedicat. E quibus omnibus iam patet, benedictionis denegationem sensu, quo oportet, acceptam non tantum nullum odii characterem referre, sed eam potius a quolibet in aliis etiam quaestionibus, nisi indifferentismi aut simulationis argui malit, aequi bonique consulendam esse.

Superest adhuc illius quaestionis resolutio: an non literae encyclicae Episcoporum cum scopo civilis Societatis collidant? Potestas civilis relate ad matrimonia merito postulare potest, ne his ex obtutu rectae prolium educationis, vitae socialis, nexus arctioris, et generatim moralitatis promovendae impedimenta ponantur: cum vero superius adducta extra omne dubium ponant, per literas encyclicas nullum matrimoniis poni impedimentum, ultro convincimur, eas nec scopo civilis societatis adversari.

Cum igitur his non adversentur, nec ullam odii speciem, per nos quoque damnatam, referant, imo libertas Ecclesiae relate ad ceremonias religiosas ex ipso Ecclesiasticae Potestatis conceptu sequatur: connaturale est, gravamen ac laesionem iuris per nonnullos Comitatus memorata, sed nullibi probata, evanescere, et sic legum quoque, signanter art. 14. 1647. adplicationem ad praesentem casum, eique superstructam sanctionem poenalem non esse suo loco. Indulgebit interim Majestas Vra, ut circa hanc quoque legem sensa nostra uberius depromamus.

Poena 600 fl. in Art. 14. 1647. expressa Sacerdotes benedictionem denegantes, etiamsi hoc facto leges religionarias violassent, mulctari haud posse, ex ipso argumento illius legis, quod quippe templorum, scholarum, aedium parochialium violentas occupationes, et eo tempore exstantium legum religionariarum violatores respicit, manifestum est; sed quidcunque secus etiam lex illa disposuisset, cum posterior lex, art. 26. 179⁰/₁. utut varios excessus memoratam poenam §. 12. unice ad violentas templorum etc. occupationes restringat, clarum est, tenorem legis ultra sphae-

ram legislationis extendere cautum esse. In reliquo vero, lex anni 179%. 26. §. 3. censores librorum evangelicos, qui in libris religionem attinentibus calumnias contra Religionem Catholicam imprimi sinunt, nonnisi oneri responsionis subiicit, licet quilibet merito statuere posset, ab huiusmodi censoribus quoque legem religionariam violatam esse; si igitur ad hos, eo non obstante, sine violenta explicatione poenalis sanctio legis citatae, art. 14. 1647. adplicari nequit: reciprocitas mutua merito confidere nos jubet, adplicationem huiusmodi nec in adlato superius denegatae benedictionis casu, instituendam fore.

Quis vero finis huiusmodi sanctionis poenalis esse potest: aut is, ut literae encyclicae revocentur, aut is, ut in casu non revocationis, reipsa poena desumatur. In priore casu, si Praesules doctrinam Ecclesiae contemnendo, contra propriae conscientiae dictamen tale factum committerent: tum merito cuiusvis iurisdictionis et confessionis cuiusque asseclarum contemtum in se provocarent: atque tum, si sanctio illa poenalis, seu privatio ab officio reipsa effectui daretur, haec eousque continuari deberet, donec reperirentur Antistites, qui Ecclesiae Canones ambitioni muneris postponendo, schismate ab Ecclesia divulsi peculiarem Ecclesiam Hungaricam efformarent.

Naturae humanae inditus est renisus adversus omne iniustae potestatis exercitium, et quidem nullibi magis formidabilis, quam iis, quae sanctissimae religionis res attinent. Ne igitur per determinationes huiusmodi optata unio cum ingenti Patriae detrimento turbetur, utve patriotico spiritu animati pro bono Patriae promovendo e sancto munere nostro unitis viribus contendamus, homagiali cum cultu Majestatem Vram exoramus, ut congrua circa Ecclesiae Catholicae in rebus religionis et rituum sacrorum per quosdam Comitatus in dubium vocatam, sed per leges et continuam praxim in tuto positam, independentiam vindicandam legali auctoritate disponere dignetur.

d) 379.

Repraesentatio Com. Szaladiensis ad Regiam Maiestatem in merito mixtorum matrimoniorum, dd. 12. Januar. 1841.

Sacratissima etc. Instar benedictionis dedit Deus hominibus religionem, et sanctissimam quoque hanc benedictionem passio et fanatismus tam frequenter in maledictionis fontem converterunt. Longa annorum serie gemuit, sustinuit ac saucia exstitit patria quoque nostra ob discordiarum religionis terribiles vicissitudines, totque millia hominum, quae patriae e iugo servitutis eximendae et libertati restituendae fuissent impendenda; tanta porro vis ac potentia, quae nationem et inclytam et prosperam reddere potuissent, in bellis religionariis in vanum pessumdata sunt. Equidem patriae cives in his dissensionibus sensim defessi fuere, malaque sopiendo aut leniendo frequentius legislatio intercessit. Ast spiritus discordiarum rursus exurrexit, novisque viribus, ac increscente moerore pugna opinionum diversarum, saepius persecutioni quoque iuncta in vitam revocata est.

Cruenta temporis acti vulnera mederi, ac tranquillitatis, consensionis benedictionem pro futuro in tuto locare optaverunt ac speraverunt Ordines Regni, dum a. 179⁰/₁. articulum 26. condiderunt. At gravibus sollicitudinibus necdum finis impositus: nam legis huius dispositio frequentius insuperhabita, sensusque eius pro lubitu, ac sinistre expositus, argumentum denique illius manifeste violatum fuit. Augebantur in dies gravamina, ac in Comitiis a. 183²/₆. Natio per suos deputatos de violatione legis querendo, ac medelam adurgendo, vocem etulit. Tum quidem haec gravamina in conspectum Regiae Maiestatis Vestrae pertingere non potuerunt, nam divergentes utriusque Tabulae opiniones unire impossibile fuit; sed in proximis Comitiis hoc quoque factum est, et querelae nationis Majestati Vrae SSmae substratae. Firmiter persuasi fuimus, reversurum rursus pacis angelum in patriam nostram, sub cuius aegide civis civi fraterne iunctus mutuis viribus ad bonum patriae

cooperentur, ac defectus seculorum restaurent. Credidimus, multas adusque reconditas materiales moralesque vires per mutuum interesse excitatas, mutuumque animum evolutas potens Nationis robur evasurum: quo inter temporum varias vicissitudines prospera ac florens reddatur patria, et eius Princeps magnus ac potens. Pace, ac tranquillitate tantum opus erat, ut spes conceptae effectu coronentur, neve ulla sollicitudo eas conturbet, ullum periculum ad sanctum scopum unitas vires dividat. Querelarum substratarum medelam exspectantes, convicti fuimus, per nova gravamina religionaria consensionem animorum haud interturbandam, et dispositionem legis 26. 1791. novis vulneribus minime sauciandam fore.

Spes tamen nostras frustrando cum dolore nos excivit Primatis Regni et Archiepiscopi Strigoniensis relate ad mixta matrimonia proxime edita dispositio, quam alii quoque Episcopi Dioecesani suam reddiderunt. In literis encyclicis, quarum tenore haec dispositio facta est, diserte edicitur: illos, qui per matrimonium tale seu se, seu nascituram sobolem periculo seductionis a Romano-Catholica Ecclesia exponunt, non modo leges ecclesiasticas violare, sed etiam contra naturae ac Dei legem directe ac graviter peccare; respectivis autem Parochis iniungitur, ut matrimonia mixta, in quibus Sponsus alienae confessionis de educatione prolium catholica reversales haud dedit, non benedicant, iis consuetos Ecclesiae ritus non impendant, sponsos non in Ecclesia, sed in aede parochiali, aut alio decenti loco matrimonio iungant, non in ornatu ecclesiastico, sed in proprio vestitu sacerdotali, et nonnisi tamquam testes intersint, attamen sic inita matrimonia non minus cum ceteris in Protocollo Matriculari adnotent.

Dum Art. 26. 179⁰/₁. §. 15. clare disponit, ut mixta matrimonia semper coram Parocho Catholico ineantur: non id voluit, ut hic tamquam testis intersit, neque matr. talia instar civilium mere contractuum spectari voluit; tunc enim rectius ea dispositio fieri debuisset, ut matrimonia coram civilis jurisdictionis officialibus ineantur, qui certe non minoris fidei testes reputari possunt: sed procul du-

bio id postulavit, ut Sacerdos e ratione muneris sacerdotalis, tamquam Sacerdos compareat, ac vi muneris huius Sacramentum administret. Quod lex memorata etiam mixta matrimonia instar Sacramentorum reputaverit, manifestum fit e §. 16. qui processus divortiales propterea Consistoriis R. Catholicis subordinat, quia penes talia matrimonia semper de veri nominis Sacramento sermo est. Qua ratione igitur potest ab eo, qui per hoc matrimonium RCatholicus esse non desinit, in administratione Sacramenti receptus ritus denegari? qua ratione licet tempore Sacramenti administrandi talem e templo suae religionis excludere? cum etiam Synodus Tridentina Sacramentum Matrimonii in facie Ecclesiae contrahi praecipiat; qua ratione potest Parochus ut talis a ritibus sacris abduci? aut qua ratione Clerus in obversum memoratae legis asseverare, (quod etiam literae pastorales innuere videntur) talia matrimonia mixta pro veris Sacramentis haberi nequire?

Dum porro lex illa (anni 179%.) condita fuit, Status Ecclesiasticus eidem directe contradixit, quia argumentum illius eidem non satisfecit: sed cum contradictio ista contra communem Regni legem omni vigore destitueretur, dispositionem illius Clerus quoque civiliter adimplere stricte obligabatur; non solum autem credibile sed indubium etiam est, illos, qui legi contradixerunt, in ea implenda non plus praestitisse, quam quod officii ratio poscebat. Et tamen iidem viri Ecclesiastici, qui Comitiis, dum lex illa conderetur, intererant, et in disceptationibus eatenus protractis magnam partem coeperant, legislationisve scopum, sententiam ac sensum bene noverant: absque coactione et ulla mora omnia matrimonia mixta benedixerunt, utut reversales datae non fuissent, in illisque coniungendis omnes ritus ecclesiasticos conservarunt, verbo inter haec, aliaque matrimonia discrimen non fecerunt. Continuaverunt hanc praxim, quae e lege profluxit, et a condita lege quotidiana, publica et ininterrupta fuit, Ministri Religionis per 50. annos ad praesens usque tempus sine exceptione: nunc autem repente Status Ecclesiasticus legem, de cuius sensu per 50. annos nil dubitavit, quin in illa vel minima mutatio fieret,

arbitrarie et unilateraliter in obversum propriae convictionis, alia ratione exponere ac explicare cupit; licet secus etiam, si super sensu legis dubia enascerentur, iuxta art. 12. 179⁰/₁. nonnisi Corpus Legislativum explicationem dare possit, interea vero Status Ecclesiasticus in sensu non addubitato, non per alterum subtruso, non violenter coacto, sed sponte ac e propria convictione adoptato legem adimplere obligatur.

Lex naturae, Dei aeterna veritas sancta est et immutabilis. Si in horum obversum mixta matrimonia, in quibus de educatione catholica prolium reversales datae non sunt, peccatum essent, et quidem, prout id literae encyclicae ferunt, grave peccatum: tum peccatum erant et hactenus: nam Status Ecclesiasticus a peccatis quidem absolvere, haud tamen nova peccata creare potest; si vero ita, tum peccatum contra Dei ac Naturae legem commiserunt Ecclesiae Hungaricae tot inclyti Antistites, qui adusque matr. mixta benedixerunt, dispensationibusque datis et ritibus ecclesiasticis adhibitis promoverunt; inter hos iam vero Antistites plurimi fuere, quorum magna eruditio supponere non sinit, Dei ac naturae leges iis ignotas fuisse aut religionis regulas; complures ex iis fuere, quorum exemplaris vita, zelusque apostolicus vadimonii instar sunt, eos in religione schisma noluisse, nec religionis ac ecclesiae proditores fieri; id autem, quod, tametsi pro peccatis contra Dei aeque ac naturae legem matrimonia mixta haberentur, unice propterea eadem Ecclesia Hungarica benedixerit, ritibusque sacris absque exceptione et discrimine adhibitis promoverit, quia in pluribus casibus per reversales propagationem religionis speraverit: vel supponere tantumdem foret, ac puritatem Ecclesiae tenebris involvere, eiusque dignitatem deprimere; nam malum committere, ut inde eveniat bonum, gravi peccato assentiri, quin illud etiam promovere spe obtinendi cuiuscunque emolumenti ac lucri, non licet, siquidem hoc rursum idem esset, ac Deum, religionem, moralitatem abnegare: talem autem accusationem Ecclesia Hungarica nunquam merita est, et huiusmodi suspicio contra illam perquam amara foret indignitas.

Mixta matrimonia leges nostrae non modo permittunt, sed etiam tuentur, dum disponunt: ut iis nullo sub praetextu impedimenta ponantur. Potestne vero gravius esse impedimentum, quam si tale matrimonium nomine Ecclesiae peccatum contra Deum ac naturam dicatur, et si personae romano-catholicae mixtum matr. ineunti ritus ecclesiastici denegentur, ipsaque hoc pacto quasi e gremio Ecclesiae excludatur? At gravius adhuc est, quod legi civili peccati macula inuratur, dum literae encyclicae peccatum contra legem Dei ac naturae declarant id, quod lex civilis aperte concedit, quin et protegit. Collidit sic lex civilis cum conscientia, venerationemque erga illam annihilat: nam lex, quae peccatum, et quidem peccatum contra Deum ac naturam protegit, nonnisi per violentiam procurare poterit obedientiam, at venerationem nusquam conciliabit; porro in collisionem adducitur potestas civilis cum ecclesiastica, sicque omnia status vincula rumpuntur, et nomine religionis secreta simul ac peracerba contra Status legem pugna inchoatur.

Demum obtutu etiam morali ac religioso gravia sunt huius consectaria; nam opinio Ecclesiae ac doctrina de Matrimonio, signanter de eius Ministro, necdum decisa est: et tamen haec iam sermone vulgi circumferuntur, consultationumque et instructionum objecta evadunt, nec vane timeri potest, ne populus quaestione hac non intellecta, limites quoque eius ignoret, sicque fiat, ut matrimonii auctoritas puritasque vilescat, quae tamen moralitatis fundamentum efficiunt. Labefactabitur porro ea veneratio, in qua populi magistros coram populo constitui oportet; nam facile diffidentia ac irreverentia apud populum enascetur erga eos, qui peccatum dicunt, quod lex protegit, qui tot illustres Ecclesiae Praesules errore vel peccato involvunt, ac super hos absque discretione et dilectione iudicium ferunt; qui de frequenti ac poene quotidiano objecto, quale est matrimonium, nunc aliud docent, quam quod hucusque crediderunt, docuerunt, et secuti sunt. Labefactatur et religiositas, quae fidei dilectionem adiungit, cuiusve praecipuum fundamentum illimitata constituit dilectio; illa reli-

giositas, quae non persequitur, non condemnat ullum, neque caritatem enecat, ut fidem dilatare possit. Labefactabitur haec religiositas, nam literae hae pastorales conturbant millium tranquillitatem domesticam, pretiosissimum illud cimelion, quod homini in stadio terrestri possidere concessum est; illos vero, qui adusque penes legis patrocinium mixta matrimonia inierunt, si hac doctrina imbuti fuerint, ingens occupabit sollicitudo: nam terrebuntur reflectendo se ad dies innocenter et prospere transactos, quos juxta hanc doctrinam in gravi peccato transegerunt, innocentes demum proles instar fructuum peccati considerabunt. Hocque peccati sensu pressi actum peccaminosum continuare debebunt, nam matrimonium solvere non est in illorum potestate. Alii autem an non in pelago mergentur anxietatum, dum iuxta praecepta religionis Dei misericordiam ac religionis solamen quaerentes ad Virum Ecclesiasticum confessionis gratia accedent, ab eoque absolutionem nonnisi sub ea conditione consequentur, si peccata sua, et quidem etiam illa, quod in mixto vivant matrimonio, detestentur: quod quidem ipsi facere non possunt, nec in praecordiis suis contritionem elicere, nam in matrimonii puritate sunt innocentes, amore vero coniugum et prolium beati. Apud illos denique, qui credere nolent, peccatum contra Deum ac naturam esse, quod lex adusque protexit, Ecclesiaque ipsa promovit ac benedixit, si semel super Religionis placitis dubitare inceperint, dubia facile ad alia quoque transferentur: cuius rei consectarium erit indifferentia ac irreligiositas. Populi irreligio vero etiam Status gravissimum est flagellum, nam moralitatem cito corrumpit, sine qua neque lex, neque materialis prosperitas, neque civilis potestas certam felicitatem polliceri possunt, societatemque privat a legum secreto quidem sed certo custode, a voce nimirum monentis conscientiae.

Haec igitur non pro mere ecclesiasticis reputamus, Augustissime Domine, sed pro talibus, quibus intendere gravissimum Status officium est; nam fundamenta consistentiae eiusdem succussa sunt; in causa violatae legis vocem attollimus, cuius sanctitati invigilare civile officium est;

dum gravamen hoc exponendo, homagiali cum cultu ast simul filiali cum fiducia in praecordia Maj. Vrae SSmae effundimus sollicitudinem, quam Patriae Antistitum dispositiones, ac literae pastorales excitarunt, officium subditi ac filii ex aequo adimplemus; et hac quoque ex parte legum, signanter art. 26. 1790/1. et art. 14. 1647. dispositiones prae oculis habemus, ac quidquid hae leges iurisdictioni nostrae proprium esse voluerunt, stricte exequi haud intermittemus, Majestatemque Vram SSmam profundissimo filiali cum cultu exoramus, ut suprema Protestate Regia, ceu Rex Apostolicus, has dispositiones legibus adversas irritare, Praesulesque eo inviare dignetur, ut literas pastorales cum violatione legis, huicque debitae reverentiae editas revocent, sicque tranquillitas turbata nobis restituatur, gravesque et amarae sollicitudines tollantur.

Monumenta Transsilvanica.

380.

Decretum Mariae Theresiae circa matr. mixtae religionis, dd. 19. Augusti 1751.

Maria Theresia etc. Illustres etc. Relatae sunt Nobis demisse cum informationes Vestrae, tum alia rerum momenta Principatum illum Nostrum tangentia per Vos successivis vicibus submissa, quibus Nos pro iugi Nostro in eundem Principatum affectu, ac materna sollicitudine mature perpensis ac digestis, benigne resolvimus. — — Super differentiis porro circa eos, qui ad Fidem Catholicam convertuntur, ac iterum ab illa desciscunt, aut nati Catholici ad aliam non-catholicam religionem deficiunt, nec non matrimonia contrahentes, dum altera contrahentium persona Catholicae Religionis est, non secus proles catholice natas et in aliarum religionum scholas studiorum causa datas, ac denique pupillos catholicos, qui aliis religionibus addictorum curae et educationi committuntur, Majestati Nostrae propositis, clementissime decernimus, et in illo Principatu Nostro observari stricte praecipimus: Et quidem 1. Ut relabentes poena perjuris statuta afficiantur, Vestrae Gubernii Nostri Regii opinioni anno 1748. 27. Martii submissae tanto aequius assentimur, quod eiusmodi relapsis ignotum reipsa esse nequeat, iuramentum in fidei professione emissum impune violari non posse. Facto nihilominus 2. inter catholice natos a fide deficientes discrimine, cuius decisionem oraculo Nostro tenore citatae informationis Vestrae subiecistis, eos, qui maiorennitate assecuta aberrant, superius memorata periurii poena puniendos; minorennes vero

arbitrarie castigandos esse (per liberum enim in Principatu Nostro indultum religionis exercitium intelligi nequeunt religionis mutationes, non solum legi divinae repugnantes, sed etiam in Statu politico diversas confusiones generantes); ferendam tamen in istiusmodi casibus sententiam una cum actis eo spectantibus ante publicationem eius Nobis semper submitti volumus. 3. Interdictis Reformatae et Lutheranae in illo Principatu Religionum Ministris, ne deinceps diversarum religionum personas, si una earum Catholicam profiteatur Religionem, sine licentia Episcopi Catholici copulare audeant; ubi tamen ad avertendas, quae secus ab alterius religionis Ministris ob subtractum stolae beneficium moveri possent, querelas, observandum erit, ut quaevis pars religionis suae Ministro stolam in particulari solvere teneatur. 4. Severissime interdicimus, ne iuventus catholica in aliarum ibi religionum scholas inittatur, iu iisque recipiatur; singulis autem locorum Magistratibus sollicita pupillorum catholicorum in Religione Catholica educatio districte et ita committatur, quatenus de tempore in tempus Nostro ibidem Gubernatori id annunciare, et in casu observandi, quod eventurum non putatur, neglectus rationem desuper reddere sint obstricti. In reliquo etc.

381.

Relatio Episcopi Transsilvaniensis Baronis Bajtay ad Sacram Congregationem de propaganda Fide, super praxi in celebrandis matr. mixtis in Transsilvania vigente, dd. 20. Junii 1763.

Eminentissimi etc. Jam inde a temporibus illis, quibus Religio Catholica in hac vicinisque Provinciis pestilenti Lutheri, Calvini, Socini, aliorumque huius generis perditorum hominum doctrina vitiata est, non in hac solum, sed in omnibus Hungariae Dioecesibus perpetuo fere duorum seculorum usu stabilita viget consuetudo: ut, quum acatholici in eadem cum Catholicis societate vivant, iisdem patriae legibus, privilegiis, honoribus item ac dignitatibus publicis fruantur, ipsa denique religionis suae libertate eadem gaudeant, ad connubia etiam inter se iungenda certis

sub conditionibus necessario quodammodo sint admittendi: quod propter quotidianum hunc usum quemadmodum aliae de haereticis vitandis, ita etiam cum iisdem matrimonialem societatem prohibentes sanctissimae alias Leges Ecclesiasticae inpracticabiles omnino et Maioribus nostris visae, et nobis etiam nunc videantur in hac praesertim Provincia: in qua, etsi non admodum magna, septem omnino, praeter Catholicam Religionem, Graecamque Unionem, inter se discrepantes sectae reperiuntur: Reformata, Lutherana, Ariana, Schismatica, Judaica, Anabaptistarum in Alvincz, Sabbathistarum in Bözöd, Ujfalu, et alibi. Effectum interim est singulari superiorum temporum Antistitum zelo, sollicitudineque pastorali, ut quod ante cum gravi Fidei Catholicae detrimento coniunctum erat, in eiusdem iam non mediocre cedat incrementum. Nam cum prius huiusmodi matrimonia insciis Ordinariis, Parochisque catholicis apud Ministrum partis acatholicae contraherentur, prolesque ex eis susceptae in parentis haeresi educarentur: hi complures iam ante annos ab apostolica gloriose regnantis Augustae pietate legem impetrarunt, ne ullus haereticorum cum persona catholica, nisi ex arbitrio Episcopi Catholici connubium inire praesumat. Ex qua lege illud maximum commodum Ecclesia haec consecuta est, quod ab eo tempore Episcopi nullum haereticum cum persona catholica contrahere permittant ante quam is iuratis literis, ut vocant, *reversalibus* spondeat: a) se coram Sacerdote, rituque catholico matrimonium initurum, b) proles utriusque sexus in Fide Catholica educaturum, c) coniugem suam (si mulier sit catholica) in exercitio religionis suae nullo unquam tempore impediturum, minus turbaturum, poenis denique si has conditiones transgrederetur arbitrio Ordinarii infligendis sese submissurum.

Hanc methodum ego diuturno usu firmatam in hac patria reperi, eandem ipse etiam triennio iam teneo, tenendamque porro etiam arbitror, quod ex ea maximum quotidie in orthodoxam religionem emolumentum dimanare animadvertam; hac namque ratione haeretici damnatum ab Apostolica Sede inter se matrimonium contracturi cum persona

catholica legitimo connubio iunguntur, hac proles utriusque sexus parentis haeretici cum insigni religionis incremento catholicae evadunt, hac ipsi etiam pertinacissimi haeretici quotidianis coniugum catholicorum suasionibus piisque exemplis emolliti non raro ad fidem convertuntur. Ut adeo compleri in his cum voluptate sentiam illud Apostoli dictum: sanctificari nempe virum infidelem per mulierem fidelem, mulieremque infidelem per virum fidelem. Ex adverso, si mos iste tolleretur, indubie praevideam, fore innumeros spe opulentorum cum haereticis matrimoniorum fidem Catholicam deserturos; tametsi enim legibus nostris gravissimae in huiusmodi fidefragos poenae statutae sint, non pauci tamen et hodie sunt, qui acatholica parte in memoratas conditiones iurare detrectante, malunt avita sua religione, quam optato connubio carere; atque haec quidem quoad matrimonia Catholicorum cum acatholicis — ad honorificentissimas Eminentiarum Vestrarum literas eo, quo a me postulant, candore reponenda habui, in reliquo assidua inter venerationis observantiaeque singularis officia perseverans.

382.

Decretum Tolerantiale Josephi II. dd. 8. Nov. 1781. quo Reversales de catholica educatione prolium e matr. mixtis abrogantur.

Josepus II. etc. — 2. Cum matrimonia disparis religionis hucdum non aliter, quam erga dandas Reversales de prolibus utriusque sexus in Religione Rom. Catholica educandis admissa fuerint: huiusmodi Reversalium usum, illis, quae hucusque expeditae haberentur, in vigore suo relictis, ex nunc pro futuro quidem abrogare, pro constanti tamen norma una sancire duximus, in matrimoniis disparis receptae religionis filios in paternae, filias vero in maternae religionis principiis pro exactae aequitatis, qua receptae religiones inter se iuxta leges gaudent, rationibus educandas esse; si autem disparis eiusmodi matrimonii casus inter receptae et toleratae religionis (uti non-unita est) asseclas se se exereret, atque pater alicui e receptis religionibus adhaereret, omnes proles tam masculae, quam sequioris sexus

paternam religionem sequantur, quod receptae religionis praecipium, ac praerogativa esse dignoscatur; si e converso mater receptae, pater vero toleratae religionis foret, proles sexum parentum in sectandis religionum principiis sequi debent. 3. Si matrimonio inter utramque partem a Religione Catholica alienam contracto, alterutra partium ad fidem Rom. Catholicam, seu ad unionem transiret, aut soluto per mortem matrimonii vinculo pars superstes ad Religionem Catholicam seu Unitam converteretur: eadem praescripta regula quoad proles, quae nondum annum discretionis attigerunt, pariter observanda erit; in casu nimirum conversionis paternae omnes proles masculae in annis discretionis nondum constitutae patris, foeminei vero sexus matris, si haec receptae religionis fuerit, secus vero has etiam patris neoconversi religionem sequi; matre vero conversa nonnisi eiusdem sexus proles infra annos discretionis in Catholica Religione educandas esse; ceteroquin neque Catholicae, neque reliquarum religionum asseclae ullo sub praetextu proles aut orphanos a parentibus alterius religionis ortas in sua religione educandas vindicare poterunt.

383.

Rescriptum Josephi II. ad Guberninm Transs. de copulatione mixtorum matrimoniorum, dd. 20. Aug. 1783.

Illustres, etc. Variis, quae per Helveticae et Augustanae in Transsilvaniae Principatu Confessioni addictos Maiestati Nostrae porrecta sunt, gravaminibus Nobis suo modo relatis, perpensis, et ruminatis, Tolerantiae Christianae per Nos clementer introductae principiis inhaerere volentes, clementissimam Nostram Resolutionem pro exactissima norma valituram in sequentibus edendam decrevimus.

Querulantur nempe praedictis Confessionibus addicti:

VI. „Parochos Catholicos in casu, ubi diversae Religionis, Catholicae et Evangelicae, personae matrimonium ineunt, ius eiusmodi nupturientes proclamandi et copulandi unice sibi arrogare." Quoad nupturientium proclamationem benigne iubemus, ut illae in utriusque religionis, quas nu-

pturientes profitentur, templis fiant, sic enim dirimentia quoque impedimenta facilius cognosci poterunt; matrimonium nihilominus inire volentes copulandi potestatem, cum matrimonia acatholicorum speciem solum contractus civilis praeseferant, porro quoque penes Parochos Catholicos relinquimus.

VII. „Prolibus a parentibus diversae religionis natis baptismum per Sacerdotes Catholicos cum exclusione Ministrorum suorum conferri." Cum baptismus Catholicorum in essentialibus cum baptismo Reformatorum et Evangelicorum ita conveniat, ut ille ab alterutrius religionis parocho conferri possit, licet nullum gravaminis huius adesse posset motivum; quum nihilominus tenore generalis Nostri Tolerantiae Normativi puncto 2. educationem prolium inter diversae, receptae tamen in Transsilvania religionis coniugatos ita moderari dignati simus, ut filius in patris, filia vero in matris religione educentur, clementer indulgemus, ut baptismus quoque per illius religionis, in qua baptisandus iuxta praemissa educabitur, Ministrum conferri possit.

384.

Instructio pro Parochis quoad mixta matrimonia per Episcopum Transs. Ignatium C. Batthyán dd. 31. Decembr. 1781. data.

Idem ferme Nobis accidit, quod S. Augustino; pugnandum nimirum ipsi fuerat adversus tales, qui matrimonia disparis religionis culpa vacare existimabant; ait enim lib. de fide et bonis oper. cap. 19. (Opp. Tom XI. coll. 551.) „nostris temporibus iam non putantur esse peccata." Nos quoque toties audire debuimus, qui matrimonia huiusmodi non excusabant solum, sed commendabant etiam. Recte autem laudatus Hipponensium Antistes horum opinionem tum perstringit, tum damna illius recenset, loco citato, inquiens: „talem quippe in quibusdam negligentiam, in aliis imperitiam, in aliis ignorantiam Dominus probabiliter somni nomine significasse intelligitur, ubi ait, cum autem dormirent homines, venit inimicus et superseminavit zizania."

Tria sunt nuptiarum bona, propter quae bonae sunt nuptiae: proles, fides, sacramentum. Videamus, quomodo zizania, quae superseminavit inimicus, bona haec suffocent et pessumdent. „Bonum nuptiarum, inquit S. Augustinus de bon. coni. cap. 24. per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis, quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti." *Sanctitas Sacramenti* procul dubio posita est in eo, quod S. Paulus ait: Sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia. Absoluta itaque nuptiarum sanctitas tunc adimpletur, cum imaginem referunt mystici illius coniugii, quo Christus sibi Ecclesiam, virginem sine ruga, sine macula, quam sangvine suo acquisivit, lavit, et mundavit, aeterno desponsavit amoris vinculo. Videte iam, an nuptiae, quas inimicus homo superseminavit, possint puri immaculatique illius thori formam habere? an poterit de illis dici illud Apostoli: Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo? utinam exhibere possent Christo sponsas suas, vel hae maritos suos Christo lucrifacerent! De *prole* et *fide castitatis* quid dicamus: hic enim non periculum, sed aperta pernicies imminet, cum nuptias ideo ineant homines, ut patres et matres fiant; illico parentum induunt officia, dum matrimonia iungunt, inter quae praecipuum est recta prolium educatio. Potestne, amabo, absque culpa proles in aliena religione educare catholica pars? potestne aequo animo Christo eripere, quod illi debetur? Fides castitatis quomodo possit subsisere, non videtur: si fides est praecipuum actionum humanarum principium, qui in ea dissident, quomodo consentient in aliis? aut si in ea quoque consentirent, concordia haec ad fidei pertinebit exitium: „quomodo potest, ait S. Ambrosius lib. de Abrah. cap. 9. congruere caritas, si discrepet fides?" Nescio, an prolibus, an coniugi maius impendeat periculum? utrique certe gravissimum; prolium: quia plerumque utriusque sexus partis acatholicae sequuntur errorem; coniugum: quia admodum crebro pars catholica a fide recta avertitur. Contingit enim, quod in mixtae religionis matrimoniis saepius, ne dicam plerumque foemina sit pars catholica, quae et naturae imbecillitate, et

levitate animi viro non raro ferocienti, sub cuius potestate est, resistere non valet; arcet is uxorem a frequentandis Sacramentis, templis adeundis, ab oratione et ieiuniis abstrahit, cum prolibus orare, de fidei rudimentis loqui non permittit, et aliquid pro salute illarum tentanti minas ac etiam verbera intentat, adeo, ut neque iniurias suas pro remedio vel consilio accipiendo detegere audeat misella uxor: in lugubri hoc statu quae retinendae fidei spes subesse potest? Etsi autem maritus sit Catholicus, huius quoque fides naufragio exposita est: quid non possunt muliebres blanditiae, praesertim in viro, sensuali coeco amore abrepto, et saepissime tepido, utinam non frigido catholico, qui solam fidei suae nomenclationem retinet? Samsonis vires fregit mulier; quid si foemina sit imperiosa, magnum profecto malum, et inferno maius! hanc si zelus falsus inflammet, Ministri stimulent, curatores Ecclesiarum accendant, consangvinei animent: vir iurgiorum pertaesus, haereditatis, protectionis, amicitiae conciliandae cupidus, prolium educationem negligit, suae quoque animae curam deserit; non commemorabo quotidiana de haeresi colloquia, de fide quaestiones, contentiones, librorum pestilentissimorum malum, quae omnia nata sunt si non exstingvere, saltem imminuere fidem; proles miserae in fide catholica vacillabunt, et flaccidae evadent. Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris, ait Regius Vates; unde recte infert S. Ambrosius loco supra citato: si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, ubi una caro et spiritus unus est, ratio docet, sed amplius exempla movent, saepe illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos et a religione fecit extorres.

De prolibus uberius agendum, et pericula fusius recensenda: contingit enim a) ut proles acatholica pars recipiat, in suo educandas errore, b) ob paupertatem aliis traduntur proles educandae et enutriendae, c) saepe pars catholica instabilis animi est et hinc inde vagatur, interim proles consanguinei partis acatholicae occupant, sero recuperandas, d) odium et aversio a Catholica Fide instillatur prolibus, e) parochum ad docendas illas non admittunt, proles denegant, abscondunt, fugam suadent, et nonnumquam

mentiuntur fugisse, f) proles ad servitia acatholicorum mittunt, Domini Terrestres Parocho non assistunt, Tabulae Continuae eo minus faciunt.

Haec cum ita se habeant, qua conscientia possunt Catholici ad talia ruere matrimonia? Videamus ad confusionem nostram, quantopere eadem perhorruerint Acatholici. Adstipulatur nobis *Bernardus Van Espen.* qui Tom. 2. Cap. 8. p. 215. experientia Belgii Foederati edoctus praeclare ea de re scripsit, inquiens, periculum perversionis non tantum prolibus sed et pronepotibus in multas generationes imminere.

Helveticae Confessionis homines in suis Agendis et libris haec habent: 1. In Agenda Calvinistarum, quae ex Stephani Melotai Agenda excerpta est et pro usu Transsilvanorum edita a. 1755. pag. 28. haec habentur: „honorabile est connubium inter eos, qui eiusdem sunt fidei, cum matrimonia, quorum non eadem est fides, coram Deo accepta haud sint." Deinde in eadem Agenda fuse deducitur et disputatur de matrimonio tali, diciturque, „id tunc solummodo licitum forte esse, si altera pars promitteret professionem, sed huius rei, inquit, pauca exempla habemus, imo etsi id promittit, ubi matrimonium perfectum est, verberibus cogit uxorem suam ut infidelem, haereticam, et idololatricam religionem amplectatur." 2. In eadem Agenda habetur: etsi homines hoc matrimonium admittant, Deus tamen reprobat a) quia Deus prohibuit populum suum, ne sibi ex infidelibus uxores acciperent, b) quia Christiana pars decipitur ab infideli, prout Achab a Jesabele I. Reg. 2, 15. — c) quia vir et uxor fiunt unum corpus et anima una, fidelis autem cum infideli iugum ducere prohibetur II. Cor. 6, 14. — d) quia ex huiusmodi matrimoniis procreatae proles in timore Dei educari non possunt; christiana enim pars vult illas ad Belial pertrahere, quod si non antea fiat, saltem denata parte christiana fieri solet. — 3. In Agenda Varadini a. 1653. impressa haec reperiuntur pag. 182. §. 3.: „ad 3. quare non licet viro christiano uxorem accipere infidelem, vel alterius fidei? respondetur: etsi numquam hac de re loqueremur, sufficeret nobis Regis Salo-

monis exemplum, hunc enim uxores infideles, alienigenaeque ad idolorum cultum perduxerunt. Valentem Romanorum Imperatorem, prout Theodoretus memoriae prodidit, uxor eius ad haeresim pertraxit; ideo non licet Christiano homini alterius fidei uxorem sumere, tum etiam ne quies domestica et concordia, sine qua matrimonium Deo non placet, turbetur." In fine adiicitur Apostrophe, qua Auctor invehitur in gentem suam, „quod scilicet Hungari etiam Plutonis filiam matrimonio sibi iungerent, si pulchra et opulenta foret, iuvenes etiam cito fidem deserunt, idololatricam fidem amplectuntur, dummodo voluptatem suam expleant." — 4. Canones Ecclesiastici editi in Synodo Komeathina, et sumtibus Ecclesiarum Comitatuum Pest, Pilis etc. Varadini 1642. recusi in tertia classe Canonum, Can. 40. statuunt sub rubrica: *Ne puellae fideles infidelibus coniungantur:* „Notum est ex SS. Literis, olim divinitus vetita huiusmodi coniugia imparia, ne videlicet alterutra persona in vera religione corrumperetur et ad impietatem vel infidelitatem seduceretur; ideoque neque haereticis damnatis, neque Judaeis, neque ethnicis Catholicas dandas puellas statuimus, ne iugum cum infideli ducamus, si vero contra interdictum hoc fecerint parentes scientes et volentes, censurae canonicae obnoxii sunto." — 5. Canones Ecclesiastici ex antiquis opera Georgii Lovànyi Superintendentis collecti, Claudiopoli 1733. editi Can. 54. p. 25. habent: „Compares et liberae personae copulentur, in quantum fieri potest, eiusdem religionis sunto, nam S. Scriptura infideles cum fidelibus, Judaeos, et Turcas, Socinianos et similis farinae homines cum Christianis cohabitare (nisi spes aliqua conversionis affulserit) vetat." — 6. Exegesis libri 2. Medullae Amesianae studio Georgii Mártonfalvai SS. Bibliorum in Schola Debreczinensi Professoris, Debreczini 1675. edita, Cap. 19. §. 37. p. 1052: „Non licet, inquit, fideli infidelem ducere in uxorem, hinc dicitur 1. Cor. 7, 39. cui vult, nubat, tantum in Domino, id est, religiose et cum timore Dei; sic et I. Cor. 10, 3: sive igitur editis sive bibitis sive quid facitis, ut uxorem ducitis, alii nubitis, omnia ad gloriam Dei facite; quod fieri nequit, nisi verae religionis rationem habeatis."

Pag. 1053: „Peccat ergo fidelis (ut Reformatus) matrimonium cum infideli (ut Pontificio) contrahens." Pag. 1051: „Paulus Apostolus in causa divortii per infidelem, talem infidelem intelligit, qui in Christum non credit et veram religionem odit, ut ethnicus, pontificius, socinianus."

Si itaque haeretici ipsi haec matrimonia detestantur: nulla ipsis inferetur vis et iniuria, si ab illis arceantur; placita autem haereticorum ideo adducere placuit, ut Ecclesiae Catholicae sententia, dum a suis etiam inimicis testimonium accipit, firmior appareat. Ecclesiae autem Catholicae haec est sententia: Orientalis Ecclesia non minus quam Occidentalis matrimonia haereticorum ab initio reprobavit ac damnavit. Orientalis quidem Ecclesia in Conc. Trullano can. 72. teste Balsamone et Zonara, eiusmodi matrimonia irrita plane et invalida pronunciavit. Verum quidem est, quod Ecclesia Occidentalis, quae Canones Trullanos non approbavit, hanc disciplinam secuta non sit, imo in C. Tridentino anathemate feriverit illum, qui propter haeresim dissolvi posse matrimonii vinculum asseruerit; nihilominus tamen omni aetate detestata est sacrilega haec matrimonia et fidelibus severe prohibuit: in C. Illiberitano c. 16. — C. Laodiceno c. 10. — C. Chalcedonensi can. 14. — C. Agathensi c. 67. — C. Burdigalensi. — Bonif. VIII. Cap. Decrevit. Tit. de haer. in VI. — Urban. VIII. Lit. de 30. Decemb. 1624. — Clemens XI. Lit. de 25. Jul. 1706. et 1707. item 16. Jun. 1716. Benedictus XIV. de an. 1741. et 1748.

Cum itaque tam illicita et tam perniciosa sint matrimonia disparis religionis, agendum utique et nulli parcendum industriae, ut, cum simpliciter denegare assistentiam talibus matrimoniis non valeamus, illa coalescere non possint, aut certe rarissime coalescant.

Primum hanc in rem monitum est: ut laborem impediendi talia matrimonia non differant (Parochi) usque ad illud tempus, quo iam sponsalia contracta sunt, et assistentia matrimonii petitur; serum id erit quidem multis casibus, nec tunc tamen labor hic intermittendus, cedetque feliciter.

2. Parochi *pastores* sunt: debent ideo vultum pecoris sui noscere, statumque animarum perspectum habere; neque existimet ullus se pastorali muneri satisfecisse, si pro concione dicat, confitentibus aures praebeat; debet etiam sollicitudinem boni pastoris habere, et ideo identidem statum animarum percurrat, et videat nubiles puellas, indagetque ipse et per Cantores vicinos ac alios probos viros, quid de puellarum desponsatione parentes, consangvinei cogitent, ut videat: an periculum aliquod subversetur.

3. Parentes nubilium puellarum antequam easdem desponsent, dum adhuc in pacato animi statu versantur, moneant, hortentur, obsecrent, ut alienis a catholica fide non iungant puellas, dicente Paulo Apostolo: quod unumquemque monuerit cum lacrymis.

4. In Confessionis Tribunali diligenter, gravissimis verbis, et quam saepissime honorem matrimoniorum parentibus, puellis, et iuvenibus insinuent ac imprimant etiam.

5. Curent diligenter, ut puellae modestae sint: id si fecerint, si corpora sua non prostituerint, si vagis amoribus non vacaverint, rariora erunt matrimonia talia.

6. In quovis loco habeant Parochi probum aliquem moderatumque hominem, qui matrimoniorum initiis invigilet, obsistat, ac una referat.

7. Si nunciatum fuerit, de tali matrimonio agi, Parentes, Sponsos, consangvineos, amicos, vicinos precibus, hortationibusque expugnare satagant, vel maxime parentes peccati admoneant, sponsis pericula et damna recenseant.

8. Consilio cum probis inito, ne matrimonia fiant, impedimentis ponendis praevertere adlaborent.

9. Si labores suos otiosos viderent, non dimittant coeptum opus, verum exquirant omnia genera protelationum, ut quod ratio nequit, mora sanet, interim ab expugnandis animis non desistant.

10. Ubi nec hoc prodesse viderint, partem catholicam ad strictissimum examen de fidei rudimentis attrahant, et minus rite subsistentem ad eadem rite condiscenda remittant.

11. In concionibus suis contra matrimonia disparis religionis non declament.

12. Verum saepius de educatione prolium, de fidei rectae necessitate, de matrimoniis secundum Scripturam S. ineundis sermonem habeant.

Jam alias monuimus, ut conatibus nihil proficientibus propria auctoritate non copulent huiusmodi Sponsos, verum ad Nos referant: hoc iterum monemus.

Studebunt inducere Sponsos, ut Reversales huius tenoris det pars acatholica: „infrascriptus vel infrascripta, Helv. vel Aug. Confessionis, harum vigore notum reddo quibus expedit universis: quod probe sciam, Suam Majestatem SSmam in Rescripto suo de Tolerantia edito Acatholicos ad dandas Reversales de utriusque sexus prolibus in Catholica Religione educandis cogi nolle; ego tamen absque ulla coactione, ex puro adversus futuram uxorem meam, vel futurum maritum meum, amore ductus vel ducta, ut omnis inter nos controversiarum ansa tollatur, ipsi proles sexus mei ex gratia Dei procreandas donem et in ipsius religione Catholica educandas sponte et libere tradam, et in eadem educari non solum non impediam, sed conabor etiam, atque ad huius liberae promissionis inalterabilem observantiam me obligem quam possum firmissime coram testibus infrascriptis. In cuius rei firmitatem has literas subscripsi et easdem iuramento firmavi. Sic me Deus adiuvet, et animae meae salutem largiatur, si datam hanc fidem non violavero."

Monuimus etiam, ac rursum monemus, ut Reversales de non turbanda parte Catholica, et controversiis in Foro Ecclesiastico decidendis petant et exigant, quae tamen cum nunc dictis confundendae non erunt.

Et haec sunt, quae caute, moderate, diligenterque curanda erunt.

385.

Opinio Consistorii Alba-Carolinensis de copulationibus mixtorum matrimoniorum per Ministros Evangelicos et Unitarios praestitis, dd. 11. Decemb. 1782.

Excellentissime etc. Querelas DD. Parochorum, quas Excellentia Vestra gratiosis suis 20. Nov. ad Nos datis literis, significare dignatur, contra Ministros Acatholicos, quod

matrimoniis disparis religionis passim adsistant, iustas omnino, abusumque hunc nequaquam dissimulandum, sed quantum per praesentes Tolerantiae circumstantias licet, ut corrigatur, connitendum existimamus. Ex hoc enim lata panditur via ad Apostasiam: nam et Minister assistens, et pars acatholica maiori cum fiducia sollicitabit ad defectionem a fide compartem catholicam hac ratione copulatam; et ipsa pars catholica videns, hanc suam audaciam contra praxim in hac Dioecesi hactenus usurpatam impune dissimulari, maiores animos sumet ad fidem catholicam deserendam et eiurandam. Sed et in vulgo Ministerium Sacerdotale, officiumque pastorale Parochorum gravi contemtui exponetur, si populus observaverit, Ministros heterodoxos attentare iam sacrum illud ministerium, quod hactenus solis Parochis Catholicis competebat. Quid quod si aliquot huiusmodi casus usurpatae parochialis functionis audaculis idgenus acatholicis ministris dissimulentur, non ex vano timeri possit futurum, ut eorum exemplo ac impunitate ceteri audaciores effecti brevi mox tempore communem hanc faciant usurpationem, ac nefors ad alia etiam, ut baptismum infantium, et sepulturas extendant. Neque decreto Tolerantiae ansa abusui huic praetendi a Ministris Acatholicis potest: illud enim liberum professionis suae exercitium heterodoxis indulget, sed ut regnanti, atque quod Augustiss. Imperator publico suo Rescripto confessus est, unice salvificae Religioni Catholicae praejudicio sint, ut sacrum Parochorum Catholicorum ministerium sibi propria auctoritate arrogent, ut Catholicos hac ratione ad defectionem parent, ut iurisdictionem parochialem in non suos exerceant, prorsus non indulget; cumque in Ecclesia Catholica matrimonium magnum sit Sacramentum, non item opinione Acatholicorum: confidimus, Majestatem Suam SSmam ut Catholicum Principem non difficulter in id consensurum, ut huiusmodi matrimoniis Parochus Catholicus assistat, ne contrahens catholica pars Sacramenti fructu (cuius Ministri Praedicantii e propria ipsorum confessione non sunt), privetur.

E quibus rationibus censemus, Augustissimum Principem primum quidem in eo orandum esse, ut Apostolicum

piissimae Matris suae Augustae 19. Aug. 1751. editum Decretum in tertio saltem puncto clementer confirmare, innovareque dignetur, ut nempe matrimonia diversarum religionum, si una pars catholica sit, sine licentia Episcoporum Catholicorum non admittantur, qui deinde facultatem tales copulandi hactenus usitato more Parochis tantum suis indulgerent. Quodsi hoc propter Decretum Tolerantiae impetrari non posset, tunc secundo orandus esset Augustissimus, ut huiusmodi matrimoniis utriusque partis Parochos adesse iubeat, cum notabili tamen hac differentia, ut Sacerdos Catholicus totam semper sacram ceremoniam in Ecclesia Catholica privatim peragat, Minister vero Acatholicus cum aliis testibus sola praesentia sua corporali, si velit, adsit, subindeque a parte acatholica stolam suam desumat. Dicimus: cum notabili hac, et in edendo Decreto Regio diserte exprimenda differentia; nisi enim illa diserte exprimatur, ex indulto utriusque Ministri concursu illud verendum praesagimus, ne occasione talis concursus acatholicus Minister partem contrahentem suae religioni addictam a se, catholicam autem a catholico sacerdote adiurari debere praetendat, itaque sacrae functionis omnino particeps evadat, aut etiam in casu sponsorum diversae ac ab invicem longius dissitae parochiae sub praetextu sponsae acatholicae sine copulatione e loco domicilii non dimittendae neglecto simpliciter Parocho Catholico (quem in domicilio sponsae nullum esse in casu supponimus) totam copulationis functionem sibi soli vindicet. Hanc circumspectionem exigit sane dignitas dominantis Religionis, ac potissimum ratio Sacramenti, quo secus pars catholica privaretur. Fieret etiam satis ministro heterodoxo; etsi enim is ad ministerium sacrum non admittatur, cuius ille exercendi sensu catholico incapax est, admittetur tamen ut testis, iureque suo stolari gaudebit; neque haec communicatio in divinis cum illo nimia videretur; cum enim Tridentinum in testibus matrimonialibus nullam iuris humani qualitatem aut conditionem requirat, heterodoxi etiam praesertim gravi ex necessitate, quae hic adest, admitti possunt, imo passim occasione copulationis, baptismi, et sepulturae vocari, et multi eorum adesse, atque in Ec-

clesias nostras humaniter pro spectatoribus et auditoribus admitti consueuerunt. Quod solum, nec plus in nostro quoque casu eis concederetur. Sane maior est communicatio illa in divinis, quam refert immortalis memoriae Benedictus XIV. Pont Max. de Syn. Dioec. l. 6. c. 7. n. 1. et 2. qua in quibusdam Principum infidelium et acatholicorum dominio subiectis regionibus Catholici matrimonium inter se coram parocho et duobus testibus contrahunt quidem, verum ante vel post matrimonium ea ratione celebratum patriis legibus coguntur coram ministro se sistere, eoque praesente quamdam contractus matrimonialis speciem inire. Quia tamen teste doctissimo illo Pontifice minister ille Catholicorum matrimoniis assistat solum tamquam minister mere politicus, neque virtute verborum, quibus coniugibus bene adprecatur, ullam credat accedere sanctitatem eorum coniugio, quod Sacramentum esse nostri temporis haeretici communiter inficiantur, ideo Catholici eidem se sistentes a culpa excusantur. Quanto magis in nostro casu excusarentur, ubi reipsa sponsi coram Parocho Catholico matrimonium inirent, nec minister eis bene precaretur ritu quodam sacro, verum sola corporali sua praesentia, ut alii laici testes ex gravi causa adesset! — Si demum Maiestas Sua SSma neque ad hoc secundum statuendum induci posset, eo casu id petendum foret, ut Sua Maiestas rem totam dissimulet, nihilque potius decernat, quam ut facta apud Excelsum R. Gubernium quaestione, unde facile in vulgus dimanare posset, subinde vero sperato a nobis Decreto non secuto, ministri heterodoxi ad similia tentanda audaciores reddantur, consequenter parochi catholici privativum hunc usum manutenere deinceps nequeant, quem in plerisque casibus hucdum conservarunt. Atque hac ratione et tentaretur malo remedium, quantum in nobis est, si forte Dominus cor Regis in favorem magni Sacramenti inclinaret, et tamen si speratum remedium non succederet, id nequaquam per nos staret, cautela item fieret, ut non secuto efficaci remedio, a Rege potius quam a Sacerdotibus dissimuletur.

Substernentes nihilominus hanc nostram opinionem alto Excellentiae Vrae iudicio, atque ad propositum nobis

casum transeundo, animadvertimus ante omnia, supponi in eo: Agnetem cum Unitario absque conditione illa: „donec in honestate permanseris" copulatam fuisse: quod equidem evenire potuisse non inficiamur. At ordinarie Unitarios, sicut et Reformatos, etiam post prohibitionem piissimae recordationis Augustae, saltem dum nemo Catholicorum adest, praefatam conditionem contractui suo matrimoniali adiicere, compluribus exemplis, ac ipsorum etiam Unitariorum testimoniis compertum nobis est. Interim omisso hoc, ut in terminis propositi casus persistamus: respondemus:

1. Existimare nos, totique huic Clero Dioecesano per necessariam doctrinae consequentiam statuendum esse, Agnetis, ut supponimus, Catholicae cum Unitario matrimonium pro *dubio* habendum esse; tale namque est censendum partis catholicae cum Unitario matrimonium, qualis est, haberique debet huius baptismus. Uti enim ex baptismo nullo certum, ita ex dubio dubium nascitur disparitatis cultus ad contrahendum cum fideli et baptisato impedimentum. At baptismus Unitariorum in hac patria ab annis circiter 30. declarente et per publicas Circulares toti Clero promulgante Exc. Domino eius temporis Episcopo B. Klobusitzky (ut seniores adhuc superstites de Clero optime recordantur) pro dubio habendus est: igitur et matrimonium eorumdem cum persona catholica, propter dubium disparitatis cultus impedimentum e dubio baptismo enatum. Rationes, quae Exc. Dominum B. Klobusitzky ad declarationem illam induxerunt, etsi nobis in specie ignotae sint, poterant tamen esse sequentes: a) ut ex traditione seniorum accepimus, Unitarii sub Principe Joanne Sigismundo in Conventu suo Tordensi decreverant baptismum simpliciter omittendum suis esse; cum autem propterea Reformatis aliisque Patriae pro tunc filiis pro paganis et infidelibus proclamarentur ac traducerentur, facto novo conventu statuerunt ad evitandam hanc calumniam infantes suos baptisare. Quae si vera sunt, sequi ex iis videtur, eos externam duntaxat ceremoniam ad paganismi calumniam a se amoliendam adhibere sine vera intentione faciendi quod facit Ecclesia vel Christus instituit. Quod confirmari videtur inde quoque, nam b) nostro etiam tempore interrogati de

doctrina baptismi sui nominanter Claudiopoli celebris eorumdem Superintendens Szent-Ábrahámi respondisse fertur: stultos se fore, si aliter, quam credant, baptisarent. Videntur proinde intentionem suam baptisandi errori suo circa Mysterium Trinitatis alligare. Sed et c) forma baptismatis eorum dubio non caret, illa saltem quam prae manibus ex confessione fidei eorum anno incerto, recentiori tamen, cum et Caroli VI. Rescripta citet, typis exscripta habemus. „In qua peragimus, inquiunt, baptismum in nomine Patris Filii et Spiritus S. omissa particula: *et Filii*, ex qua omissione supposito errore eorum suspicari non sine fundamento licet, an formam baptismi non resolvant, sive non corrumpant in sequentem sensum: ego te baptiso in nomine Patris, qui est Pater Filii et fons Spiritus S. quem tenent esse virtutem tantum ac energiam eiusdem Patris. d) Dubium est, an dum soli sunt, non baptisent in nomine Patris maioris, Filii minoris, et Spiritus S. minimi, aliosve errores non inspergant. Quidquid interim sit de his rationibus, quae et ipsae dubiae sunt, eorum consequenter baptismum dubium esse suadent: certum omnino est, ab altefato piae memoriae Episcopo B. Klobusitzky baptismum eorum pro dubio habitum, et per totam Dioecesim hanc dubium declaratum esse; certum item est, eius successorem bonae memoriae Exc. D. B. Stoyka rescripsisse, ut Unitarii ad salvificam fidem conversi sub conditione mente retenta rebaptisentur; certum denique est, Exc. D. B. Bajtai complures, sed nominanter de quo recordamur, nobilem virum Tordensem Petrum Bölönyi, Dnum Josephum Barra Capitaneum, et D. Vice-Colonellum Horváth hodiedum viventes eadem sub conditione rebaptisasse. Ex quibus elucet, in hac Dioecesi hucdum baptismum Arianorum pro dubio habitum fuisse, consequenter inter Agnetem Catholicam, et virum Unitarium impedimentum dubium disparitatis cultus intercessisse, ex eoque matrimonium eorum dubium censeri debere. — Porro ratio dubitandi primae huic quaestioni subiecta, quod Minister Unitarius matrimonio adstiterit, matrimonium hoc nullum esse non evincit: Etenim

2. Decretum C. Tridentini clandestina matrimonia irritans in Transsilvania suo modo, idest, in omnibus parochiis numquam publicatum fuisse patet ex historia Patriae. Dum enim Tridentinum a. 1563. 4. Dec. terminaretur, iam tunc sub Principe Joanne Sigismundo Catholico, dein Reformato, tandem Unitario, Episcopo vero ab anno 1545. exule, bonisque sacerdotalibus ad fiscum redactis, Transsilvania universa in varias sectas, erroresque recenter inductos desciverat, vix aliquot Catholicis Ecclesiis, ut in *Approbatis Constitutionibus* videre est, extra Siculiam relictis. Quibus sane miserrimis temporibus locus publicando Tridentino Concilio apud nos non fuit; sub quibus erroribus gemuit haec dioecesis ad hoc usque seculum, quo sub glorioso Augistiss. Principum Austriacorum regimine Religio Catholica sensim hactenus cultoribus ac ministris suis aucta est, qui sensim auditoribus pure catholicis usu et praxi Tridentinam constitutionem introduxerunt. Constat equidem superiori seculo Casimirum Domokos Vicarium Apostolicum ex Ordine S. Francisci in Csik-Somlyó statuisse, ut Conc. Tridentinum servetur. Verum ex eo nequaquam publica in omnibus parochiis promulgatio, sed illud duntaxat sequitur, quod Clerus, qui tunc perexiguus erat, coeperit decreta Concilii potissimum circa fidem ac mores, atque in materia matrimonii usu, praxi, et consuetudine observare, fidelibusque Catholicis observanda inculcare. Quod vero in locis et Parochiis sive Arianorum, sive aliorum heterodoxorum publicata aut usu etiam aliquando recepta fuerint, penitus non constat, consequenter heterodoxi legibus Tridentini matrimonialibus in hac Provincia obligati esse dici nequeunt. Ex adverso autem Minister Unitarius etsi dubie baptisatus, tam publico suorum imo omnium heterodoxorum errore, quam lege ipsa patria pro vero suorum auditorum pastore habetur, qui iis sectae huius sacramenta, aliaque munia ecclesiastica (quale est etiam assistere matrimonio in ratione contractus pure civilis, ad quod nullus ordo, imo nec baptismus absolute necessarius est, cum solum testem agat, nec in sensu catholico, nisi clandestinum matrimonium conciliet), administrare et possit, et

debeat. Itaque ex lege acta eius pro utroque foro valida censenda sunt, cumque ex ipso Tridentino sufficiat ad valorem matrimonii assistentia Parochi alterutrius contrahentium, necessario dicere debemus, matrimonium Agnetis Catholicae cum Unitario, assistente ministro Unitario, esse gravissime illicitum, ex hoc capite tamen et propter impedimentum clandestinitatis nullum dici non posse; qua in re plane apposite Benedictus XIV. Syn. Dioec. l. 6. c. 6. n. 12. haec habet: „Concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, quod sicuti valida declarata fuerant ea matrimonia, quae inter duos contrahentes haereticos sine Parochi praesentia inita fuerant, ita valida dici deberent illa, quae inter duas partes, alteram catholicam, et alteram haereticam eodem modo contracta forent; quoniam cum coniugum alter tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemtus sit a Tridentinae Synodi lege, exemtio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus, vi cuius exemtio, quae uni ex partibus competit, ad alteram secundum leges etiam extenditur eidemque communicatur."

3. Nullum adest nobis fundamentum praesumendi, Tridentinum publicatum apud nos suo modo fuisse. Etenim neque praesumtio iuris, neque facti hic locum habet: illa enim nulla adest, haec vero colligi deberet ex ordinarie contingentibus, verosimilibus, probabilibusque signis ac coniecturis, in quibus perinde deficimus. Quin recte contrarium praesumi potest ex iis, quae superius relata sunt, quod videlicet a Concilio Tridentino finito Acatholicis Principibus regnantibus, illud apud nos publicari non potuerit. Sed nec publicatum praesumi verosimiliter potest posterioribus his temporibus sub Principibus Austriacis: nam huius coniecturae nullum adest adminiculum, aut vestigium, quod saltem ex traditione maiorum exstare deberet. Quid quod referente laudato Benedicto XIV. L. 6. c. 6. n. 7. ex quorumdam Consultorum Congr. sententia ad probandam publicationem Decreti Tridentini praesumtio non sufficiat, nec sufficiat edita fuisse Regia Mandata pro Concilii publicatione, aut decretum de reform. matr. sed demonstrari opor-

teat publicationem per positivam probationem, quae saltem colligeretur ex immediata nec interrupta serie plurium actuum similium et decreto conformium. Per quod obviatur illi difficultati, qua a Cardinali Archi-Episcopo Strigoniensi Leopoldo a Kollonich in Hungaria publicatum esse Tridentinum asseritur. Neque enim pro Parochiis heterodoxorum in Transsilvania adest immediata et non interrupta series plurium actuum Decreto Tridentino conformium, ergo probatio publicationis in iisdem nulla nobis adest. Imo ad hoc, ut ostendatur Decretum Tridentini Concilii heterodoxos in Transsilvania non obligare, sufficit scire, Transsilvaniam ante finem Concilii ab avita religione maiori parte descivisse, siquidem ut Benedictus XIV. laud. loco n. 9. cum Palaviciuo animadvertit: „numquam futurum erat, idque Patres ignorare non poterant, ut novum Decretum ab heterodoxis acciperetur, et executioni demandaretur, eorumque matrimonia coram Parocho Catholico celebrarentur."

4. Minister Acatholicus non tantum fictione iuris, sed positiva lege Patriae heterodoxos nostros recipientis, liberumque illis sectae suae exercitium indulgentis Parochus omnino haberi debet in illis actibus et functionibus, quae usus Patriae et exercitium sui ministerii illis indulget; acta namque illorum functionumque eorumdem valorem nemo hodie in dubium absque confusione et publicae pacis perturbatione vocare posset, consequenter hic quoque locum habere debet lex: *Barbarius.*

5. An matrimonia Unitariorum sic considerari debeant, veluti matrimonia infidelium? constat ex iis, quae num. 1. congessimus, matrimonia Unitariorum consideranda esse velut dubie infidelium, scilicet propter dubium illorum baptismum.

6. Matrimonium Augustanae Confessioni addictorum, itaquo secundi viri Agnetis cum priori uxore sua, quam ut Lutheranus duxerat, passim pro valido sustinetur, eo, quod ex una parte Tridentinum apud ipsos non sit publicatum, ex altera vero tametsi errent in eo, quod matrimonium propter adulterium dissolvi posse existiment, reipsaque dissolvant, hunc tamen suum errorem contractui matrimoniali

non adiiciant, neque cum illa conditione: „donec in honestate permanseris" matrimonium ineant. Valet proinde hic illud: expressa nocent, non expressa non nocent; valent item ea, quae Benedictus XIV. 4. Nov. 1741. per Congr. Card. C. Trid. Interpretum super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta rescribi curavit, et quae doctissimus ille Pontifex Syn. Dioec. L. 6. c. 6. n. 6. et 7. de duorum heterodoxorum in Belgio matrimonii sine praesentia Parochi Catholici contracti valore his verbis refert: „Prima pars decreti versatur circa matrimonia inita vel ineunda inter duos coniuges haereticos sine Catholici Parochi praesentia, et de his quidem decernitur, ea valida esse tam quae iam facta sunt, quam quae eodem modo in posterum fieri contingat; ita, ut si ambo coniuges ad Catholicam Religionem convertantur, contracti matrimonii vinculo adstricti remaneant, absque eo, quod coram Parocho Catholico renovare consensum obligentur; si vero alter eorum convertatur altero in haeresi remanente, neutri fas sit ad alias nuptias transire, nisi alterutrius mors intercesserit, per quam maritalis nodus dissolvatur. In quo sane conformia fuerunt suffragia eorum, qui in Congregatione convenerant." Haec tanto magis favent Lutheranis nostris, quanto maioribus argumentis laudato loco n. 2. et 3. probatur in Belgio promulgatum reipsa fuisse Tridentinum, quod de Transsilvania asseri nequit. Ex quibus omnibus elucet, matrimonium Agnetis primum cum Unitario, et tertium cum Catholico in facie Ecclesiae initum dubium, secundum vero cum Lutherano converso, qui in Consistorio Augustanae Confessionis ab uxore sua ob adulterium divortiatus fuerat, contractum nullum exstitisse; primum enim propter dubium disparitatis cultus, tertium propter dubium ligaminis impedimentum dubium est, secundum vero propter certum Lutherani conversi cum priori sua uxore ligamen irritum censemus.

Tandem quid in praemisso casu agendum sit: satis manifeste docemur *Cap. 44. Inquisitioni tuae, de sent. excomm.* ubi Ecclesia matrimonium cum dubio impedimento contractum manutenendum decernit, statuitque, „conscienti-

am ex credulitate levi, et temeraria dubiam ad sui pastoris consilium deponendam, debitumque coniugale et reddi et exigi posse, verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta (ut in nostro casu ex gravi dubio de baptismo viri ariani dubium prudens necessario habere Agnes de valore matrimonii sui debet), debitum quidem reddi posse, sed postulari non debere, ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra iudicium conscientiae admittat offensam." E quibus deducitur: Agnetem (si circumstantiae admittant) cum primo suo dubio marito Unitario reconciliari, eique cohabitare reddendo debitum coniugale teneri, non tamen exigere posse; si vero reconciliari nequeat, innuptam manere debere eousque, dum defuncto viro Unitario, tertio catholico adhaerere possit et debeat; quodsi reconciliari Unitario posset, ne in tribulatione carnis reddendi quidem debiti coniugalis, sed non petendi ad mentem laudati canonis maneat diutius, illi de dispensatione sub conditione dubii impedimenti disparitatis cultus a Sede Apostolica providendum videretur. Interea vero tertio eiusdem viro Catholico aliud matrimonium denegari deberet, propter dubium cum Agnete connubium, quae si defuncto Unitario ad hunc tertium redire posset, contractum matrimonialem cum eodem prius dubium renovare deberet, ut illud undequaque validum redderetur. In reliquo.

386.

Lex in Comitiis a. 1791. rogata de religionaria educatione prolium e matr. mixtis.

Art. 57. Erga communem Statuum et Ordinum consensum benigne annuente Maiestate Sacratissima, determinatum est: ut proles e diversarum religionum parentibus, sive mixtis matrimoniis suscipiendae, sexum suorum parentum sequantur, et masculi in patris, foemellae vero in matris suae religione educentur ac baptisentur. Contractibus quibusvis in contrarium nihil valentibus.

387.

Resolutio R. circa copulationem Sponsorum mixtae religionis dd. 6. Octobr. 1802.

Copulationes personarum Catholicarum cum diversae religionis personis matrimonium contrahentium iuxta usum hactenus vigentem per Parochos quidem Catholicos peragantur, ita tamen, ut Parochis et Sacerdotibus Catholicis interdictum sit occasione eiusmodi copulationum ineunda mixta matrimonia quaqua ratione impedire, vel super educatione utriusque sexus prolium in Religione Romano-Catholica in obversum Art. 63. 1792. (idem cum art. 57. 1791.) Reversales a partibus nupturientibus exigere. Idcirco Catholici matrimonium coram Ministro alterius licet receptae religionis, quam alteruter nubentium profitetur, initum clandestinum est.

Monumenta ad historiam matrimoniorum mixtorum in Austriacis haereditariis Regnis.

388.

Extractus ex Agenda sive Rituali Olomucensi de an. 1745.

Pag. 222. Dubitabis, utrum ubi pars una Catholica, altera vero haeretica fuerit, ad matrimonium admitti possint? *Resp.* praxim obtinuisse, ut obtentis etiam Officialium licentiis Parochus recursum faciat ad Reverendissimum Episcopale Officium, id ipsum insinuando, et assecurationem a parte heterodoxa in scriptis datam de prolibus catholice educandis supplici libello adiungat, in quo simul exprimatur, an non periculum perversionis parti catholicae immineat.

389.

Extractus Decreti Tolerantialis Josephi II. pro Austria dd. 13. Octobr. 1781. editi, mixta matrimonia concernens.

Seine Majestät überzeugt einerseits von der Schädlichkeit alles Gewissenszwanges und andererseits von dem grossen Nutzen, der für die Religion und den Staat aus einer wahren christlichen Toleranz entspringt, haben sich bewogen gefunden, den augsburgischen und helvetischen Religionsverwandten, dann den nichtunirten Griechen, ein ihrer Religion gemässes Privatexercitium allenthalben zu gestatten, ohne Rücksicht, ob selbiges jemals gebräuchlich oder eingeführt gewesen sei oder nicht. Der katholischen Religion allein soll der Vorzug des öffentlichen Religions-Exercitii verbleiben; den beiden protestantischen Religionen aber, so wie der schon bestehenden nichtunirten griechischen aller Orten, wo es nach der hierunten bemerkten Anzahl von Menschen und nach den Facultäten der Inwohner thunlich fällt, und die Acatholici nicht bereits im Besitze des öffentl. Religions-Exercitii stehen, das Privatexercitium auszuüben erlaubt sein. Insbesondere aber bewilligen Seine Majestät:

VI. Hat es von Ausstellung der bisher gewöhnlichen Reverse bei Heirathen (welchen die Gerichte bis dahin Ausführung gegeben hatten) von Seite der Acatholicorum wegen Erziehung ihrer zu erzeugenden Kinder in der römisch-kathol. Religion, von nun an gänzlich abzukommen: da bei einem katholischen Vater alle Kinder sowohl männlichen als weiblichen Geschlechts, in der katholischen Religion zu erziehen sind, welches als ein Praerogativum der dominanten Religion anzusehen ist; wohingegen bei einem protestanstischen Vater und einer katholischen Mutter sie dem Geschlechte zu folgen haben.

390.

Circulare Consistorii Viennensis ad Parochos in merito Patentalium matrimonialium Josephinarum, signanter de mixtis matrimoniis, dd. 23. Junii 1783.

Nachdem die in Ehesachen erlassene allerhöchste Verordnung durch das in Druck gegebene Patent vom 16. Jänner d. J. anfangs durch öffentliche Zeitung kundgemacht, und so den 6. April dem Consistorium mitgetheilet worden: also ist erforderlich den Herren Pfarrern und Seelsorgern die Weisung zu geben, wie sie sich in vorkommenden Fällen zu benehmen haben.

1. Wird bei dessen Durchlesung ihnen alsogleich auffallen, dass sich das Patent nur auf den bürgerlichen Vertrag, und dessen bürg. Wirkungen beziehe, und dass

2. in selbem die Kirchenzucht in allen Theilen, in so weit selbe mit dem heil. Sacramente, zu welchem sie Jesus Christus der göttliche Urheber und Vollender unseres Glaubens, in dem Übermass seiner Barmherzigkeit erhoben hat, verbunden ist, ganz unberührt, und unverletzt, nach der beständigen und unfehlbaren Lehre der kath. apostol. Kirche, welche allein die Grundfeste und die Säule der Wahrheit ist, und nach den kanonischen Satzungen verbleiben müsse, daher werden

3. die Ehehindernisse, sie mögen gleich trennende oder nur hinderliche sein, die in dem Kirchenrathe von Trient neuerdings bestätiget worden und in der ganzen kath. Kirche bestehen, so wie selbe in dem erzbischöfl. Diöcesan-Ritual enthalten sind, durch die höchste Verordnung, in so weit es um das Sacrament der Ehe zu thun ist, nicht entkräftet und aufgehoben, sondern in ihren Eigenschaften und bisherigen Wirkungen vollkommen belassen; da also die allerh. Verordnung nur den Ehevertrag (Civilcontract), in so fern es die bürgerl. Wirkungen desselben betrifft, zum Gegestand hat, so fällt die Folge von selbst auf, dass jeder Pfarrer und Seelsorger sich bei den Trauungen nach den bestehenden kanonischen Vorschriften und Ordinariatsverordnungen,

wie selbe im erwähnten erzb. Diöcesan-Ritual enthalten, in so weit es das Sacrament der Ehe betrifft, zu achten, und zu benehmen habe.

13. Obschon die weltliche Gesetzgebung die Ehebündnisse der Katholiken mit Unkatholischen vollkommen, auch ohne Ausstellung der vorhin gewöhnlichen Reverse, erlaubet: so bleibt doch aus dem im §. 2. dieser Vorschrift angeführten Grunde richtig, dass das von der kath. Kirche auf solche Ehen wegen der nahen Gefahr des kath. Theils auf Irrwege verleitet zu werden, gemachte Verbot dennoch fortdaure. Dass die kath. Kirche die Verlobnisse mit Unkatholischen jederzeit gemissbilliget habe, kann einem Seelsorger wohl nicht unbekannt sein, besonders wenn der kath. Theil einwilliget, dass die Kinder in einer andern, als in der allein seligmachenden kath. Religion erzogen werden sollen; und ist eine ausgemachte Lehre, dass ein solcher kath. Theil sich schwer versündige, wenn nicht eben solche Ursachen vorwalten, bei welchen die Kirche für zulänglich erkennet, in ein oder andern besondern Falle einer Nachsicht sich zu gebrauchen; daher wird ein jeder Seelsorger und Beichtvater ermahnet, dass er noch in der Zeit mit Bescheidenheit trachten soll, dem kath. Theile das Gewissen, dessen er sich durch eine solche Verehelichung bei Gott verantwortlich macht, und die Gefahr, der er sich ausstellt, lebhaft darzustellen. Wenn aber die Trauung wirklich vor sich gegangen, und sich deshalben bei dem Seelsorger oder Beichtvater angeklaget wird, so liegt ihm seiner Pflicht gemäss ob, den kath. Theil zu ermahnen, auf der Huth zu sein, nicht auf Irrwege geführet zu werden, und um so eifriger, und emsiger die Pflichten, welche die kath. Religion fordert, auszuüben, und sich alle Mühe zu geben, sowohl den unkath. Ehegatten als die Kinder zur kath. Religion zu führen. Man hat aus der Erfahrung, dass der unkatholische Theil auf bescheidenes Zureden des Pfarrers vor der Trauung zur Erziehung der Kinder in der kath. Religion nicht selten sich habe bereden lassen.

16. — Die Herren Pfarrer, Seelsorger und Beichtväter haben eine besondere Aufmerksamkeit bei jenem katholischen

Theile zu verwenden, welcher mit einem Unkatholischen in eine Ehe sich einlässt, wenn er aus einer andern Ursache, als des Todes wegen, von seinem vorigen Gatten getrennt, und geschieden worden wäre. — Sollte aber ein kath. Theil mit einem Unkatholischen eine Ehe einzugehen Willens sein, so ist der Seelsorger in diesem Falle gleichfalls verpflichtet, der kath. Person, wie bereits §. 13. gemeldet worden, die Gefahr vorzustellen, welcher sie sich wegen der Verführung aussetzt, und die schwere Verantwortung einzuschärfen, die sie dereinstens vor Gott diessfalls haben wird, besonders wenn dieser einzugehenden Ehe die Bedingniss beigefügt wird, dass die zu erzeugenden Kinder in einer andern als in der allein seligmachenden kath. Religion erzogen werden sollen; und wenn dieser Vorstellung unerachtet der kath. Theil von seinem Vorhaben nicht abstehen wollte, so kann zwar der Pfarrer und Seelsorger eine solche Person in der Beicht nicht lossprechen, doch kann er eine solche Trauung vornehmen. Hingegen wenn eine kath. Person, welche schon wirklich mit einem Unkatholischen verheirathet ist, sich im Beichtstuhle anklaget: sowohl sich mit einem Unkath. verehlichet, als auch zur Erziehung der Kinder in einer andern, als in der alleinseligm. kath. Religion eingewilliget zu haben: so muss derselben der Auftrag gemacht werden, dass sie alle bescheidene Mittel anwende, sowohl ihren Ehegatten, als die Kinder zur wahren Religion zu führen.

391.

Nova Instructio e Consistorio Viennensi circa causas matrimoniales Parochis transmissa dd. 2. Junii 1785.

Da aus der von dem Erzbischöflichen Ordinariat ehemals an die sämmtlichen Seelsorger erlassenen Instruction über das Ehepatent verschiedene Missdeutungen entstanden sind: so hat dasselbe zur Vermeidung derlei künftigen Irrungen den höchsten Auftrag erhalten, sich hierüber näher zu erklären, und dem Clero diejenigen Maassregel bekannt zu machen, welche die Seelsorger in Ausspendung des Sacraments der Ehe vor Augen haben, und zugleich an die

Hand lassen sollen, wie die Erfüllung der Landesfürstlichen Gesetze erleichtert, folglich durch Beseitigung aller Verzögerungen, und Gemüthsunruhen der Partheyen das Beste der Kirche und des Staates befördert werden könne. — —

4. Wird den Herren Pfarrern und Seelsorgern in Betreff der ehelichen Verbindungen, die ein katholischer mit einem nichtkatholishen Theile einzugehen gedenket, die Erinnerung gemacht, dass es ihrer Bescheidenheit überlassen werde, den katholischen Theil nach Umständen an seine Gewissenspflicht zu erinnern, und ihm selbe zu Gemüthe zu führen.

392.

Extractus ex Epistola Pastorali Archiepiscopi Olomucensis C. Chotek mense Decembri 1832. ad Clerum dimissa.

— Scitis, filii dilectissimi, connubia Catholicos inter et Acatholicos lege nostra civili non prohiberi. Sed aeque notum erit vobis, quod dicit Apostolus, non omnia, quae licent, expedire. (1. Cor. VI. 12.) Et certe multos vestrum iam propria docuit experientia, quam funesta sint pietati et animarum saluti mixta inprimis ruricolarum matrimonia. Indifferentismus erga omnem religionem neglectus educationis prolium, discordiae continuae, in religionem catholicam contumeliae aut plane apostasia partis catholicae sunt, quae persaepe eveniunt. Nec mirum, non esse concordiam, ubi de ipsa fide, sine qua impossibile est placere Deo (Hebr. XI. 6.), et quae est omnis iustitiae radix et fundamentum (C. Trid. Sess. VI. cap. 8.) diverse sentitur. Dein connubii catholici cardo in eo vertitur, ut ad imitationem typi, qui est Christus et Ecclesia, alter alterius sanctificationem pro viribus promoveat. Jam fieri istud non posse, ubi non eadem agnoscuntur sanctificandi media, quis non videt? Tandem quantus moeror piae matri Ecclesiae Catholicae, filios suos, pro quibus a se Deo reddendam rationem novit, in fide catholica non educari! Quemadmodum ergo sollicitus pater filium a matrimonio, quod eidem

proficnum non agnoscit, omni quo potest modo dehortatur, et nonnisi ubi omnia effectu carnerunt, cedit: ita et vos, filii dilectissimi, agite in eo, de quo loquimur, negotio. Dehortamini, monete, obsecrate, pericula monstrate, et quantum potestis, rogate, si quis vestrorum tale intendit matrimonium, praesertim si sponsus est acatholicus. Quodsi vos tamen non audiunt, permittite quidem, eos pro dispensatione ad Nos accedere, ast studete saltem liberorum salutem per educationem et vigilantiam vestram extra periculum collocare. Si amor animarum, pro quibus Christus mortuus est, fuerit motivum laboris vestri, salus earum proemium vestrum erit.

393.

Opinio et propositio Archiepiscopi Viennensis Eduardi Vincentii Milde quoad Reversales de catholica prolium educatione in mixtis matr. post casum AEppi Coloniensis, depromta.

Nach meiner Meinung beruhet die Deutung, welche die Behörden dem Gesetze geben und gegeben haben, auf einem Irrthume. Kaiser Joseph II. höchstseligen Andenkens sagt in dem Gesetze:

a) „Von der Ausstellung der bisher gewöhnlichen Reverse hat es abzukommen." Welche Reverse meinte er? die durch die Hofverordnung vom 8. Decemb. 1770. publicirte allerh. Entschliessung, in der es heist: „1) soll ein solcher Acatholik, der eine katholische Weibsperson zu ehelichen verlanget, vor der priesterlichen Zusammengebung, bei dem *parocho sponsae* unter eigener Handschrift und Petschaft die *appromissionem antenuptialem de educandis prolibus utriusque sexus in religione catholicâ* von sich ausstellen, und solche appromissio in die Kirchenbücher eingetragen, und dabei wohlverwahrlich aufbehalten werden." — Diese *durch den Staat* vorgeschriebenen Reverse hat Kaiser Joseph abgestellet; er hat aber keineswegs verboten, dass die Partheyen sich über die Erziehung der Kinder in der kathol. Religion einverstehen, darüber eine Erklärung freiwillig ausstellen; er hat keineswegs erkläret, dass ein solches frei-

williges Übereinkommen nicht rechtskräftig sein soll. Ich höre, dass im J. 1805. die Hofkanzlei an das Ordinariat in Klagenfurt eine Entscheidung des Inhaltes erlassen habe: das non einem Protestanten ausgestellte Übereinkommen, alle seine Kinder katholisch zu erziehen, sei gültig, da nach dem §. 6. des Toleranzpatentes keineswegs verboten ist, ein anderes Übereinkommen zum Besten der kath. Religion zu treffen. Wenn diese Entschliessung wirklich erflossen ist, was ich nicht gewiss weiss, weil ich dieselbe nicht besitze: so zeiget sich, dass meine Meinung mit jener der Hofkanzlei übereinstimmet.

b) Kaiser Joseph 2. erklärte ferner in derselben Resolution: „Wenn der Vater katholisch ist, so sollen alle Kinder katholisch erzogen werden, welches als Praerogativum der kathol. Religion anzusehen ist; wohingegen bei einem protestantischen Vater und katholischer Mutter sie dem Geschlechte zu folgen haben." Er wollte hier eine Praerogative für die kathol. Religion festsetzen, aber keineswegs verbieten, dass die Knaben, wenn der Vater akatholisch ist, katholisch erzogen werden dürfen. Es ist nicht denkbar, dass seine Worte den Sinn haben sollten: „ich erlaube nicht, dass die Knaben katholisch erzogen werden." Er wollte nur sagen: „der Staat zwinget den akatholischen Vater nicht, seine Kinder katholisch erziehen zu lassen."

Wenn das Gesetz in diesem Sinne aufgefasset wird: so ist die Collision zwischen der Kirche, und dem Staate gehoben, und der Clerus wird in die Möglichkeit versetzet, Gott und Ew. Majestät zu gehorchen. Da die Erklärung über die Erziehung der Kinder dem freien Willen der Brautleute überlassen bleibet, so kann der akatholische Theil über einen vom Staate ihm auferlegten Zwang sich nicht beklagen, und der katholische Theil ist in seiner Gewissensfreiheit nicht beirret.

Nach meiner Meinung bedarf es nur eines Declaratoriums des bestehenden Gesetzes, damit der Clerus mit den Behörden nicht in Collision komme, und der Staat nicht in dem falschen Lichte eines Gegners der Kirche erscheine.

394.

Instructio ad Parochos de mixtis matrimoniis per Principem Episcopum Gurcensem in Carinthia Georgium Mayr, dd. 4. Junii 1838. dimissa.

Bei dem regen Bewusstsein meiner heil. Pflicht für das Seelenheil der mir anvertrauten Heerde eben so sehr, als für die treue und geregelte Pflichterfüllung meines Diöcesanclerus Sorge zu tragen, finde ich mich veranlasst, das amtliche Verfahren der Seelsorger bei gemischten Ehen meiner persönlichen Aufmerksamkeit zu unterziehen. Wer länger an paritätischen Orten gedient und zu erfahren Gelegenheit gehabt hat, wie nachtheilig die gemischten Ehen auf das zeitliche und ewige Wohl der Eheleute selbst, noch mehr aber auf die religiöse Erziehung der Kinder einzuwirken pflegen, wird leicht einsehen, warum dieselben unsere heil. Mutter, die kathol. Kirche, niemals billigen konnte, und sie mit allen ihr zu Gebote stehenden Mitteln hintan zu halten suchte. Ich erlasse demnach an meine Seelsorger hiermit folgende Weisung: 1. Wenn sich ein gemischtes Brautpaar zur Ehe meldet, so hat der Seelsorger mit Ruhe und Sanftmuth dahin zu wirken, dass der katholische Theil durch gründliches Belehren und eingreifendes Ermahnen von diesem seinem Vorhaben abgebracht werde. 2. Ist dies vergeblich, so trachte er von den Brautleuten einen schriftlichen Revers zu erwirken, wonach sie sich verbindlich machen, alle Kinder in der kathol. Religion erziehen zu lassen. Dies hat um so mehr zu geschehen, als das in einem speciellen Falle erlassene Hofdecret vom 6. Sept. 1805. intimirt durch das k. k. Gubernium zu Grätz, die Ausstellung solcher Reverse als Übereinkommen zum Besten der kathol. Religion, genehmigt, und die Aufrechthaltung der ausgestellten befiehlt. 3. Kann aber von den Brautleuten auch dies nicht erzweckt werden, so ist jeder derlei Fall dem Ordinariate anzuzeigen und meine Weisung darüber abzuwarten. Hiervon werden sämmtliche Herren Dekane den unterstehenden Klerus mit dem Bemerken in Kenntniss setzen, dass jeder Seelsorger diese Instruction bloss zu seiner Wissenschaft zu nehmen und somit von

der Kanzel nicht zu verkünden habe; jedoch ist dieselbe wörtlich in das Protokoll einzutragen. Klagenfurt, den 4. Juni 1838. Georg. m. p.

395—401.

Acta in Dioecesi Lincensi circa copulationem matr. mixtorum an. 1838. et 1839. interventa.

a) 395.

Literae Regiminis ad Episcopum Ziegler in merito denegatae matrimonii sine sponsione quoad catholicam prolium educationem initi benedictionis, dd. 20. Martii 1838.

Die Regierung ist durch die Anzeige des k. k. Regierungs-Rathes, und Kreishauptmannes in die Kenntniss gekommen: dass der Pfarrer von Ischl im Laufe des vor. Monats von dem Akatholiken N. N. welcher sich mit N. N. einer Katholikin verehelichen wollte, die Erklärung, dass alle Kinder dieser Ehe in der kathol. Religion getauft und erzogen werden sollten, abverlangt und die Ausstellung dieses Reverses zur Bedingung der Trauungsvornahme gemacht hat. Obwohl nun dieser Fall aus dem Grunde, weil der genannte Ehewerber auf diese wiederholt an ihn gestellte Anforderung, von seinem Heiratsvorsatze freiwillig abgestanden ist, als abgethan zu betrachten ist: so sieht sich die Regierung dennoch zur Vermeidung ähnlicher gesetzwidriger Vorgänge veranlasst, das Bischöfliche Konsistorium hievon mit dem Auftrage in Kenntniss zu setzen, dem Pfarrer von Ischl unter Hinweisung auf die ausdrückliche Vorschrift des allerh. Toleranzpatentes vom 13. Octob. 1781. §. 6. womit die Ausstellung der erwähnten Reverse gänzlich abgestellt worden ist, über sein gesetz- und toleranzwidriges Benehmen den verdienten strengen Verweis zu ertheilen; indem man zugleich von der Umsicht des Bischöflichen Konsistoriums erwartet, dass es ähnliche toleranzwidrige Anforderungen von Seite der kathol. Geistlichkeit hintanzuhalten, und überhaupt auf die genaue und strenge Beobachtung der Toleranzgesetze zu dringen wissen wird. Linz, am 20. März 1838.

b) 396.

Responsum Episcopi, dd. 22. Maii 1838.

Hochlöbliche etc. Da durch das k. k. Traunkreisamt zur Kenntniss gebracht worden ist, dass der Pfarrer in Ischl einem akatholischen Ehewerber die Ausstellung eines Reverses über die katholische Erziehung sämmtlicher aus seiner Ehe anzuhoffender Kinder zur Bedingung der Trauungsvornahme gemacht haben sollte: so hat eine hohe Landesregierung befunden, demselben „über sein gesetz- und toleranzwidriges Benehmen durch das Bischöfliche Consistorium den verdienten strengen Verweis" zugehen zu lassen.

Indem nun der Gefertigte voraussetzen muss, der Pfarrer in Ischl werde im genannten Falle nur seiner ihm sowohl durch landesherrliche als kirchlich-kanonische Vorschriften vorgezeichneten Pflicht getreu nachkommend die Braut auf ihre Gewissenpflicht aufmerksam gemacht, und ihr als einem seiner Jurisdiction unterstehenden Kirchengliede ernstgemessen aufgetragen haben, auf der katholischen Erziehung sämmtlicher anzuhoffender Kinder bestehen, und die Gewährleistung dieser Erziehung sich im Heirats-Contracte rechtskräftig sichern lassen zu sollen, was dem Wesen nach kirchlich vorgeschrieben, und da es durch keine landesherrliche Verordnung verboten ist, in hiesiger Diöcese häufig beobachtet, sogar durch die Organe der Staatsgewalt rechtlich geschützet wird: so bedauert der Gefertigte, dass ihm weder die richtige Verständniss des kanonischen Rechtes, noch sein Gewissen erlauben, über das im vorliegenden Falle beobachtete, so eben näher bezeichnete Benehmen des Ischler Pfarrers seine Missbilligung auszusprechen.

Nach der Ansicht des Gefertigten hat Herr Canonicus und Pfarrer Anton Leuthner nur der kirchlichen Vorschrift, die der gefertigte Ordinarius theilt, gemäss gehandelt. Derselbe gibt sich daher bei dieser Gelegenheit die Ehre, unumwunden, und wie es einem katholischen Bischofe pflichtmässig zusteht, zu erklären: dass er jedem Seelsorger seiner Diöcese, der ihn in dieser Angelegenheit je einmal be-

rathen hat, keine andere Weisung ertheilt habe, noch auch ferner ertheilen werde, als diejenige, welche Benedict XIV. nicht nur in seinem Erlasse de Syn. Dioec. l. 6. c. 5. n. 6. sondern auch in seinen Constitutionen vom 4. Nov. 1741. und 29. Juni 1748. nach ihm Pius VII. und Leo XII. erkläret haben, und welche erst kürzlich auf eine welthistorisch kündig gewordene Weise das Oberhaupt der Kirche allen Katholiken als Norm zu beobachten kundgab, nämlich: dass einer gemischten Ehe die priesterliche Einsegnung nur unter der Bedingung zu gestatten sei, wenn die vollständig begründete Hoffnung vorhanden ist, dass alle Kinder derselben in der wahren das ist katholischen Religion erzogen werden, und der rechtgläubige Theil sich bestreben wolle, seinen Gegentheil mit Liebe und Eifer auf den wahren Weg des Heiles zurückzubringen.

Die von dem Christenthum geleitete Vernunft spricht sich klar und siegreich für diesen praktischen Lehrsatz aus. Welche Eltern könnten wohl auch gleichgültig zusehen, ob ihre Kinder in der wahren oder in einer irrigen Religion erzogen werden? Die erste Forderung eines aufgeklärten Verstandes steht darin, dass er den Schöpfer seines Daseyns, dessen heiligen Willen anerkenne, und all' sein Thun und Lassen nach demselben füge. Der katholische Christ kennt in der göttlichen Offenbarung seine hohe Bestimmung, und ist überzeugt, dass ihm dieselbe durch ein apostolisches vom heil. Geiste stets vor jedem Irrthume gesichertes Lehramt in allen seinen Bedürfnissen die unfehlbare Leitung gebe. Die Belehrung, wie sich Priester bei der vorliegenden eben so wichtigen als schwierigen Frage zu benehmen haben, ist vom Oberhaupte der katholischen Kirche wiederholt entschieden, und von einer unzählbaren Menge von Bischöfen mit Dank empfangen worden, so dass über die kanonische Vorschrift, der sich zu fügen jeder Gläubige verbunden ist, kein Zweifel mehr obwalten kann.

Übrigens muss, damit nicht einer Meinung Raum gegeben werde, die von jener des Apostolischen Stuhles abweichend wäre, erklärt werden: dass, wenn auch die Kirche gemischte Ehen an sich für unerlaubt erklärt hat, dieselbe

dennoch gedachte Ehen als gültige Ehen anerkennt, so zwar, dass wenn dergleichen eheliche Verbindungen nach obgedachter Vorschrift des Kirchenoberhauptes geschlossen werden, die Seelsorger keinen Anstand zu nehmen haben, den priesterlichen Segen zu ertheilen. Wollen aber bei Schliessung derartiger Ehen die die katholische Erziehung der Kinder betreffenden Gewährleistungen nicht gegeben werden, so bleibt den Seelsorgern nichts übrig, als durch ihre Assistenz ohne alle Weihe zur Erziehung der Gültigkeit solcher Ehen in Kirche und Staat beizutragen; und hiemit thun die Seelsorger auch genug, da das Tridentinum zur Gültigkeit einer Eheschliessung nichts mehr erfordert, als die assistentiam parochi, und das allgemeine bürgerliche Gesetzbuch zu diesem Ende auch nicht mehr verlangt.

Vor und nach dem Concilium von Trient giengen mehrere Theologen so weit, dass sie behaupteten, es sey in dem Falle, als über die katholische Erziehung der aus einer gemischten Ehe anzuhoffenden Kinder keine vorläufige Gewährleistung gegeben wird, nicht nur nicht erlaubt, solche Brautleute kirchlich einzusegnen, sondern sogar unthunlich zur kirchlichen Solennisirung derselben auch nur durch die blosse passive Gegenwart oder Assistenz des Priesters beizutragen. Nachdem aber der heil. Stuhl zu Rom sich hierüber ausgesprochen hat, so kann der Gefertigte, damit nicht etwa der Meinung Raum gegeben werde, als pflichte derselbe einer von jener des Apostolischen Stuhles verschiedenen oder abweichenden Meinung bei, kein Bedenken tragen zu erklären, dass er die gemischten Ehen, wenn sie gleich durch das kanonische Recht (can. 16. caus. 28. q. 1.) als kirchlich unerlaubte Ehen erklärt, doch aber unter einem für kirchlich gültige Ehen angesehen werden, im Einklange mit dem Kirchenoberhaupte besagte Ehen ebenfalls als kirchlich gültige Ehen, überdiess aber nicht bloss für bürgerlich gültige sondern auch für bürgerlich erlaubte Ehen ansehe; wornach wenn dergleichen eheliche Verbindungen unter Beobachtung der über dieselben ergangenen kirchlichen Vorschriften geschlossen werden, die Seelsorger keinen Anstand zu nehmen haben, dieselben im Einklange mit dem Hofdecrete vom 16.

Aug. 1782. zum Vorzuge der dominanten Religion mittelst Ertheilung der priesterlichen Einsegnung zu heiligen. Wollen aber in derartigen Fällen die von der Kirche geforderten Gewährleistungen nicht gegeben werden, so bleibt den Seelsorgern freilich nichts anderes übrig, als mittelst ihrer blos passiven Gegenwart, und mit Unterlassung aller Einsegnung bei der ehelichen Willenserklärung zur Erzielung der Gültigkeit solcher Ehen das zu thun, was ihnen nach der Weisung des Apostolischen Stuhles ihr Gewissen erlaubt; hiermit thun sie aber auch genug, da weder das Concilium von Trient, noch das allgemeine bürg. Gesetzbuch §. 77. zur Gültigkeit solcher Ehen etwas Mehreres vorschreiben, und überdies durch den erst angezogenen §. des allg. bürg. Gesetzbuches die frühere in Ansehung der Trauungsvornahme bei Schliessung gemischter Ehen durch Hofdecret vom 16. Aug. 1782. eingeführte Praxis ihre nähere Bestimmung erhalten haben dürfte.

Sollte gegenwärtige Aeusserung, wie aus dem Inhalte des hohen Regierungsdecretes vom 20. März d. J. entnommen werden könnte, nicht zur völligen Beruhigung einer hohen Regierung dienen, so dürfte nach deren weisem Ermessen diese Aeusserung zur weitern Vorlage an die hohe k. k. Hofkanzlei geeignet befunden werden, was der Gefertigte wünscht, und warum derselbe hiemit unter Einem geziemendst bittet. Linz, den 22. May 1838. Gregor. m. p.

c) 397.

Circulares literae de mixtis matrim. dd. 23. Maii 1838.

Sat gravibus rationibus motus Ordinariatus Episcopalis haud supervacaneum censuit, Venerabili Clero suae Dioeceseos circa quasdam munus pastorale concernentes materias certam fixamque praescribere normam, quam singuli animarum Pastores casibus infra nominatis evenientibus observare tenentur.

3. Maximi momenti praeprimis nostro aevo sunt matrimonia mixta. Juxta Canones Ecclesiasticos antiquiores, quam maxime vero iuxta recentissima Romanorum Pontificum Bre-

via, Ecclesia Catholica matrimonia mixta valida declarat, eisdemque benedictionem ecclesiasticam impertiri permittit, ea tamen sub conditione, ut omnes ex eiusmodi matrimonio mixto oriturae proles in Religione Catholica instituantur et educentur. Ut igitur Ecclesiae Catholicae circa matrimonia mixta institutionibus et ordinationibus satisfiat, necesse est: ut Parochus Catholicus omni studio et sollicitudine Sponso vel Sponsae Catholicis quam maxime in animum inducat, quod tum ob obedientiam S. Matri Ecclesiae debitam, tum ob suam ac prolium salutem aeternam, denique eam ob causam, ut coram facie Ecclesiae matrimonium validum inire possit, firmum ac sanctum promissum a parte acatholica desideret, ac urgeat, ut omnes proles oriturae in Religione Catholica instituantur et educentur. Quodsi vero contingat, ut occasione matrimonii mixti ineundi vel pars catholica ob indifferentismum in religione iuxta Ecclesiae Catholicae institutiones agere detrectet, aut acatholica pars promissum de prolibus in religione catholica educandis emittere recuset, Parochus Catholicus sine mora et ante inaugurationem matrimonii Ordinariatum reddat certiorem, et ab eo normam hocce in casu procedendi petat.

Singuli Adm. Rev. DD. Decani rogantur, ut hasce literas Clero seculari et Regulari Curato communicent, eumque ad harum descriptionem, ne in oblivionem abeant, et ad accuratam observationem sedulo admoneant. Praeterea omnes Presbyteros in cura animarum constitutos in Domino hortamur, ut in suis ad populum habendis orationibus saepius de fidei articulis sermonem instituant veluti radicibus morum regulas proponendi atque inculcandi salubrius. In locis, ubi mixti Catholici cum Protestantibus vivunt, non raro de veritate Articulorum Nos inter et illos divergentium fundatus sermo ex ambone, at cum caritate habendus est, ne forte, quod facile fit, Indifferentismus etiam Catholicos corripiat.

Ex Consistorio Episcopali Lincii, die 23. Maii. 1838.
Gregorius, m. p.

d) 398.

Exemplum datae Parochis in casu particulari instructionis quoad assistentiam matr. mixtis praestandam.

An den Pfarrer zu Goisern. Bezüglich der gestellten Bitte um Weisung wegen Trauung zweier gemischten Ehen, wird dem Herrn Pfarrer bedeutet: dass, nachdem das Versprechen, alle Kinder katholisch erziehen zu lassen, von den akatholischen Bräutigamen nicht geleistet wurde, die Trauung nicht in der Kirche, sondern im Zimmer, im Talar, in Gegenwart zweier Zeugen, und mit Weglassung der kirchlichen Einsegnung vorgenommen werde. Der Herr Pfarrer hat sich genau an diese Weisung zu halten, um so mehr, da es heilige Pflicht des Ordinariates ist, die Anordnungen des katholischen Oberhauptes genau in Volzug bringen zu lassen. Vom Bischöflichen Ordinariate. Linz den 14. Juli 1838. Gregor. m. p.

e) 399.

Quaestio circa praeallatam Instructionem Episcopo per Regimen Politicum posita, dd. 2. Martii 1839.

Die Regierung ist in die Kenntniss gekommen, dass der Pfarrer zu Goisern jene gemischten Ehen, wo der akatholische Vater sich zu der ohnehin durch die Vorschrift des Toleranzpatentes vom 13. Octob. 1781. abgestellten Ausstellung eines Reverses über die katholische Erziehung sämmtlicher aus der Ehe geboren werdenden Kinder nicht herbeilassen will, nicht mehr feierlich in der Kirche eingesegnet, sondern sich nur darauf beschränkt, die beiderseitige Erklärung der beiden Brautpersonen, sich einander zu ehelichen, in Gegenwart zweier Zeugen, in seinem Zimmer im einfachen Talare ohne irgend eine kirchliche Feierlichkeit aufzunehmen, und diesen Akt in das Trauungsbuch einzutragen. Bei dieser Gelegenheit kam auch zugleich die der mit einem Akatholiken verehelichten katholischen N. N. nach ihrer Entbindung mit einem sodann in der Religion des

Vaters getauften Knaben verweigerte Vorsegnung zur Sprache. Indem man in dieser letztern Beziehung bei dem Umstande, als es sich um eine rein katholische Funktion handelt, die geeignete Amtshandlung dem Ermessen des Bischöflichen Consistoriums überlassen muss: wird Dasselbe zugleich beauftragt, über das von dem genannten Pfarrer hinsichtlich der Trauungen bei gemischten Ehen beobachtete Benehmen, da sich derselbe zu seiner Rechtfertigung auf einen ihm dieses Verfahren vorschreibenden Consistorial-Erlass vom 14. Juli 1838. beruft, unter Vorlage des letztern bis zum 15. d. M. einen aufklärenden Bericht zu erstatten, und zugleich nachzuweisen, ob, und unter welcher Autorisation der gleiche Erlass auch etwa an den übrigen Clerus ergangen ist. Linz, am 2. März 1839.

f) 400.

Responsum Episcopi, dd. 8. Martii 1839.

Über den hohen Erlass, die in Goisern stattgehabte Trauung einer gemischten Ehe betreffend, kann sich das Ordinariat, in dessen Bereich dieser Gegenstand gehört, nur dahin äussern, dass dasselbe auf seiner unterm 27. April — (22. Mai) v. J. abgegebenen Erklärung festzuhalten sich durch kirchliche Vorschriften verpflichtet hält, und nie, ohne sich an dem der Kirche schuldigen Gehorsame zu versündigen, anders handeln kann. Überdiess steht die Verweigerung der kirchlichen Einsegnung einer gemischten Ehe dem §. 75. des allg. bürg. Gesetzb. nicht im mindesten entgegen. Die hohe Landesstelle selbst sieht es ein, dass die Vorsegnung einer Mutter, deren Kind in der lutherisch-evangelischen Religion erzogen wird, eine rein katholische Funktion sei, worüber des Ermessen des Bischöflichen Consistoriums, oder, was eines und dasselbe ist, des Bischöflichen Ordinariates, das Geeignete zu verfügen hätte. Diess hat auch seine volle Richtigkeit. Aber um so viel mehr sind wir, einen priesterlichen Segen geltend zu machen berectiget, mit dem ein heil. Sakrament — das Sakrament der Ehe — in der engsten unzertrennlichen Ver-

bindung steht. Um so viel mehr liegt es in dem Bereiche, und in der vor Gott verantwortlichen Pflicht eines katholischen Bischofes, die sakramentalische Einsegnung der christlichen Ehe, welche die ihm unterstehenden Seelsorger verrichten sollen, genau zu bestimmen, nach der Sachlage zu verordnen, oder einzustellen.

Schmerzlich fällt es dem unterzeichneten Bischofe, in einer kirchlichen Angelegenheit von der hohen Landesstelle mit dem Worte: „dasselbe (das B. Consistorium) wird zugleich beauftragt, seinen Erlass vom 14. Juli 1838. an Pfarrer zu Goisern, und etwa auch andere dergleichen vorzulegen — bis zum 15. d. M. — und zwar unter welcher Autorisation" — angegangen zu werden. Der Erlass an den Pfarrer von Goisern wird hiemit ohne Anstand und ohne Besorgniss mit allem Vertrauen, und mit der, wie gesagt, unumwundenen Eröffnung unterbreitet, dass der Gefertigte nie eine andere Weisung an seinen Clerus über dieselbe Frage gegeben hat, noch ferner geben wird. Linz, den 8. März 1839.

g) 401.

Epistola Episcopi ad Summum Pontificem in merito mixtorum matr. dd. V. Cal. Jun. 1839.

Beatissime Pater! Matrimonia mixta Catholicos inter et Acatholicos, qui Protestantes appellari amant, multum quidem iam pridem, plurimum vero hodiedum ingenia vexant Theologorum, magis vero conscientiam et tranquillitatem Episcoporum in Germaniae terris. Quae res facit, ut diutius silere, ac veluti praesumta ex licentia casus quantocyus occurrentes solvere usque anxius haeream, cupiamque per omnia actionum mearum, qua par est, reverentia rationem reddere, nec non sanctae et summae Petri Sedis deinceps agendi normam petere. Controversia isthaec itaque tantopere impraesentiarum Sacrum Ordinariorum Tribunal ambit, ut antiquius nihil desiderari videatur, quam Sanctae et Apostolicae Sedis agendi regula vel pro cuiusque Dioeceseos exigentiis singularis, vel latior pro terris v. g. Austriae haereditariis. Parcat mihi Tua Sanctitas haec humiliter proponere audenti.

Matrimonia mixta, qualia apud nos obtinent, duplicis sunt generis. *Primum* salvas esse sinit tres sequentes conditiones a religiosis animarum curionibus iam dudum commendatas: a) ne vel minimum discrimen defectionis ab orthodoxa fide Catholicae parti immineat; quin imo b) haec eadem sedulam navet operam, ut protestanticus coniux piis suis conatibus pedetentim verae fidei reddatur pronior, atque demum, Deo propitio, ad catholicae religionis, unius salvificae, agnitionem ducatur; c) denique, ut omnes proles tali ex connubio prodeuntes quam certissime Sanctae Catholicae Ecclesiae deputentur. Matrimonium mixtum *alterum* a priore diversum, illud distingvitur, quod sine omni promissione proles utriusque sexus in Catholica religione educandi, paratur, servatis tamen ceteris SS. Canonum legibus.

Quae de duplici rei indole sentio, quaeve instante necessitate agenda censui, paterno iudicio Sanctae Sedis Apostolicae tota mente subiicio, non obsequioso silentio, uti faciunt hypocritae, sed interna immotaque obedientia. Probe mihi cognitum est, absque Divi Petri sententia dogma nullum, nullos ritus aut cultus stabili fulcro niti, ac promulgari salubriter posse.

Quod primum matrimonii genus attinet, secutus sum hucusque eandem ipsam sanctae et summae Sedis normam, iis provinciis in Germania datam, quas mixtae religionis populares inhabitant; hac ductus ratione, quod haud imparem in Dioecesi meis curis concredita rerum faciem obtinere conspiciam. Quodsi tempus et via patuisset, specialem a Sancta Petri Sede facultatem petendi, non mora petiissem, spe fretus eandem mihi in casu non absimili gratiam fieri, ac meis alibi fratribus concessa est. Verum enimvero hisce in circumstantiis praesumi licentiam malui, quam praeproperа instantia gravissimo negotio nocuisse. Atque tali modo arbitrabar me non meae, sed potius Summi Capitis sententiae morem gessisse. Quamvis enim haeretici formales ab omni Sacramentorum participatione ob conscientiae noxam secludantur: haeretici tamen materiales, quales censendi sunt ii, qui prolium suarum educationem catholicam ultro

spondent, mitius semper ab Ecclesia tractabantur, ac veluti a graviori peccato exemti.

Difficilior solutu mihi alterius generis quaestio visa est, siquidem nulla aut dubia promissio de cunctarum prolium in catholica religione educatione coniugium praecedat. Quum diu multumque huius rei caput pro et contra ruminarem, subito ad manus venit casus specialis consangvinitatis secundi gradus sponsum inter acatholicum, et sponsam catholicam: quo dato, ad S. Apostolicam Sedem recurrendum fuit. Prior viduus proles aliquot habuit Lutheranorum consortio deditas, quas ab eorum coetu reducere se haud posse adfirmavit, lubenter autem largiturum, ut surculi novi voti, si qui futuri sint, catholicis sacris imbuantur. Casum istiusmodi a me fideliter propositum Sanctissimus Pater ita resolvit: dispensari quidem dictum impedimentum hac conditione, ut matrimonium valide contrahatur, Parocho loci praesente, extra Ecclesiam tamen, et absque stola, rocheto, atque sine benedictione sacramentali. Praeterea vicini nobis Bavari referunt, eodem ibi modo idgenus matrimonia iniri, Sancta Sede Apostolica suadente 12. Sept. 1834. „Quodsi in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere dignoscatur, huiusmodi nuptias quantumlibet illicitas et vetitas coram parocho catholico potius, quam coram ministro haeretico, ad quem facile confugere possent, celebrari: tunc ipse parochus catholicus, aliusve sacerdos eius vices agens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis vulgo qualificati, seu auctorisabilis, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat."

Haec atque sequentia momenta me commoverunt, ut in casibus semel iterumque urgentibus adsistere Parochis idgenus contractui coniugali concederem, absque stola tamen, rocheto, et sacerdotali benedictione in aedibus honestis extra Ecclesiam.

Momenta, quae ab initio me adduxerunt, ne omnem Parochi adsistentiam, etiam passivam, malim dicere mate-

rialem, tantum ceu improbantem, prohibere censuerim, sequentia sunt: a) oviculam, quantumvis errantem, non omnino deserendam, aut quodammodo repellendam esse. b) magnum malum, cui obviari potest sine peccato, praecavendum esse. Magnum, inquam, malum certo certius secuturum, dum tandem aliquando ad meliorem frugem redire pars catholica meditabitur. Dicendum quippe tunc eidem fuerit, coniugium suum non solum fuisse illicitum, sed et invalidum, illudque continuam peccandi graviter occasionem praebere, nisi subito solvatur, utique nefas esse cohabitare, usquedum matrimonium huiusmodi revalidetur. Quae inde calamitates ac tricae exorirentur, nemo non videt. Dixi passivam satius negativam vel materialem adsistentiam. Nam contractus etiam in se illicitus, validus saepius esse potest. Eidem adsistere non probando, potius improbando, imo adhortando, ne ineatur, peccatum non est. Quae monita Parochos servare iubemus. Si autem contigerit testis non probans sed improbans, ut validum contractum reddat, praestetque plurima ob mala evitanda, idem iste ut validus fiat, adsistentia eiusmodi negativa non solum non noxia sed rata esse videtur.

Haec cum salvo meliori iudicio digero, candidissimo simul animo Ecclesiae Catholicae decernenda subiicio S. et Ap. Sedis sententia. O utinam mihi liceat ad Apostolorum limina provoluto, Sanctissimo Patri supplicare, qui Petri claves invictas ac nullo unquam die vincendas, qui M. Gregorii magnum nomen gerit, qui idem ipse Christi Petra, suo paterno affectu, summa sua sollicitudine, consilio, et fortitudine ac sapientia sua efficeret, quo magis et quo longius omnes offensionis lapides tollerentur. Dispersi per orbem Apostolorum successores, utut avitae fidei studiosissimi, in id eniti nequeunt, quod dirigendi, agendique inconcussam regulam definiat, nisi praesto sit Petrus, hortetur, muniat, corrigat, et praecipiat. Lincii, V. Cal. Jun. 1839.

402.

Memoriale Episcopi San-Hippolytani Wagner ad Regimen Politicum circa matr. mixta, dd. 7. Februar. 1839.

Hohes k. k. Landes-Praesidium! Der gehorsamst gefertigte Ordinarius benöthiget, um als treuer Unterthan Seiner Maiestät die Gesetze des Staates vollziehen, und seinen Pflichten als katholischer Bischof genügen zu können, in Absicht auf die Schliessung der sogenannten gemischten Ehen eine Facultät, welche von dem Päpstlichen Stuhle zu erlangen er um so sehnlicher wünschen muss, je leichter auch in dem hierseitigen Sprengel, wenn schon die Zahl der Akatholiken in Vergleich mit andern Diöcesen minder bedeutend ist, gemischte Ehen geschlossen werden können, und je weniger der Bischof den Anfragen und Zweifeln der untergeordneten Curatgeistlichkeit die erwünschte Belehrung und Entscheidung versagen darf.

Da nun das in den Oesterreichischen Staaten als Norm bei Schliessung der gemischten Ehen geltende Toleranzpatent zwar der katholischen Kirche durch die Bestimmung, dass die Trauung des Brautpaars gemischter Confession vor oder in Gegenwart des katholischen Seelsorgers vor sich gehen solle, unverkennbar einen Vorzug vor jeder nur tolerirten Confession einräumt; dagegen die Vollmacht, gemischte Ehen zu schliessen, nach den Kirchengesetzen und insbesondere nach der Bestimmung des frommen und gelehrten Papstes Benedict XIV. in dessen Werke de Syn. Dioec. lib. 9. cap. 3. nicht den Bischöfen zukommt, sondern dem Oberhaupte der kathol. Kirche vorbehalten ist: so sieht sich der gehorsamst gefertigte Ordinarius nicht ermächtiget, ohne Besitz der hierzu unerlässlichen Facultät den unterstehenden Seelsorgern die Sakramentalische Einsegnung gemischter Ehen zu gestatten, da ja Niemand Andern zu geben vermag, was er selbst nicht rechtmässig besitzt.

Der gehorsamst gefertigte Ordinarius vermag nur in und mit dieser unentbehrlichen Ermächtigung von Seite des

Apostolischen Stuhles seine Gewissensruhe bezüglich dieses Gegenstandes zu sichern, und in der Behandlung der gemischten Ehen jeden unliebsamen Conflict mit den Akatholiken und mit den Behörden, wie er sehnlichst wünscht, zu vermeiden.

Da die bürgerlichen Toleranzgesetze ungeachtet der oben erwähnten Bestimmung, der zufolge die Trauung gemischter Ehen im Beiseyn des katholischen Seelsorgers vorzunehmen ist, gewiss nicht die Vorschrift in sich schliessen, dass er selbe ohne Rücksicht auf kirchliche Gesetze trauen müsse; da vielmehr durch die bestehenden hohen Anordnungen es den Bischöfen gestattet ist, sich um Dispens in blos canonischen Ehehindernissen, so oft sie es zur Beruhigung der Gewissen der Partheyen nothwendig erachten, an den Päpstlichen Stuhl zu wenden: so fürchtet der gehorsamst gefertigte Ordinarius nicht eine Fehlbitte zu thun, wenn er in Gemässheit der hohen Hofkanzleiverordnung vom 14. August 1811. Ein Hohes k. k. Landes-Praesidium in Ehrfurcht bittet, gnädig zu gestatten, oder höhern Ortes die Bewilligung zu erwirken, dass er sich im vorgezeichneten Wege an den heiligen Stuhl in Rom verwenden dürfe, um die Vollmacht, gemischte Ehen sakramentalisch einsegnen lassen zu dürfen.

Geruhe Ein Hohes k. k. Landes-Praesidium dieses unterthänige Einschreiten, welches gegen kein politisches Gesetz verstösst, und von dem aufrichtigen Streben, dem Kaiser zu geben, was des Kaisers ist, und Gott und der Kirche zu geben, was Gottes und der Kirche ist, geboten ist, hochgeneigt zu würdigen, und zu gewähren, oder, falls es nothwendig erachtet werden sollte, höhern Ortes unterstützend einzubegleiten.

St. Pölten, am 7. Febr. 1839.

403—408.

Monumenta ex Hungaria et Austria recentissima.

---

a) 403.

Literae Primatis et Archiepiscoporum Regni Hungariae ad Summum Pontificem quoad matrimonia mixta dd. 10. Junii 1840.

Quae a pluribus felicis recordationis Summis Pontificibus circa mixta connubia sancita, quae causa novissimorum discriminum ex his provenientium per Sanctitatem Vestram providentissime acta, disposita, et enunciata sunt: pro inviolabili Ecclesiae Catholicae doctrina et disciplina habenda ac tenenda esse quo minus ambigimus, eo fortius monemur, ut ad eorum amussim Nostrum quoque hac in re usum observantiamque exigamus, ac sicubi deflexisset, revocemus.

Enimvero ad excubias gregis Dominici in talibus oris sumus positi, in quibus fideles Catholici asseclis Helveticae et Augustanae Confessionis, Ritusque Orientalis non-Uniti numero saepe paribus, nonnumquam et superioribus intermixti degunt, et e quotidiano consortio, rerumque civilium communione frequentissime mutua cum illis matrimonialis quoque vitae foedera pangunt; quocirca dum parte ab una id, quod doctrinae Catholicae integritas poscit, quod Sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis conforme, quodve muneri Nostro prorsus consentaneum est, opitulante Deo procurare adnitimur: parte ab alia merito anxii reddimur, ne Nostrum hoc studium collidat legibus civilibus pro ratione temporum apud Nos sensim eo declinantibus, ut propter tranquillandos concivium heterodoxorum animos hoc in capite rigor avitae disciplinae minus at-

tendatur, et scopo tuendae iurium civilium inter diversae religionis asseclas aequalitatis, praetensaeque reciprocitatis, libertas in ineundis mixtis connubiis ultra illos terminos, quos eisdem obligatio et convictio Catholicorum definit, protendatur.

In his angustiis probe et ante omnia memores: Sanctae Petri Sedi ita omnes per orbem Ecclesias consociari, et ad eam velut unitatis et communionis Catholicae centrum concurrere debere, ut exortem se mysterii intelligat esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere, ad Sanctitatem Vestram supplices confugimus, et in paternum sinum difficultates, dubia, pavoresque Nostros effundentes, consilio Eiusdem fulciri, doctrina erudiri, solari providentia, Apostolicae denique sententiae auctoritate tuti unanimesque reddi flagitamus.

Facimus id eo maiori cum promtitudine, quod Sacratissima Maiestas, Clementissimus Rex Noster, pro sua integerrima in Deum religione, atque insigni, qua Ecclesiam Catholicam complecti non desinit, benevolentia, hoc Nostrum ad Sanctitatem Vestram confugiendi propositum non tantum non impediverit, sed probaverit etiam, ultroque nos provocare dignatus sit, ut hanc complanandarum difficultatum viam ingredi non moremur, omniaque, quae Nos actu premunt, et anxios reddunt, quaeve Nobis pro futuro imminent, fiducia pleni Sanctitati Vestrae exponamus.

Ut rem nonnihil altius ordiamur, simulatque Regno huic tum incursione Turcarum, tum bellis intestinis per religiosa etiam dissidia nutritis diu multumque afflicto pax alma rediit: avita regnantis Augustissimae Domus Austriacae pietate zelum Episcoporum succolante, Ecclesiae Catholicae optime in eo prospectum fuit: quod mixta matrimonia non secus, quam si catholicam prolium omnium educationem firma et diserta contrahentium heterodoxorum virorum pacta certam reddidissent, inire licuerit; de cetero autem prout pars catholica in profitenda exercendaque salvifica religione nullum patiebatur obicem, ita passim metus quoque aberat, ne pars acatholica coniugem ab ortho-

doxa fide avocet, cum talis a fide defectio civilibus quoque poenis fuerit praecauta.

In hac institutorum civilium cum ecclesiasticis sanctionibus harmonia, praebebant suapte mixta matrimonia multis acatholicis coniugibus peropportunam agnoscendae ac subin etiam amplectendae veritatis Catholicae occasionem; sed hoc ipso, quod omnis fere periculi expertia, imo Ecclesiae incrementis proficua fuerint, sensimque facta sint frequentia, evenit: ut legi ecclesiasticae, quae secus ad ineunda mixta matrimonia specialem deposcit dispensationem, si etiam illa hoc in Regno vigorem aliquando obtinuisset (quod tamen nullis indiciis constat), subseque prorsus derogatum exstiterit.

Unde illud emersit incommodum, ut dum subin favor civilium constitutionum in ordine ad mixta matrimonia sacris legibus accomodanda variare, sensimque restringi coepisset, difficultas matrimonia mixta declinandi, aut ad tramitem legum ecclesiasticarum exigendi amplius increverit.

Inprimis veterem observantiam mutare coepit Decretum Regium anno 1781. editum: quod allatae quoad catholicam prolium omnium e mixtis matrimoniis suscipiendarum educationem provisioni generalem substituit normam id praecipientem: ut patris Catholici omnes proles catholicae sint, patris autem acatholici religionem filii, filiae denique sacra matris catholicae sequantur, facta in reliquo desponsis diversae religionis libertate, ut etiam citra Reversales de catholica prolium educatione editas, matrimonium inter se inire possint.

Dispositionem hanc, Episcopis incassum reclamantibus, in effectum deductam lex in Regni Comitiis anno 1791. rogata, et stabiliendam in perpetuum inter Regnicolas harmoniam ac unionem pro scopo sumens, nonnihil quidem temperavit; eadem tamen sicut mutuas diversarum in Regno hoc Religionum correlationes adusque moderabatur, ita quoad plura capita gravibus novissimo tempore Acatholicorum impetitionibus obnoxia, pro Clero autem Catholico multiplicis perplexitatis causa est. Vigore legis huius praestituto eo: „ut mixtis matrimoniis impedimentum quodpiam

quocunque sub praetextu ponere cautum sit, eadem semper coram Parocho Catholico iniri, proles autem, si pater catholicus sit, illius religionem omnes sequi debent, si autem mater catholica, tunc nonnisi proles masculae patris religionem sequi possunt."

Virtute eiusdem legis causae matrimoniorum etiam mixtorum foris Catholicorum spiritualibus iuxta leges utique canonicas iudicandae deferuntur; divortiales sententiae quoad coniugium pure acatholicum per propria fora latae Episcopos ad agnoscendam dissoluti vinculi nullitatem, eamque in casu, quo talis divortiatus acatholicus cum catholica persona coniugium inire vellet, ad Catholicos extendendam non obligant; denique allicere Catholicum ad sequendam confessionem heterodoxam severa sub poena prohibitum est.

Haec si cum cautelis auctoritate legeque ecclesiastica respectu mixtorum connubiorum defixis conferantur, inprimis animadversionem subit ius illud, quod patri acatholico ad prolem masculam in confessione sua educandam tribuitur. Qua in re tamen lex cum permissiva duntaxat sit, non autem imperativa, ductu genuinae interpretationis illibatam simul relinquit sponsae aut matri catholicae libertatem id postulandi, pactisque benevolis a coniuge acatholico impetrandi, ut prolium etiam mascularum educationem religiosam ipsa secundum conscientiam suam dirigat, eosque, quos in lucem edidit, vera Jesu Christi Religione imbutos in via salutis manuducere possit.

At vero, si sponsa, quod in promiscua disparium huiusmodi coniugiorum frequentia non raro evenit, in gravissimo hoc negotio sive de salvandis Ecclesiae Catholicae principiis non satis sollicita foret, sive sollicitudo eius renitentiam sponsi iuribus sibi de lege civili competentibus perfracte insistentis expugnare nequiret: praeallata lex propositum partis catholicae nuptias adeo inauspicatas prosequendi impedire disertis terminis vetat, et ut eaedem coram Parocho sponsae Catholico ineantur, districtim exigit; imo vigor etiam literarum reversalium, quibus per patrem acatholicum cautio forte de catholica omnium prolium edu-

catione praestita fuit, multis modis iam nunc impetitur, et enervari tentatur.

Quod porro ad ritus sacros, et benedictionem e praescripto Ecclesiae Catholicae in matrimoniis adhiberi solitam attinet, hanc quidem in celebratione mixtorum connubiorum impendi nec Altiores ordines, nec legis tenores ad planum et obvium sensum exacti praecipiunt: de facto tamen consuetudo communis et dudum inolita in Regno obtinet, ut matrimonia mixta, etiam citra praestitam de catholica omnium prolium educatione securitatem, ritibus sacris cohonestentur, et benedicantur; cui consvetudini Protestantes et pro horum causa suffragantes plane multi tum e Magnatibus tum praesertim e Statuum Ordine Catholici imperturbate deinceps quoque insisti magno nisu urgent, benedictionis substractione matrimoniis mixtis impedimenta poni, ipsique legi hac ratione offici praetendentes.

Qualiter igitur praerecensitae legis dispositiones, et praxis in harum atque has praecedentium Altiorum ordinum sequelam invalescens, eoque dudum deflectens, ut matrimonia mixta etiam citra praeviam de catholica omnium prolium educatione securitatem, passim benedicerentur, cum sensu Ecclesiae conciliari, et ad eius principia revocari possint? sollicitudinem Nostram tanto gravius fatigat, quanto firmius persuasum tenemus, et coram Sanctitate Vestra cum candore filiali pandere officii Nostri esse ducimus: Nos legi huic civili, alias, ut praemissum est, pluribus in capitibus Religioni Catholicae faventi, atque in hoc ipso puncto, quo matrimonia mixta coram Sacerdote Catholico casu in omni iniri indiscriminatim deposcit, non aliud, quam sanctimoniam dignitatemque matrimonialis foederis tueri intendenti, citra gravissima isthic Ecclesiae incommoda, tranquillitatisque publicae perturbationem vix ac ne vix quidem effectu scopoque eo, ut mixta matrimonia, dum de catholica omnium prolium educatione prospectum non est, prorsus non ineantur, contravenire posse, verendumque merito esse, ne eo facto parte quidem ab una Clerus, velut mixta huiusmodi coniugia impossibilia redditurus, violatae legis patriae reus arcessatur, gravissimisque persecutionibus, non sine magno

ipsius rei catholicae detrimento, eo certius exponatur, quod ob peculiaria Constitutionalis Regni huius instituta ipsum etiam Gubernium, optima licet in rem catholicam voluntate animatum, in adferendo nihilominus necessario ad illas propulsandas praesidio longe maiores ac alibi oppositos habeat obices; parte vero ab alia plures pro levitate aetatis ac ingenii occurrant sponsae, quae si se viderint per recusatam omnem plane Sacerdotis Catholici assistentiam spe expetito viro nubendi frustratas, in praesentissimum a fide ipsa deficiendi periculum impellantur.

Ne haec accidant, neve quassatus calamus conteratur, et linum fumigans extingvatur, Sanctitatem Vestram tenerrima cum filiali fiducia obtestamur, ut, cum pro validandis huiusmodi mixtis connubiis unicum, qui Nobis, usquedum lex praeattacta steterit, suppetebat, arripere coacti fuerimus modum, ut scilicet talia coniugia citra ullam Sacerdotis benedictionem aut cooperationem, praetermissisque quibusvis sacris ritibus cum mutua coram duobus aut tribus testibus consensus declaratione per materialem duntaxat proprii sponsae parochi qua testis auctorisabilis praesentiam seu sic dictam passivam assistentiam contrahi pateremur, huic Nostro, urgente necessitate extorto, et non sine fundata spe secuturae a Sanctitate Vestra ratihabitionis suscepto consilio Apostolicum suum annutum addere, taliterque clementer providere dignetur, ut et canonum sancitis, quantum temporum adversitas admittit, fiat satis, et vigens adhucdum lex patria, mixta matrimonia semper coram Parocho Catholico iniri praecipiens, inoffense servetur.

Ceterum ne quid eorum, quae apud Nos Catholicae Religionis causam attinent, Sanctitatem Vestram lateat, celare non possumus: graviora etiam pro futuro Nobis, rebusque Ecclesiae et Religionis Catholicae impendere discrimina; alteris quippe iam Generalibus Regni Comitiis inter acerrimas ab utrinque contentiones de eo actum est, ut praeattacta lex a. 1791. in iis capitibus, quae Catholicae Religioni favent, substantialem subiret mutationem; ac quamvis, ut Deus Nobis testis est, nihil a Nobis opis ac diligentiae desiderari passi fuerimus, quo iura principiaque Ecclesiae

Catholicae illibata praestentur, novissime tamen praevalentibus adversariorum studiis in eo fuit pro summo dolore Nostro coalitum, quin rogandae etiam hoc sensu legis tenor Augustissimo Principi iam substratus est: quo cetera inter disponeretur, proles omnes e mixtis matrimoniis progignendas deinceps in religione Patris educandas, et literas quasvis, quibus cautio de catholica prolium educatione praestaretur, pro futuro vigoris omnis expertes fore, ipsa vero huiusmodi matrimonia semper coram sponsi Parocho Catholico, aut alterius religionis ministro ineunda esse.

Equidem postulata haec in legum tabulas hac adhuc vice relata non sunt, et a superno Dei Optimi auxilio, ac religiosissimi Regis Nostri pietate optima quaeque speramus: dissimulare tamen non possumus, multas Nos etiam trepidandi causas habere, ne haec ipsa, ac signanter id, quod per Regni Ordines quoad modum ineundorum mixtorum matrimoniorum postulabatur, proximis occasionibus repetitim eoque importunius urgeantur, quo certius est, assistentia passiva ipsis acatholicis nequaquam satisfieri, imo abhorrere ipsos ab illa. Quodsi autem novius proposita provisio vim legis sortita fuerit, non tantum omnem admittendae per parochum catholicum etiam passivae assistentiae excludet facultatem, sed novis etiam et gravibus angustiis Nostras fideliumque Nostrorum conscientias involvet; neque enim dubitare fas est, Catholicos isthic lege Concilii Tridentini, velut quoad formam pro contrahendis matrimoniis praescriptam usu et consvetudine recepti, obstrictos esse; quod utique non obtinet relate ad acatholicos in hoc Regno iam a. 1606. publicis pactis liberum religionis suae exercitium nactos et ad parem cum Catholicis civilem ac politicam consistentiam positos.

Dum autem haec de statu Dioecesium Regni Hungariae et partium adnexarum ad notitiam Sanctitatis Vestrae humillime perferimus: silentio praeterire non possumus Albacarolinensem Magni Principatus Transsilvaniae aeque ad Coronam Hungariae spectantis Episcopatum, suffraganeo nexu Archiepiscopatui Colocensi obnoxium, cuius modernus Praesul, Venerabilis Frater Noster, datis ad infrascriptum Pri-

matem literis, modum aliquem anhelis desideriis optat inveniri, quo conscientiae suae anxietatibus subveniatur. Enimvero referente eodem Episcopo, hac etiam in Dioecesi viget ab antiquo illa praxis, legibus civilibus et altioribus dispositionibus subnixa, ut inter quatuor Religionum asseclas, Catholicos quippe, Helveticae, et Augustanae Confessionibus addictos, Unitarios item sive Socinianos, matrimonia mixta absque impedimento, coram Parochis Catholicis ineantur; ipsa porro educatio prolium e talibus matrimoniis susceptarum vigore legum annis 1791. et 1792. conditarum ita regulata habetur, ut masculi in patris, foemellae vero in matris suae religione baptisentur, ac educentur, contractibus quibusvis in contrarium nihil valentibus, qui ideo inoperose etiam exigerentur; invaluit denique et obtinet ab antiquo etiam in hoc Principatu mos ille, ut matrimonia mixta, quamvis ex illis suscipiendae proles non omnes in Catholica Religione educandae essent, per parochum Catholicum cum rituum sacrorum administratione benedicantur.

Quare Sanctitatem Vestram, reflexe ad omnia, quae Nos omnes premunt, quaeve Nobis imminent, ima cum devotione iam nunc oramus, ut cum non aliunde, quam ab Apostolica eiusdem Sede certum fidumque consilium, et adiumentum his in difficultatibus speranda habeamus, pro necessitatis ratione casuque in omni Sua Nobis auctoritate et sapientia benigne adesse, viamque commonstrare dignetur, quam ab errandi periculo tuti ingredi, prosequive valeamus. Apostolicam de cetero Sanctitatis Vestrae benedictionem humiliter implorantes, profundissima cum veneratione indesinenter persistimus. Dedimus Posonii die 10. Junii 1840.

b) 404.

Breve Gregorii XVI. PP. ad Primatem ad Archiepiscopos Regni Hungariae circa matrimonia mixta dd. 30. April. 1841.

Ven. Fratres etc. Quas vestro et communi istius Regni Antistitum nomine ad Nos per Ven. Fratrem Josephum, Episcopum Csanadiensem misistis, obsequentissimae literae partim moeroris, partim laetitiae causa Nobis exstiterunt.

Et sane cum pro Apostolici muneris officio sacrae doctrinae et disciplinae integritati cavere studiosissime debeamus: non possumus non moleste ferre, quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis Catholicos inter et Acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens Catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV. in Encyclicis literis ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celebratissimo opere, quod *de Synodo Dioecesana* inscriptum est. Quodsi alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur: id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas; quemadmodum in data ad Archiep. Moguntinum die 9. Octobr. 1803. epistola fel. rec. Pius VII. Decessoris sui ad Episcopos Vratislaviensem, Rosnaviensem, Scepusiensem responsiones commemorans, sapienter animadvertit. Hinc etiam accidit, ut, si aliquid de canonum severitate remittens haec Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus duntaxat de causis, aegreque admodum fecerit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus non modo ut coniux Catholicus ab Acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa divina et naturali lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat, quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit. Jam vero ex praedictis vestris literis com-

perimus, per istius Regni Dioeceses abusum communiter inolevisse, ut matrimonia Catholicos inter et Acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per Catholicos Parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea intelligitis, Vener. Fratres, quam graviter exinde affici debuerimus, maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceremus omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in Religionis negotio intra vastissimi illius Regni fines, quod antea Catholicae Fidei gloria tantopere praestabat. Nec sane dissimulamus, Nos sanctissimi quo fungimur muneris partes minime fuisse praetermissuros, si scilicet res pridem innotuisset. Hanc autem silentii Nostri causam ex eo etiam vobis pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias isthic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis, quae ex Sanctae huius Sedis instituto servari consueuerunt.

Inter haec tamen non parum solatii Nobis allatum est, quod uno tempore de ingruenti malo certiores facti, didicerimus pariter adhibita per vos Collegasque vestros studia ad illud opportune medendum. Et superabundavit quidem gaudio cor Nostrum, cum noverimus, quo coniunctim zelo inflammemini, ut Catholicae Fidei puritas illaesa usque permaneat; quaque unanimiter hanc Apostolicam Sedem, Veritatis ducem et magistram, observantia ac devotione prosequamini, ad illius nutum crediti vobis pastoralis officii rationem sedulo dirigentes. Ubi enim docti Nostris in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, perpendistis, praxim, quae isthic invaluerat, Ecclesiae principiis, ac legibus penitus adversari, ac proinde sine gravi periculo tolerari per vos diutius non posse: minime dubitastis communi consilio atque opera eidem tollendae ut par erat insistere, parati etiam fortiter sustinere pericula, si quae forent pro aeterna vestra gregisque salute obeunda. Ad Nostram autem laetitiam complendam accesserunt uberes fructus, qui ex Vestris curis illico dimanarunt. Neque

enim ignoramus, quam fideliter Parochi, et reliquus Clerus Vestris ea de re monitis praeceptisque fuerint obsequuti, ita, ut, illegitima consuetudine iam passim sublata, primaevae Sacrorum Canonum disciplinae consultum sit. Itaque gratulamur Vobis maiorem in modum, Vener. Fratres, et gratias agentes Deo, qui Vosmetipsos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine induit ex alto, hortari ac vehementius etiam excitare non desistimus, ut pari firmitate atque constantia pergatis Catholicae Ecclesiae causam propugnare, ne pravus usus uspiam reviviscat, et si quod adhuc superest illius germen funditus eradicetur. Interim vero non potuimus non attente respicere ad ea omnia, quae in memoratis Vestris literis addebatis, exponentes nimirum gravissimas circumstantiarum difficultates, unde permoti ac propemodum coacti tolerandum censuistis, ut siquando Catholicus vir aut mulier, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque Sacris Pastoribus, in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat, nec aliunde res absque maiori Catholicae Religionis discrimine valeat impediri: tum Parochi matrimonio ipsi passive tantum intersint ab omni religioso ritu et a quovis adprobationis indicio prorsus abstinendo. Qua quidem providentiae forma dum propositum Vobis erat praesenti necessitati prudenter occurrere, arduum huiusmodi negotium ad Nos quamprimum deferendum statuistis, assensum in id Nostrum impetraturi, quem ex urgenti causarum concursu praesumi tunc quodammodo posse arbitrabamini. Et reapse Nos, qui, ceteroquin sanctissimis Catholicae doctrinae institutis integre retinendis iugiter intenti, nequaquam omittimus calamitosis istarum regionum circumstantiis ortisque inde Vestris angustiis pro tradita Nobis potestate subvenire: quin susceptam per Vos consilii rationem improbemus, petitioni Vestrae ducimus indulgendum. Idque facimus congruenter ad ea, quae et Nos ipsi Praedecessorum Nostrorum exemplo circa aliarum ditionum loca haud ita pridem tolerantes admisimus; et iam ante alter illorum, sanctae nempe memoriae Pius VI. pro aliqua ipsiusmet Hungarici Regni Dioecesi pluries declaraverat. Is namque in responsione, quam

tum anno 1782. Vindobonae degens, tum subsequenti post suum in urbem reditum dandam mandavit Episcopo Scepusiensi, quamque huius Successori anno 1795. iterari iussit, ita de mixtis connubiis in iis temporum adiunctis agens mentem suam aperuit: „Quaecunque scilicet de hac re latae essent leges, oportere, ut Episcopus et Parochi studiose et prudenter curent, ne huiusmodi matrimonia fiant, et, si contrahantur, ut proles universa in Catholica Religione educetur: quoties vero, ipsis invitis, secus fuerit factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertienda, eorumque praesentia, si necessitas urgeat, sit tantummodo materialis, neque actibus et declarationibus coniungatur, quae confirment vel adprobent prolem aliter quam in Religione Catholica posse educari."

Siquidem igitur, Venerabiles Fratres, in Regni istius Dioecesibus ex temporum, locorum, ac personarum conditione quandoque contingat, ut matrimonium Acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo in Religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque (verbis utimur gloriosae memoriae Pii VII. in supranunciata epistola ad Archiep. Moguntinum) in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi nuptiae quantumlibet vetitae et illicitae coram Catholico Parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur: tunc Parochus Catholicus aliusve Sacerdos eius vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri *testis*, ut aiunt, *qualificati*, seu *auctorisabilis*, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His tamen in circumstantiis, uti idem Decessor Noster apposite commendabat, haud impari imo maiori etiam conatu et studio per Episcopos et Parochos elaborandum est, ut a Catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in Religione Catholica, quo meliori modo

fas erit, cautum sit, atque ut coniux Catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum intime dolentes, quod haec tolerantiae ratio erga Regnum professione Catholicae Religionis insigne fuerit ineunda, sincerissime coram Deo profitemur, Nos ad ipsam unica de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae Catholicae incommoda obveniant. Idcirco Vos, Venerabiles Fratres, cunctosque collegas Vestros per viscera Jesu Christi, cuius personam, immerentes utique, gerimus in terris, tota animi contentione obtestamur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeatis, quod implorato Spiritus S. lumine, istiusmodi fini revera censueritis respondere. Atque illud una simul satagite, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos fiat, ut in Catholico populo extenuetur memoria Canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. His Vestrum aliorumque sodalium Antistitum et Parochorum erit in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad connubia eadem pertinentes commemorare, accuratamque earum custodiam iniungere. Haec omnia ex spectata Vestra religione, fide, et in hanc Beati Petri Cathedram reverentia Nobis certissime pollicentes, coelestis auxilii auspicem, et Paternae Nostrae caritatis testem Apostolicam Benedictionem Vobis, universisque Collegis Vestris cum proprio cuiusque grege communicandam peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 30. Aprilis a. 1841. Pontificatus Nostri anno XI. Gregorius PP. XVI.

c) 405.

Instructio Cardinalis Lambruschini ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos in Hung. Regno.

Memores officii, quo assidue tenentur, advigilare, ut Catholicae Fidei puritas et sacrae disciplinae integritas nihil unquam detrimenti capiat, Hungarici Regni Antistites, ubi primum animadverterunt, invectam illic praxim benedicendi ac religiosis ritibus honestandi matrimonia, quae Catholicos inter et Acatholicos, nulla praevia Ecclesiae dispensatione, neglectisque necessariis cautionibus, iniri consueverant, utpote sanctissimis Religionis nostrae principiis et canonum statutis repugnantem, diutius citra grave piaculum tolerari non posse: omnem unanimiter curam atque operam impendere non distulerunt ad opportuna tanto huic malo remedia comparanda. At sicuti laetandum ipsis fuit de fideli Parochorum et reliqui Cleri studio in pastoralibus documentis monitisque perficiendis: ita pariter praesenserunt, quot quantisque difficultatibus ac molestiis sese atque illos his de causis obiicerent. Eiusmodi namque praesunt Dioecesibus, ubi Acatholicorum pars Catholicorum saepe numerum exaequat, et nonnunquam etiam excedit: atque adeo tales inibi leges vigent, quibus ratione inductae pridem utrinque civilium iurium aequalitatis, et consilio tuendae publicae pacis ac quietis, libertatem mixtas nuptias ineundi fovent, proindeque cum canonicis ea de re sanctionibus conciliari minime possunt. Nec reapse multum abfuit, ut in maximas redigerentur angustias; cum ex una parte nequirent Dei Ecclesiaeque causam prodere, ex altera vero violatae legis patriae perturbatique inde ordinis tam ipsi quam inferiores sacrorum ministri insimularentur. In hac difficili conditione positi, eoque insuper spectantes, ut imminentia Catholicae Religioni graviora incommoda prudenter averterent, subditumque sibi Clerum adversariorum iurgiis ac vexationibus eriperent, nec non iis potissimum ex leviori sexu prospicerent, quae ob negatam omnino illicitis suis nuptiis Catholici Sacerdotis praesentiam a fide facile essent

defecturae: in sententiam devenerunt tolerandi ex praesumto Sedis Apostolicae assensu, ut Parochi iisdem nuptiis, siquidem absque maioris mali periculo interverti non possent, passive tantum, exclusisque penitus sacris ritibus, adessent. Mox autem re ad ipsam Sanctam Sedem obsequentissime delata, fusiusque expositis angustiis, quae ex ingravescentibus in dies impedimentis Clero videntur impendere, tum per literas ad Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI. communi nomine datas, tum per Legatum huc votorum suorum interpretem Episcopum Csanadiensem initi abs se consilii ratihabitionem, simulque opportunum super universo hoc negotio Apostolicae auctoritatis auxilium atque adiumentum magna cum animi sollicitudine implorarunt.

Porro Sanctitas Sua, singulis matura consideratione perpensis, auditoque suffragio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium ex S. Congregatione extraordinariis Ecclesiae negotiis praeposita, summopere studens, salvis Catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi Apostolatus munere possit, subvenire postulantium eorum Antistitum angustiis, et molestas, quibus premuntur, difficultates minuere, maxime vero tristiora in Religionem et Ecclesiam mala praecavere: primum quidem debitas rependit laudes alacri ipsorum zelo in illicita, de qua dictum est, praxi tollenda, eosque vehementius excitavit ad firmiorem usque in salutari proposito constantiam; deinde susceptam per eosdem tolerantiae rationem ratam censuit habendam. Hinc rescribens ad memoratas nuper literas, tolerari posse declaravit, ut, quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium Acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud, quantumvis vetitum et illicitum, coram Catholico Parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem Catholicus Parochus, aliusve Sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat

meri testis, ut aiunt, qualificati, seu auctorisabilis, ita scilicet, ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre. Quibus tamen in circumstantiis apposite subdidit, non impari imo maiori etiam conatu ac studio ab Episcopis et Parochis elaborandum fore, ut a Catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut universae prolis educationi, quo meliori liceat modo, cautum sit, utque Catholicae Religioni adhaerens coniux serio admoneatur de obligatione curandi pro viribus conversionem acatholici coniugis; quippe quod ad patratorum criminum veniam a Deo facilius impetrandam apprime conducat.

Permotus praeterea Sanctissimus Dominus Noster iis, quae in praenunciatis literis per Hungaricos Antistites addebantur, quaeque ex ipsorum sensu uberius expressit Episcopus Csanadiensis, tali nempe providentiae forma haud satis mederi multiplici regionum necessitati, nec auferri suarum et Cleri anxietatum causas, habita praesertim ratione nuptiarum, quas ob denegatam etiam ex defectu cautionum Catholici Parochi benedictionem coram Acatholico Ministro iniri contingat: alia nonnulla pari benignitate decrevit super mixtis connubiis in Hungariae Regno, et Magno Transsilvaniae Ducatu indulgenda seu toleranda. Itaque praesenti Instructione Primati, Archiepiscopis, et Episcopis eiusdem Regni Pontificio nomine significatur: si recensitae superius circumstantiae in re, de qua agitur, intercesserint, pati ipsos ulterius posse, ut a Parocho Catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa religionem illorum, qui nuptias sint contracturi, tum etiam de peractis hisce proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur, nil aliud, praeter Ecclesiae vetitum ob mixtae religionis impedimentum, conciliando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, unde consensus aut adprobationis vel levis suspicio sit oritura. Quod autem attinet ad connubiorum istorum coram Acatholico ministro, seu non servata Conc. Tridentini forma, celebrationem: erit omnino Sacrorum Praesulum ac Parochorum stu-

diosissime instare, atque in caritate Dei et patientia Christi partem Catholicam hortari ac monere, ut illam nimirum ab tanti scandali turpitudine, quantum possint, absterreant. Siquidem vero huiusmodi ipsorum monitis atque hortamentis nihil, quod absit, proficientibus, mixta matrimonia ea ratione fuerint inita: inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab Episcopis et Parochis prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda; nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione appositae fuerint conditiones substantiae matrimonii ex catholica doctrina repugnantes. Ceterum quocunque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et necessarias cautiones, sive per passivam Catholici Parochi praesentiam, sive coram Acatholico Ministro contracta fuerint: illud Episcopis et Parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem, congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, eumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenentur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse, paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali reparationem, tunc sane poterit ipse Sacramentorum Ecclesiae particeps fieri, quemadmodum respondens die 13. Jul. 1782. Archiepiscopo Mechliniensi sanctae memoriae Pius VI. in rem adnotavit. Datum Romae die 30. April. 1841. A. Card. Lambruschini.

d) 406.

Instructio ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus circa matr. mixta, dd. 22. Maii 1841.

Cum Romanus Pontifex, pro imposito sibi divinitus Apostolici officii munere, sacrae doctrinae ac disciplinae integritati cavere studiosissime debeat; non potest non moleste ferre graviterque improbare quidquid in earum discri-

men induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis Catholicos inter et Acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere; cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Pontifex Benedictus XIV. in Encyclicis literis ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celebratissimo opere, quod *de Synodo Dioecesana* inscriptum est. Quod si aliquid de Canonum severitate remittens Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus duntaxat de causis aegreque admodum fecit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit.

Jam vero accepit non ita pridem SSmus Dominus Noster Gregorius Divina Providentia PP. XVI. per istas Dioeceses Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus abusum passim invaluisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione, sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea facile intelligitur, quo dolore exinde affici debuerit; maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceret omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, *indifferentismum* in religionis negotio intra vastissimae illius ditionis fines, quae catholico nomine tantopere gloriatur. Nec sane san-

ctissimi, quo fungitur, muneris partes fuisset praetermissurus, si res ante innotuisset. Hanc autem Pontificii silentii causam ex eo etiam pronum est conicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias isthic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis, quae ex Sanctae Sedis instituto servari consueuerunt.

Inter haec tamen non parum solatii Sanctitati Suae allatum est, quod una pariter noverit, plerumque earumdem Dioecesium Antistites, permotos praesertim Apostolicis in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, pastorali sollicitudine incubuisse ad praxim illam, uti Ecclesiae principiis ac legibus adversantem, pro viribus tollendam. Proinde debitas rependens laudes ipsorum zelo SSmus Dominus eos hortari ac vehementius etiam excitare non desistit, ut constanti studio pergant Catholicae Ecclesiae doctrinam ac disciplinam tueri, solertissime curantes, ne pravus usus reviviscat, atque ubi adhuc superest illius germen, funditus eradicetur.

Verum non potuit Sanctitas Sua non mature respicere ad maximas difficultates et molestias, quibus memorati Antistites subditusque iis Clerus identidem premuntur; quemadmodum liquet ex literis, quas Archiepiscopi earum regionum ad ipsam Sanctitatem Suam miserunt, opportunum super gravissimo hoc negotio Apostolicae auctoritatis auxilium atque adiumentum implorantes. Cupiens hinc, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi Apostolatus munere valeat, subvenire difficilibus istarum Dioecesium circumstantiis, ortasque inde Antistitum angustias minuere, eam ibidem statuit adhibendam, et praesenti Instructione significandam tolerantiae prudentiaeque rationem, qua Apostolica Sedes mala illa patienter solet dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel, si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem aditum possunt patefacere.

Siquidem igitur in praedictis Dioecesibus quandoque fiat, ut, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, catholicus vir aut mulier in

contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat, et aliunde res absque gravioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti plane non possit, simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse agnoscatur, si huiuscemodi nuptiae, quantumvis illicitae ac vetitae, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, celebrentur: tunc parochus catholicus aliusve sacerdos eius vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, qualificati seu auctorisabilis, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His tamen in circumstantiis haud impari, imo impensiori etiam conatu et studio per praenunciatos Antistites et Parochos elaborandum erit, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri possit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori liceat modo, prospiciatur, atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum SSmus Dominus intime dolens, quod haec tolerantiae ratio erga ditionem catholicae fidei professione insignem fuerit ineunda, Antistites ipsos per viscera Jesu Christi, cuius personam in terris gerit, tota animi contentione obtestatur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeant, quod, implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censuerint respondere; atque illud una simul satagant, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria Canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae, qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. Quare eorumdem Antistitum et Parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad ea connubia

pertinentes commemorare, accuratamque illarum custodiam iniungere. Quae quidem omnia ex spectata ipsorum religione, fide, et in B. Petri Cathedram reverentia Sanctitas Sua sibi certissime pollicetur. Datum Romae die 22. Maii anno Domini 1841. A. Card. Lambruschini.

e) 407.

Epistola Encyclica Primatis Regni Hungariae, qua Breve Pontificium cum Clero Curato communicavit dd. 18. Novemb. 1841.

Admodum Reverende etc. In tribulationibus, quae Nos, totumque Catholicum Clerum ob Ecclesiae doctrinam, et praxim in mixtis matrimoniis integre custoditam, per biennii tempus adfligere non cessarunt, consolationem attulit Apostolicum Sanctissimi Domini Gregorii PP. XVI. dd. 30. April. curr. anni expeditum Breve, benigni item Placeti Regii eidem Apostolico Brevi per Sacratissimam Caes. Reg. Apost. Maiestatem die 12. Octobr. a. c. sub consuetis cautelis additi accessio.

Sua Sanctitas in praelaudato Apostolico Brevi responsa promens ad recursum Archi- et Episcoporum Hungariae medio Excellentissimi Domini Episcopi Csanadiensis in obiecto mixtorum matrimoniorum ad Apostolicam Sedem perlatum, adfirmare non dubitat, graviter se exinde affici debuisse, cum invectam et usque adeo propagatam perspiceret in Regno hoc mixtarum nuptiarum libertatem, ut illae, nullis licet praeviis necessariis cautionibus interpositis, per Parochos Catholicos benedictione, sacrisque ritibus honestarentur; atque adeo funestissimus in Religionis negotio indifferentismus in dies magis promoveretur. Nec dissimulat, sanctissimi sui muneris partes minime Se praetermissuram fuisse, si res ea Sibi ante innotuisset. Inter haec tamen non parum solatii se hausisse inde significat, quod uno tempore certior facta didicerit, adhibita esse per Archi- et Episcopos studia ad ingruens malum opportune medendum. Susceptam porro per Hungariae Archi- et Episcopos scopo hoc consilii rationem, in Encyclicis 2. Jul. 1840. publicatis expositam, non modo non improbat, quin gratulatur etiam

maiorem in modum, et Deo, qui Episcopos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine ex alto induerit, gratias agit, Parochorum etiam et reliqui Cleri fidelem et unanimem cooperationem meritis laudibus extollendo. Ad haec eam expresse declarat Sua Sanctitas indulgentiam, ut si quando contingat, ut matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, conantibus licet per debitas suasiones, hortationesque sacris pastoribus, absque cautionibus ab Ecclesia praescriptis coram parocho catholico contrahatur; tunc (praemissis a parocho catholico consuetis proclamationibus, absque tamen ulla circa desponsorum religionem mentione) parochus idem catholicus, aliusve sacerdos eius vice fungens possit iisdem nuptiis, quantumlibet vetitis et illicitis, materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, qualificati seu auctorisabilis, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. Nihilominus in his etiam circumstantiis (ita monente Sua Sanctitate) omni conatu et studio per Episcopos et Parochos elaborandum est, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri potest, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in Religione Catholica, quo meliori modo fas erit, cautum sit, atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem. Qua indulgentiae ratione declarata, Sua Sanctitas coram Deo profitetur, ad eam hac unica causa Se adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae Catholicae incommoda obveniant; confestimque subiungit, incumbere Antistitibus et Parochis, ut in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad connubia mixta pertinentes commemorent, accuratamque earum custodiam iniungant.

Dum autem Apostolico huic Brevi Sacratissima Maiestas Caesareo Regia et Apostolica benignum Placetum Regium addere dignata est, altissimam suam voluntatem in eo simul declarandam iussit, ut animarum curatores in sensu

praeallatae ordinationis Pontificiae connubiis mixtis materiali duntaxat praesentia assistentes solerter vitent omnes inconvenientias, quae novae Acatholicorum concitationi ansam praebere possent. Quare quemadmodum Dominis Curatis in Encyclicis Nostris de 2. Jul. 1840. editis, adnexaque Instructione, ac etiam alias quavis occasione omnis in occurrentibus passivae assistentiae casibus moderatio et gravitas, debitumve decorum, ac notanter, ut consensus declaratio per Sacerdotem veste ecclesiastica statui suo convenienti indutum, loco decenti sive in aedibus parochialibus qua officii loco excipiatur, diserte identidemque inculcatum fuit: ita id ipsum nunc serio rursus omnibus sacris Curionibus iniungitur.

Quia vero contingere posset, ut non praestitis opportunis cautionibus desponsi mixtae religionis ob denegatos ex parte catholici parochi sacros ritus Evangelicum Ministrum scopo ineundi coram illo matrimonii accedant: idcirco Dominationes Vestrae in simili casu id observandum habebunt, ut intentione seria connubium mixtum coram Acatholico Ministro ineundi intellecta, partem catholicam in charitate Dei et patientia Christi hortari ac monere non omittant, quo illam a tali scandalo et manifesta non tantum sacrorum canonum sed etiam patriae legis, sive art. 26. 179⁰/₁. transgressione absterreant. Si vero huiusmodi suis monitis, atque hortamentis ad matrimonium tale coram parocho catholico iuxta exigentiam etiam patriae legis ineundum nihil profecissent, in tali casu nihil ultra motu proprio praesuscipiant, sed re ad Ordinariatum delata congruam inviationem semper ab illo expetant.

Demum ad hoc dilucide ob oculos ponendum, quam non nos ipsos in toto hoc obiecto quaeramus, nec aliquid peculiare sectemur, sed doctrinae ac praxi quoad cautiones in mixtis matrimoniis requisitas conformi totius Ecclesiae adhaereamus: testimonia irrecusabilia eam in rem collecta ⁒ sub ⁒ exhibentur. Relucens in his universalis Ecclesiarum particularium consensio, toties enunciato Capitis Ecclesiae sensu roborata, non potest non ad confirmandam convictionem et conciliandam Catholicorum animis plenam conquie-

scentiam plurimum momenti habere; quemadmodum etiam ad refellendam erroneam illam opinionem, quasi nostra doctrina et praxis (illa ipsa, penes quam alibi pax, et tranquillitas concivium tutissima consistit) ad ciendas turbas, divellendosque ab invicem animos comparata esset, plurimum conferre. Recessus ab hac communi Ecclesiarum consensione in Hungaria ab aliquo tempore, qualicunque modo invalescens, iuxta rectas legitimi usus et consuetudinis notiones, non istiusmodi usus, sed deviationis, in Apostolico Rescripto *abusus* nomine perstrictae, rationem habet, cuius corrigendi potestas, imo obligatio tam legibus quam usu legitimo continuo integra semper penes Episcopos perstitit. Inde sane est, quod *Nicolaus* olim *Telegdi* Episcopus Quinqueecclesiensis, et Archiepiscopatus Strigoniensis Administrator, in *Agendario* libro a. 1583. conscripto, et pro usu Curati Cleri typis procuso, palam professus sit: „eam partem sacrorum rituum, quae rationem et formam Sacramenta administrandi, certas personas et res benedicendi, ac nonnulla alia, quae proprie muneris sunt parochialis, continet, diligenter recognitam *et ad normam sacrorum canonum revocatam* ab se emitti, Parochisve et aliis Curatis exhiberi." Quod ipsum deinceps etiam ab Episcopis, dum necessitas poscebat, factum fuisse, libri Rituales, Pastorales Literae, et Synodorum Statuta abunde comprobant.

Reliquum est igitur, ut, quam doctrinam et praxim velut principiis legibusque Ecclesiae Catholicae consentaneam et nec a genuino legis patriae sensu alienam, consensione Ecclesiae universae catholicae, auctoritate Supremi totius Ecclesiae Capitis, probatam esse, Dominationes Vestrae intelligunt, illi, prouti hactenus non sine magna sui laude fecerunt, deinceps etiam firmiter insistant, non deflectendo sive ad dextram, sive ad sinistram; quo fine Divini Numinis opem adesse eis ex animo precor, et assiduis ad Deum precibus flagito; paternamque benedictionem meam peramanter omnibus impertiens, iugi cum propensione persisto. Strigonii, die 18. Nov. 1841.

Provocatum sub ./· complectens testimonia, e quibus videre est, doctrinam et praxim, quam Ordinariatus Hungariae circa mixta matrimonia sequuntur, toti Ecclesiae Catholicae communem esse.

A) Gallia. Testimonium Archiepiscopi Parisiensis.

Nos Archiepiscopus Parisiensis habemus honorem declarandi, et certiorem reddendi Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Strigoniensem, Principem Primatem Hungariae, quod dum pars catholica partem acatholicam matrimonio sibi iungit, sequentes observentur regulae: 1. Dispensatio datur per Sedem Apostolicam, nisi vigore indultus a Sua Sanctitate accepti Ordinarius posset dispensare. 2. Dispensatio non secus conceditur, quam sub conditione, ut pars acatholica promittat sub fide iurata, proles utriusque sexus in religione catholica educandas esse. Interim non est sine exemplo, ut loco iuramenti Summus Pontifex contentetur simplici promissione. 3. Quantum ad cerimonias, quae celebrationem matrimonii comitantur: illae exacte sunt indicatae in novo Rituali Parisiensi, quod hoc in puncto omnibus Regni Ritualibus conforme est. — Parisiis, die 9. Sept. 1840.

Dionysius, Archiepiscopus Parisiensis.

B) Belgium. Testimonium Archiepiscopi Mechliniensis.

Ad informationem de praxi Belgii ob oculos ponendam Eminentissimus Cardinalis et Archiepiscopus Mechliniensis submisit originalem recursum pro Thoma Cock Bru-

xellensi incola acatholico, et Paula Parmentier catholica, fine dispensationis in cultus disparitate a Sua Sanctitate obtinendae ad se directum; dein subiunxit viri acatholici scriptam promissionem de prolibus omnibus catholice educandis, et parte catholica in exercitio religionis suae non turbanda; demum adjecit formulam dispensationis suae typis expressam, et hoc stylo conceptam: „Engelbertus etc. receptis Apostolicis literis etc. legitime informati quod preces veritate nitantur, quod ad adimplendas conditiones in iisdem literis praescriptas dictus N. coram Nobis emiserit iuratam obligationem permittendi educationem prolis utriusque sexus in religione catholica, nec impediendi coniugi et proli liberum catholicae religionis exercitium, per praesentes dispensamus cum antedicta N. ut matrimonium cum — acatholico coram parocho et duobus testibus iuxta praescripta a S. Concilio Tridentino, extra tamen Ecclesiam, sub qua Sacristia comprehenditur, sine parochi benedictione rite contrahere — — libere et licite valeat etc." His instrumentis in unum compositis idem Emin. Cardinalis haec subscripsit: *Universis has visuris testamur, in adiunctis documentis praxim Episcoporum Belgii circa matrimonia mixta contineri.* Datum Mechliniae sub nostris signo sigilloque die 30. Aug. 1840. *Engelbertus, Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis.*

C) Hollandia. Testimonium Ordinarii Buscoducensis.

Infrascriptus Administrator Apostolicus Dioecesis Buscoducensis in Regno Norlandico testor, praxim Dioecesis huius quoad matrimonia mixta esse, ut sequitur: In vim Decretalis Rescripti Benedicti XIV. dd. 4. Nov. 1741. matrimonia mixta etiam absque proprii parochi praesentia contracta, hic sunt valida, licet semper illicita. Unde parochus nullatenus iis assistit, nec assistere potest. Leges civiles matrimonia cuncta ut contractum mere civilem habent. Unde quoad matrimonia mixta hic Ecclesiam inter et Statum Civilem nulla unquam nasci potest difficultas. Parti catholicae,

quae tales iniit nuptias, Sacramenta administrantur, si facti poenitens dolorem suum de commisso crimine manifestet, et ante Confessionem Sacramentalem sinceram emittat protestationem de compartis procuranda conversione, item promissionem renovet, proles omnes in Religione Catholica educandi, nec non reparandi scandalum ceteris fidelibus datum. Ut licite ineantur matrimonia ista, dispensatio requiritur Pontificia, quo casu iuxta tenorem Rescripti Pontificis proceditur. Dabam in Heitel S. Michaelis, die 15. Aug. 1841. *H. den Dubbelder*, *Dioec. Buscod. Admin. Apost.*

D) **Anglia.** **Testimonium Vicarii Apost. Londinensis.**

Thomas etc. A nobis requiritur, quaenam sit Districtus Londinensis praxis circa matrimonia mixta, praecipue quoad prolis utriusque sexus educationem? Respondemus: Nos sequi quoad substantiam (cum Decretum Conc. Tridentini circa clandestina matrimonia numquam fuerit in Anglia publicatum), quae de his matrimoniis a Summis Pontificibus Leone XII. et Gregorio XVI. statuta sunt; et cum nefas esset, naturali aeque ac divina lege prohibitum, catholico seu catholicae sui ipsius vel prolis fidem periculo perversionis exponere, matrimonia mixta a Missionariis nostris non benedicuntur, nisi prius constet partem catholicam libere ipsius religionem sequi posse, et prolem utriusque sexus in catholica religione educandam esse. In quorum fidem has praesentes manu et sigillo nostris munitas et a secretario nostro subscriptas damus ex aedibus nostris Londini, die 6. Aug. 1841. *Thomas*, *Eppus Olenensis*, *Vic. Apost. Londinensis.* De mandato Illmi ac Rssmi Dni mei Eppi *Henricus*, *Presbyter Secretarius.*

E) **Helvetia.** **Testimonium Episcopi Lausannensis.**

Petrus Tobias Yenni etc. Cum fuerit quaesitum a Nobis, quaenam sit praxis nostrae Dioecesis circa matrimonia

mixta, maxime quoad prolis utriusque sexus educationem? quae sequuntur, declaramus et testamur: 1. Servantur ad amussim, quae circa huiusmodi matrimonia a Summis Pontificibus Pio VIII. Gregorio XVI. eorumque Antecessoribus statuta fuerunt, ac proinde 2. Quotiescunque petitur dispensatio super impedimento mixtae religionis, recurritur ab Episcopo ad S. Sedem. 3. Priusquam recurrat Episcopus et petat dispensationem, constare debet de promisso authentico ex parte acatholica: prolem utriusque sexus educandam esse in catholica religione, nihilque obstiturum, quominus catholica pars sua religionis officia adimpleat. In ipsa autem dispensationis petitione fit mentio de hoc promisso. 4. Si, spreta lege Ecclesiae, Sponsi absque apostolica dispensatione statuerint coram ministro acatholico matrimonium inire, partis catholicae parochus matrimonio non assistit, nec illud praevie in Ecclesia denunciat. In quorum fidem etc. Datum Friburgi in aedibus Episcopalibus, die 21. Jul. 1841.

Petrus Tobias, Episcopus Lausannensis et Genevensis.

F) Hannovera. Testimonium Ordinariatus Osnabrugensis.

Carolus Antonius Lüpke, etc. Cum quaesitum a Nobis sit, quae in Dioecesi Osnabrugensi sit praxis respectu matrimoniorum, quae a diversae Confessionis Christianae personis contrahuntur, respondemus prout sequitur: 1. Denunciationes ante matrimonium semper fiunt etiam in ecclesia catholica, nisi intervenerit impedimentum canonicum. 2. Benedictio vel copulatio a pastoribus vel primariis animarum curatoribus non fit, nisi prius constet de cautione morali quoad educationem omnium prolium in religione catholica, et libertatem exercitii religionis pro parte catholica. Haec cautio ordinarie efficitur declaratione scripta, et iurata partis acatholicae et retinetur in Archivo pastorali. Quia vero pastores per leges civiles prohibentur, ne hac de re cum partibus tractent, ideo a parte catholica et parochiana sua poscunt, ut ipsa procuret, ut sibi exhibeat, quae ad istam

cantionem moralem requiruntur: quae si non praestita fuerint, pastores parti catholicae exhibent simplices testimoniales de factis denunciationibus, tuncque copulatio fit a ministro protestantico: pars autem talis, quae contra leges Ecclesiae peccat, a Sacramentis arcetur donec serio resipiscat; licet matrimonium sic contractum validum reputetur, posito quod impedimentum aliquod canonicum non intervenerit. 3. Si aliquod impedimentum intervenerit, in quo nonnisi a Sede Apostolica dispensatur, per se intelligitur, quod ad S. Sedem recurratur, et dein ea observentur, quae tenore Rescripti vel dispensationis praescribuntur. 4. Ordinarie in quovis casu mixti matrimonii pastores tenentur Ordinario rem totam prius exponere, illiusque resolutionem exspectare, antequam progrediantur. In quorum fidem praesentes dedimus manu propria subscriptas et sigillo nostro pontificali subsignatas. Osnabrugii, 18. Aug. 1841. *Carolus Antonius, Ep. Anthed. p. t. Admin. D. Osnabrugensis.*

G) M. Princ. Hassiae. Testimonium Episcopi Moguntini.

Es wird andurch bescheiniget, dass in der hiesigen Bischöflichen Diöcese in Beziehung auf die Ehen gemischten Glaubensbekenntnisses nach den bestehenden Kirchengesetzen, conform mit dem bekannten von Seiner Päpstl. Heiligkeit Pius VIII. an das Erzbisthum Köln im Königreiche Preussen, erlassenen Breve, verfahren wird; und dem katholischen Pfarrer nur alsdann gestattet ist, die kirchliche Einsegnung eines Brautpaares gemischter Confession vorzunehmen, wenn sämmtliche Kinder in der katholischen Religion erzogen werden sollen. Da bei uns im G. H. Hessen und bei Rhein, das bürgerliche Gesetz besteht, dass die Kinder aus gemischten Ehen nach der Religion des Vaters erzogen werden sollen, wenn nicht vor der Trauung eine andere Bestimmung auf legale Weise getroffen worden ist, so hat der katholische Pfarrer, insofern der Bräutigam protestantischer Confession ist, bevor er die Ehe einsegnet, sich zu versichern, dass die Brautleute eine vertragsweise

Übereinkunft auf legale Weise über die katholische Erziehung ihrer Kinder geschlossen haben. Sind die Brautleute dagegen entschlossen, ihre Kinder zum Theil oder ganz in einer akatholischen Religion erziehen zu lassen, so hat der Pfarrer nur lediglich die kirchliche Proclamation vorzunehmen, und den Schein darüber dem katholischen Theil einzuhändigen, worauf der Pfarrer des protestantischen Theils die Trauung verrichten kann. Eine sogenannte passive Assistenz von Seiten des kathol. Geistlichen ist daher nicht in Übung; wohl aber geschieht es hier und da, dass Brautleute, deren sämmtliche Kinder in der kathol. Religion erzogen werden sollen, sich bei ihren beiderseitigen Pfarrern, bei dem Katholischen und Protestantischen, trauen lassen. Gegeben urkundlich unserer eigenhändigen Namensunterschrift, und beigedruckten bischöflichen Siegels. Mainz, den 24. August 1841. *Der Bischof von Mainz*, ***Peter Leopold Kaiser.***

H) Saxonia. Testimonium Consistorii.

Requiritur ab infrascripto, quaenam fuerit, et hucusque vigeat praxis in Regno Saxoniae circa matrimonia mixta, respondeturque sequentibus: Usque ad annum 1827. requirebatur ad ineundum matrimonium mixtum promissio authentica e parte acatholica, omnes proles utriusque sexus educandi in religione catholica. Cum autem anno supra dicto, evulgato mandato regio, promissio haec authentica prohibita sit, Sanctissimus Dominus noster Leo XII. gratiose concessit literis de die 2. Sept. 1828. datis, ut si Vicarius Apostolicus duxerit opportunum, in matrimoniis mixtis a *iuramento* educandae prolis in religione catholica dispensare possit. Attamen hisce in literis expressis verbis statuitur, ut onerata conscientia Vicarii Apostolici, a parochis, quibus fideles de doctrina et mandatis Ecclesiae instruendi obligatio est, sollicite indagetur, an pars catholica etiam libere religionem suam sequi possit, vel periculum perversionis immineat, et an proles utriusque sexus in catholica religione

sint educandae? Quodsi parochis, adhibitis paternis admonitionibus et instructionibus, non datur a sponsis cautio moralis quoad educationem prolium in religione catholica, denunciationes ante matrimonium quidem in Ecclesia Catholica fiunt, nisi intervenerit impedimentum canonicum, attamen ad matrimonium in facie Ecclesiae ineundum non admittuntur, sed factis tribus denunciationibus exhibetur, ut a ministro protestantico copulatio fieri queat. Cum autem inobedientes contra leges Ecclesiae peccent, a Sacramentis arceantur, donec resipiscant. Contracta matrimonia in praesentia ministri acatholici valida reputantur. In quorum fidem has literas in aedibus Vicariatus Apostolici dabam, sigilloque eiusdem Vicariatus muniri feci. Dresdae, die 24. Aug. 1841. *P. Laurentius Mauermann, Praeses Consistorii per Regnum Saxoniae; in delegatione absentis Ill. D. Episcopi et Vicarii Apostolici.*

---

l) Imp. Turcium. Extractus ex Patentalibus Imp. de an. 1839.

Patentales Mahmud Sultani, nuper defuncti Turcarum Imperatoris, ad preces Catholici Patriarchae Constantinopolitani pro favore Catholicorum anno 1839. editae, haec habent: „7. Die Priester können ohne die ausdrückliche Erlaubniss des Erzbischofs, Ehen, die durch die christliche Religion verbothen sind, die kirchliche Weihe nicht ertheilen. 9. Wenn ein Katholik ein einer andern Secte angehörendes Weib zu heirathen wünscht, so sollen die Priester sich weigern, die Ceremonie zu verrichten, und keine Behörde sie zwingen können, solchen Ehen die Weihe zu ertheilen. 10. Wenn sich zwischen Katholiken, sey es um einer Heirath, oder einer Trennung, oder irgend eines andern Falles willen, ein Streit erhebt, so soll derselbe dem Erzbischof, oder der Person, die der Erzbischof etwa zur Untersuchung der Angelegenheit bestimmt hat, zur Erwägung vorgelegt, und der Zwist soll eine den Vorschriften der Gerech-

tigkeit und der Beschaffenheit des Falles gemässe Weise entschieden werden."

Quoad Italiam, Hispaniam, Portugalliam, Americam meridionalem, Rhenanas, et Polonicas regni Borussici ditiones, denique haereditarias ipsius Imperii Austriaci provincias nullum est dubium, illas et Catholicos in iis degentes doctrinae ac praxi, legibus et regulis Catholicae Ecclesiae adhaerere.

---

f) 408.

Circulare Consistorii Viennensis ad Parochos, Instructionem Pontificiam cum iis communicans, ddo. 10. Octobr. 1841.

Seine Heiligkeit, Papst Gregor XVI. haben nachfolgende Instruction an die Erzbischöfe und Bischöfe der österreichischen, zu dem deutschen Bunde gehörigen Staaten am 22. Mai 1841. zu erlassen befunden, welche, nachdem dieselbe mit dem Placeto Regio Sr. k. k. apostolischen Majestät am 3. Sept. 1841. versehen worden ist, dem Clerus der fürsterzbischöflichen Diöcese zur Kenntniss und Darnachachtung bekannt gemacht wird. *(Sequitur Instructio, ut supra Mon. 406.)*

Aus dieser päpstlichen Instruction wird der Kurat-Klerus ersehen, dass eine kirchliche Trauung gemischter Ehen nur dann Statt finden könne, wenn die in der Instruction angegebenen Bedingnisse, besonders aber die Erziehung aller Kinder ohne Unterschied des Geschlechtes in der katholischen Religion sicher gestellt sind.

Wenn Brautleute die Zusicherung der Erziehung aller anzuhoffenden Kinder, welche durch ihre, und zweier Zeugen Unterschrift sicher zu stellen ist, verweigern, so hat der Pfarrer oder dessen Stellvertreter:

1. die katholische Braut mit Ruhe, aber gründlich, nachdrücklich und wiederholt über ihre Gewissenspflicht in

Rücksicht der Erziehung der Kinder zu belehren, ihr zu zeigen, dass es ihre heilige Pflicht ist, ihre Kinder in derjenigen Religion zu erziehen, die sie als wahre erkennt, und bekennt, dass es daher eine schwere Sünde gegen Gott, gegen ihre eigene Überzeugung und gegen das Heil ihrer Kinder sein würde, wenn sie einwilligte, dass auch nur ein Theil derselben in einer andern Religion, die sie selbst nicht als wahr erkennt, erzogen werde. Wenn die Brautleute, ungeachtet aller wiederholten Vorstellungen, bei dem Entschlusse verharren, die Erziehung der Kinder in der katholischen Religion nicht zuzusichern, so hat der Pfarrer ihnen mit Ruhe, aber ernstlich zu erklären, dass er eine Trauung ihrer Ehe nicht vornehmen könne, weil dieses gegen sein Gewissen wäre. Sollten sie erwiedern, dass sie ungeachtet dessen sich ehelichen wollen, so hat er

2. wenn alle Urkunden beigebracht sind, wenn sonst kein Ehehinderniss im Wege steht, und wenn die Braut in der Religion vollständig unterrichtet ist, die Verkündigungen vorzunehmen, und ruhig abzuwarten, ob die Brautleute bei ihrem Entschlusse verharren werden.

3. Sollten die Brautleute mit Beiziehung zweier Zeugen zu ihm kommen und von ihm fordern, dass er ihre Erklärung zur Ehe eintrage, so hat er in seinem Zimmer ruhig diese Erklärung anzuhören, der Braut aber nochmals mit Sanftmuth und Ernst zu bedeuten, dass er ihren Schritt als sündhaft und vor Gott verantwortlich erklären, und daher missbilligen müsse. Dann hat er den Namen, Stand, u. dergl. der Brautleute einzutragen. Die Rubrik: *Copulans* ist, da keine Trauung vorgenommen wird, leer zu lassen. Der Pfarrer oder dessen Stellvertreter hat sich blos als Zeuge in der Rubrik der Beistände mit diesen einzuschreiben, und in der Anmerkung beizusetzen: dass diese Brautleute am — Tage — Jahr — sich zu ehelichen erklärt haben.

4. Wenn über diese Erklärung ein Matrikenschein gefordert wird, so ist dieser nach folgendem Formulare auszustellen: „Ich Endesgefertigter bestätige, dass N. N. nach vorhergegangener — — Verkündigung am — Tage — Jahr

— in Gegenwart des N. N. Pfarrers zu N. und der beiden Zeugen N. N. und N. N. sich zu ehelichen erklärt haben."

5. Wenn Kinder aus einer solchen Ehe geboren werden, so sind diese als ehelich in das Taufbuch einzutragen.

6. Wenn bei einer einzugehenden gemischten Ehe die Brautleute in verschiedenen Pfarren wohnen, und daher ein Verkündschein ausgefertigt werden soll, so ist dieser auf die gewöhnliche Art, jedoch mit dem Beisatze auszustellen, dass die Erziehung aller Kinder in der katholischen Religion zugesichert — oder nicht zugesichert worden ist, damit der andere Pfarrer nicht im Zweifel bleibe, und sich gesetzmässig zu benehmen wisse.

7. In Fällen, in denen keine Tranung vorgenommen wird, sondern nur die passive Assistenz des Pfarrers Statt findet, ist keine Traunngs-Stola abzunehmen.

Diese Vorschriften über die Ausführung der von Seiner päpstlichen Heiligkeit erlassenen Instruction haben die Herren Seelsorger genau und gewissenhaft zu befolgen, und das fürsterzb. Ordinariat rechnet eben so sehr auf die Gewissenhaftigkeit und Frömmigkeit, als auf die Klugheit und Bescheidenheit des gesammten Kurat-Klerus. Ex Consistorio Archiepiscopali, Wien, den 10. October 1841.

	Errata	Corrige.
Pag. 32. lin. ult.	*et, semilis*	*et senilis*
— 51. lin. 11.	*haeretica*	*haeretico*
— 52. lin. 12.	*utriusque*	*utrinque*
— 59. lin. 27.	*sertiant*	*sentiant*
— 78. lin. 13.	*opponuntur*	*apponuntur*
— 83. lin. penult.	*ihren*	*ihnen*
— 97. lin. 15.	*quod*	*quoad*
— 118. lin. 7.	*verstehende*	*vorstehende*
— 136. lin. 7.	*Kaslsruhe*	*Karlsruhe*
— 143. Mon. 122. lin. 10.	*Dein*	*Dem*
— 208. lin. 6.	*2. B.*	*z. B.*
— 219. lin. 16.	*Ledigschen*	*Ledigschein*
— 334. lin. 22.	*ei*	*et*
— 460. Mon. 289. lin. 4.	post: *aut*	adde: *si*
— 484. lin. 31.	*divertio*	*divortio*
— 496. lin. 4.	*et*	*ex*
— 510. lin. 26.	*modo*	*modus*
— 552. lin. 2.	*praecipium*	*praecipuum*
— 597. lin. 7.	*Medregyianorum*	*Medvegyianorum*
— 639. lin. 13.	*dem*	*idem*
— 718. lin. 18.	*cummuniens*	*matrimonium communiens*
— 736. lin. 30.	*Pespiciant*	*Perspicient*
— 743. lin. 14.	*operuerunt*	*aperuerunt*
— 749. lin. 35.	post: *excessus*	adde: *commemoret,*
— 762. lin. 2.	*praecipium*	*praecipuum*
— 816. lin. 21.	*His*	*Hic*